This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

IN MEMORIAM
BERNARD MOSES

EX LIBRIS

THEOLOGIA

DOGMATICA.

THEOLOGIA

DOGMATICA,

QUAM CONCINNAVIT

FRANCISCUS PATRICIUS KENRICK,

ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS.

VOLUMEN III.

SECUNDIS CURIS AUCTORIS.

Ἐν μὲν γὰρ ἀσώματοις ἔν, γυμνὰ ἐν αὐτά σοι τὰ ἀσώματα παρέδωκε δῶρα· ἐπεὶ δὲ σώματι συμπέπλεκται ἡ Ψυχὴ, ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητά σοι παραδίδωσι. *S. Joannes Chrys. in Matthæum hom.* LXXXII. *al.* LXXXIII.

« Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei. » *Lactantius* l. iv. de Vera Sapientia et Religione c. xxx.

UNIV. OF CALIFORNIA

MECHLINIÆ.

H. DESSAIN, SUCCESSOR P. J. HANICQ,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHI. — MDCCCLVIII.

BX1751
K4
v.3

DÉPOSÉ EN BELGIQUE ET EN FRANCE.

BERNARD MOSES

UNIV. OF
CALIFORNIA

INDEX.

TRACTATUS XI.

DE BAPTISMO.

Prolegomena. 1
C. I. De aqua ad Baptismum necessaria. 6
Propositio. Christus Dominus instituit aqua Baptismum perpetuo ad finem usque mundi ministrandum, qui proinde est novæ Legis Sacramentum. 7
Objectiones solvuntur. 10
Animadversio. 21
C. II. De modo baptizandi. 21
Propositio. Valet Baptismus infusione yel aspersione collatus. 22
Objectiones diluuntur. 23
Animadversiones. 27
C. III. De Baptismi effectibus. 28
Propositio. In Baptismo gratia Jesu Christi Domini nostri confertur, per quam tollitur totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, et Deo renascimur. 29
Objectiones diluuntur. 32
Animadversiones. 34
C. IV. De Joannis baptismo. 34
Propositio. Baptismus Joannis non habuit eamdem vim ac Christi Baptismus. 35
Objectiones diluuntur. 37
C. V. De Baptismi necessitate. 39
Propositio. Baptismus est necessarius ad salutem. 40
Objectiones solvuntur. 41
Animadversiones. 43
C. VI. De Infantium Baptismo. 44
Propositio. Infantes baptizari possunt et debent. 45
Objectiones diluuntur. 47
Animadversiones. 49
C. VII. De ministro Baptismi. 50
C. VIII. De charactere. 55
C. IX. De cæremoniis. 56

TRACTATUS XII.

DE CONFIRMATIONE.

Prænotanda. 61
C. I. De Sacramento. 62
Propositio. Confirmatio est verum ac proprium Sacramentum. 62
Objectiones. 66
Animadversio. 71
C. II. De Chrismate. 71
Animadversiones. 74
C. III. De Ministro Confirmationis. 74
C. IV. De confirmandis. 75

TRACTATUS XIII.

DE EUCHARISTIA.

Procemium. 79
Pars. I. De Eucharistiæ Sacramento. 80
C. I. De ritu Eucharistico. 80
Propositio. Christus Dominus ritum instituit eucharisticum sub panis et vini speciebus perpetuo in Ecclesia sua servandum. 80
Objectiones solvuntur. 81
C. II. De Re Eucharistiæ. 82

885983

C. III. De sexto Joannis capite. 86
Propositio. Vera, realis et substantialis præsentia Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia invicte probatur ex promissionis verbis relatis apud Joannem. 86
Probatur 1. ex Christi Domini verbis. 86
Probatur 2. ex Patrum interpretatione. 89
Objectiones. 91
C. IV. De institutione Eucharistiæ. 99
Propositio. Christi Domini Eucharistiam instituentis verba simplici et obvio sensu excipienda sunt, ideoque vera, realis, et substantialis Corporis et Sanguinis ejus præsentia in hoc Sacramento invicte inde probatur. 99
Probatur 1. ex ipsis Christi verbis. 99
Probatur 2. ex Patrum interpretatione. 102
Objectiones diluuntur. 104
C. V. De usu Eucharistiæ. 113
Propositio. Vera, realis, et substantialis præsentia Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia invicte probatur iis Scripturæ testimoniis, quæ usum hujus Sacramenti respiciunt. 113
Probatur 1. ex verbis Apostoli. 113
Probatur 2. ex Patrum interpretatione. 114
Objectiones diluuntur. 116
C. VI. Patrum testimonia. 118
C. VII. Objectiones contra realem præsentiam. 125
C. VIII. De Transubstantiatione. 130
Propositio. In Eucharistiæ Sacramento non remanet substantia panis et vini, sed mirabilis et singularis conversio fit totius substantiæ panis in Corpus et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini : quæ conversio aptissime transubstantiatio a Catholica Ecclesia appellatur. 132
Probatur 1. ex Scripturis. 132
Probatur 2. Patrum testimoniis. 133
Probatur 3. auctoritate Conciliorum. 135
Probatur 4. ex Liturgiis. 135
Probatur 5. argumento præscriptionis. 135
Objectiones diluuntur. 135
C. IX. De Liturgiis. 152
Propositio. Vera, realis, et substantialis præsentia Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Sacramento Eucharistiæ, et transubstantiationis dogma invicte demonstratur ex liturgiis omnibus antiquissimis, toto orbe christiano usurpatis. 153
Objectiones. 161
C. X. De fide Orientalium sectarum. 162
Propositio. Viget viguitque semper apud Græcos et Orientales omnes fides de vera, reali, et substantiali præsentia Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia, adeoque dogma transubstantiationis. 162
C. XI. De permanenti præsentia. 166
Propositio. In hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, remanet Corpus Domini. 167
Objectiones solvuntur. 168
C. XII. De adoratione Eucharistiæ. 169
Propositio. Christus in Eucharistiæ Sacramento etiam extra actionem sacramentalem, cultu latriæ, tum interno, tum externo adorandus est. 170
Objectiones. 170
Animadversiones. 171
C. XIII. De Sacramenti ratione. 171
C. XIV. De communione sub utraque specie. 174
Propositio. Nullo Dei præcepto, nullaque necessitate salutis omnes Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debent. 176
Objectiones solvuntur. 178
Animadversio. 181

C. XV. De suscipientibus Eucharistiam. 181
Pars II. De Missæ Sacrificio. 184
Prænotanda. 184
C. I. De Sacrificii veritate. 186
Propositio. In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium. 186
Probatur 1. ex Christi sacerdotio secundum ordinem Melchisedech. 186
Patres appellamus interpretes. 187
Probatur 2. ex vaticinio Malachiæ. 188
Patres appellamus interpretes. 189
Probatur 3. ex verbis Christi. 189
Patres interpretes damus. 190
Probatur 4. ex Apostoli verbis. 191
Probatur 5. ex traditione. 192
Probatur 6. ex liturgiis. 194
Probatur 7. argumento præscriptionis. 196
Objectiones solvuntur. 197
C. II. De Sacrificii proprietatibus. 203
Propositio. Missa est Sacrificium propitiatorium. 205
Objectiones solvuntur. 206
Propositio. Missæ Sacrificium est propitiatorium etiam pro defunctis. 208
Objeciones solvuntur. 209
C. III. De Sacrificii celebratione. 210
Propositio. Missæ in quibus solus sacerdos communicat, licitæ sunt. 212
Objectiones solvuntur. 213
Animadversiones. 214
C. IV. De Lingua sacra. 215
Propositio. Missa non potest lingua vernacula celebrari, obstante Ecclesiæ disciplina, quæ æquissimis fulcitur rationibus. 215
Objectiones solvuntur. 217
Animadversio. 219
C. V. De ritibus Missæ. 219

TRACTATUS XIV.

DE POENITENTIA.

Prænotanda. 227
C. I. De potestate remittendi peccata. 228
Propositio. Concessa est a Christo Domino Apostolis, et per eos iis qui ministerio sacerdotali funguntur, potestas vere judicialis in peccatorum remissione. 230
Probatur 1. ex Scripturis. 230
Probatur 2. ex Patribus. 231
Probatur 3. ex Græcorum consensu. 233
Probatur 4. præscriptionis argumento. 233
Objectiones solvuntur. 234
Corollaria. 240
C. II. De hæresi Novatiana. 241
C. III. De Contritione. 244
Propositio. Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, ponderando eorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, est verus et utilis dolor, et præparat ad gratiam. 246
Objectiones solvuntur. 247
Animadversiones. 248
C. IV. De Confessione. 249
Propositio. Confessio omnium peccatorum mortalium quæ quis post Baptismum se patrasse recordatur, jure divino est necessaria. 251
Probatur 1. ex Scripturis. 251
Probatur 2. ex Patribus. 251
Probatur 3. Conciliorum auctoritate. 257
Probatur 4. ex veteribus libris pœnitentialibus. 258
Probatur 5. exemplis. 258
Probatur 6. ex Orientalium sectarum consensione. 259
Probatur 7. præscriptione. 259
Objectiones solvuntur. 260
Animadversiones. 265
C. V. De Satisfactione. 266
§. I. De pœna temporali. 266
Propositio. Tota pœna peccati non semper a Deo remittitur simul cum culpa. 267
Objectiones solvuntur. 268
§. II. De operum pœnitentiæ virtute. 269

Propositio. Satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, sunt cultus Dei; nec aliquatenus doctrinam de gratia, vel verum Dei cultum, vel beneficium mortis Christi obscurant. 269
Probatur 1. ex Scripturis. 269
Probatur 2. ex Patribus. 270
Probatur 3. ex disciplina pœnitentiali. 271
Objectiones solvuntur. 272
§. III. De operum pœnitentiæ injunctione. 273
Propositio. Claves Ecclesiæ datæ sunt etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, non agunt contra finem clavium, nec contra institutionem Christi. 273
Objectiones solvuntur. 274
C. VI. De Sacramenti ratione. 275

TRACTATUS XV.

DE INDULGENTIIS.

Prænotanda. 281
C. I. De potestate indulgentias concedendi. 283
Propositio. Est in Ecclesia potestas indulgentias concedendi, quæ et utiles sunt. 283
Objectiones solvuntur. 285
C. II. De indulgentiarum virtute. 289
Propositio. Indulgentiæ valent ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam. 289
Objectiones solvuntur. 290
Animadversio. 291
C. III. De Thesauro Ecclesiæ. 291
Propositio. Thesauri Ecclesiæ, unde dantur indulgentiæ, sunt merita Christi et Sanctorum. 291
Objectiones solvuntur. 292
C. IV. De indulgentiarum applicatione. 293

TRACTATUS XVI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

C. I. De Sacramenti veritate. 297
Propositio. Extrema Unctio est vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum. 298
Objectiones solvuntur. 301
C. II. De Sacramenti ministratione. 305

TRACTATUS XVII.

DE SACRIS ORDINIBUS.

C. I. De Sacramenti veritate. 307
Propositio. Ordo, sive sacra ordinatio, est vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum. 309
Objectiones solvuntur. 311
C. II. De Sacerdotio. 315
Propositio. Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; cui competit potestas consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi. 316
Objectiones solvuntur. 317
Animadversiones. 319
C. III. De Episcopatu. 319
Propositio. Episcopi sunt presbyteris superiores. 320
Objectiones solvuntur. 321
C. IV. De Diaconatu. 324
Propositio. Diaconatus est sacer Ordo. 324
Objectiones solvuntur. 325
Animadversio. 326
C. V. De Subdiaconatu et minoribus Ordinibus. 326
C. VI. De Ordinum materia et forma. 328
C. VII. De electione Ministrorum. 330
Propositio. Jus eligendi sacros ministros divina ordinatione penes populum fidelem non est, sed penes Ecclesiæ Rectores, præsertim Summum Pontificem. 331
Objectiones solvuntur. 333
Animadversiones. 336
C. VIII. De Ordinum ministro. 337
§. I. De ministro necessario. 337
Propositio. Episcopi habent potestatem ordinandi, quæ non

est illis cum presbyteris communis. 337
Objectiones solvuntur. 338
§. II. De ministro legitimo. 339
C. IX. De ordinationibus Anglicanis. 341
C. X. De ordinandis. 344
C. XI. De Religiosis. 346
C. XII. De sacro cœlibatu. 348
§. I. De cœlibatus antiquitate. 348
Propositio. Nunquam licuit clericis qui sacris Ordinibus insigniti erant Matrimonium inire. 348
Objectiones solvuntur. 349
Animadversio. 352
Propositio. Cœlibatus lex qua sacris Ordinibus insigniti adstringuntur, conjugii usu interdicto etiam iis qui duxerant ante ordinationem uxores, antiquissima est. 352
Probatur 1. Pontificum auctoritate. 352
Probatur 2. Conciliorum decretis. 352
Probatur 3. Patrum testimoniis. 353
Objectiones solvuntur. 354
§. II. De cœlibatus excellentia. 359
Propositio. Melius est ac beatius manere in virginitate, quam jungi matrimonio. 359
Objectiones solvuntur. 361
§. III De cœlibatus convenientia. 362
Propositio. Sanctissima est cœlibatus disciplina et sacris Ordinibus maxime conveniens. 362
Objectiones solvuntur. 365
C. XIII. De mulierum ordinatione. 366
Propositio. Mulieres divino jure excluduntur ab Ordinibus sacris, et omni sacri ministerii munere. 366
Objectiones solvuntur. 367
C. XIV. De Ordinationis effectibus. 368

TRACTATUS XVIII.

DE MATRIMONIO.

C. I. De honestate Matrimonii. 371
Propositio. Matrimonium est de se licitum et honestum. 371
Objectiones solvuntur. 372
C. II. De Sacramento. 374
Propositio. Matrimonium est vere et proprie novæ Legis Sacramentum a Christo institutum. 374
Objectiones solvuntur. 375
C. III. De Sacramenti ratione. 377
C. IV. De consensu. 379
C. V. De unitate Matrimonii. 381
C. VI. De vinculo Matrimonii. 383
§. I. De vi vinculi. 383
Propositio. Matrimonium consummatum fidelium nulla unquam de causa, ne adulterii quidem, dissolvi potest quoad vinculum. 384
Objectiones solvuntur. 386
Animadversio. 388
§. II. De solutione vinculi. 388
§. III. De divortio tori. 390
C. VII. De impedimentis Matrimonii. 391
Propositio. Potuit Ecclesia constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, et in iis constituendis non erravit. 392
Objectiones solvuntur. 393
Propositio. Civilis potestatis exercitium in matrimoniis dirimendis ultra civiles effectus non extenditur. 394
Objectiones solvuntur. 395
Animadversiones. 396
C. VIII. De singulis impedimentis. 397
Animadversiones. 403

TRACTATUS XIX.

DE SACRAMENTIS IN UNIVERSUM.

Prænotanda. 405
C. I. De Sacramentorum numero. 405
Propositio. Septem sunt novæ Legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora. 406
Objectiones solvuntur. 407
Animadversiones. 409
C. II. De ministro Sacramentorum. 411
§. I. De ministri potestate. 411
Propositio. Christiani omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis non habent potestatem. 412
Objectiones solvuntur. 412
§. II. De ministri intentione. 413
§. III. De ministri dignitate. 414

Propositio. Valent Sacramenta a ministro in peccato mortali existente confecta, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit. 415
Objectiones solvuntur. 416
C. III. De Sacramentorum efficacia. 417
Propositio. Sacramenta novæ Legis gratiam continent quam significant, et gratiam ipsam non ponentibus obicem conferunt ex opere operato. 418
Objectiones solvuntur. 419
Animadversio. 420
C. IV. De effectibus Sacramentorum. 420
§. I. De novæ Legis Sacramentis. 420
Propositio. In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, imprimitur character in anima. 420
Objectiones solvuntur. 421
Animadversio. 422
§. II. De veteribus Sacramentis. 422
C. V. De cæremoniis. 423
Propositio. Recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari possunt. 424
Objectiones solvuntur. 425

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

TRACTATUS XI.

UNIV. OF CALIFORNIA

DE BAPTISMO.

PROLEGOMENA.

1. Gratia Dei, quæ Christi meritis nobis comparata est, tribuitur persæpe, nullo externo adhibito instrumento: ea enim ad orandum excitamur, et orantibus nova dantur subsidia. Cæterum sapientissimus Dominus noster quosdam instituit ritus, quibus vim quamdam ac virtutem cœlestem indidit, quos vocamus *Sacramenta*.

2. Consueverunt theologi tractatum de Sacramentis in universum præmittere, ut singula Sacramenta deinceps vindicent. Recentioribus tamen, in Germania præsertim, de singulis prius agendum visum est, ut quæ omnibus sunt communia tandem explicent. Hæc nobis opportunior visa est methodus: vix enim generalia illa principia possunt defendi, quin plurima ex iis quæ ad singulorum Sacramentorum vindicias magis spectent proferantur, vel probationes differantur, lectoribus ad posteriores tractatus remissis. Idcirco haud novitatis, sed utilitatis studio, hanc insistimus viam: nec tamen negamus methodum antiquorum id afferre commodi, quod prævia notione proprietatum Sacramenti, facilius sit de singulis tractare. Ne lectores nostri eo careant, præmittendam duximus brevem earum expositionem, probationes postea, pro occasione nata, allaturi.

3. Sacramenti vox a profanis scriptoribus pro militum jurejurando quo sese militiæ adscribebant, sicut et pro pecunia quam apud sequestrem deponere solebant litigantes, victori reddendam, usurpabatur: sed ab ecclesiasticis auctoribus novam mutuata est vim. Latius quidem aliquando sumpta a Scripturæ interpretibus *arcanum* denotat, sicut eo Tobiæ loco: « Sacramentum regis abscondere bonum est » [1] et apud Paulum: « Magnum est pietatis sacramentum. » [2] Signum quodlibet sacrum etiam significat; quapropter crucis signum ita appellatur ab Augustino. [3] De veteris Testamenti ritibus eo fere sensu adhibetur, quippe qui typi fuerunt et figuræ redemptionis futuræ per Christi mortem. Sed sensu strictiori Sacramentum est ritus gratiam animæ impertiens: [4] Græci μυστήριον vocant.

(1) Tob. xii. 7.
(2) I. Tim. iii. 16.
(3) In Ps. cxli.
(4) Ex latiori vocis usu argumentari solent

4. Extitisse ab ipsis generis humani primordiis ritum aliquem quo veluti instrumento usus est Deus ad indulgentiam peccati originis tribuendam conjicit Augustinus, eo quod Deus suis in re adeo necessaria deesse non sit censendus. Abrahæ jussum est ut circumcideret se suosque, in fœderis cum Deo initi testimonium : quem ritum plerique existimant remedii habuisse rationem, quo scilicet peccatum originis tolleretur. Cæterum quomodo fœmellis subveniretur non liquet, nec quo pacto maribus pariter ac fœminis ante circumcisionem præscriptam, ut de vi hac ei absque certo aliquo documento tributa sileamus. « Nec ideo tamen credendum est, » inquit Augustinus, « ante datam circumcisionem famulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediatoris fides in carne venturi) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid esset aliqua necessaria causa Scriptura sacra latere voluerit. Nam et sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccatum mundi. » [1]

5. Circumcisio igitur primus noscitur ritus a Deo institutus in fœderis cum Abraha et ejus posteris signum, quo scilicet testatus est se eos sibi in populum peculiarem adsciscere, et promissionum facere hæredes, ea tamen conditione ut eum sancte colerent.

6. Moysis ministerio usus est Deus ut ritus plurimos Israelitis injungeret, quorum plerique divina beneficia commemorabant, vel spem indicabant redemptionis. Agni Paschalis immolatio divinitus servatos Israelitarum primogenitos, ob agni sanguinem superliminaribus illitum commemorabat, dum venturum Redemptorem, agnum verum qui tolleret peccata mundi, significaret iis quorum mens ævi futuri arcana aliquatenus explorabat. De ritibus omnibus dicit Augustinus : « Sacramenta quæ observabantur et celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Christi venturi : quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt ; et ideo ablata quia impleta. . . . . Et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. » [2]

7. Septem esse novæ legis Sacramenta a Jesu Christo Domino nostro instituta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, definivit Concilium Tridentinum ; [3] qua in re Græcos schismaticos, sectasque Orientales habemus nobiscum concordes. [4] Non omnia Sacramenta paris sunt dignitatis, vel necessitatis. Eucharistia enim cæteris præstat, quum auctor ipse Sacramentorum in ea adsit, fons omnis gratiæ et sanctitatis : et Baptismus præ cæteris est necessarius ; lapsis post Baptismum Pœnitentia opus est : Confirmatio ad robur hominis christiani instituta, haud sine gravi crimine spernitur : Eucharistia districte præcipitur sumenda : Extrema Unctio subsidio est maximi momenti vita periclitantibus. Ordo non singulis, sed toti Ecclesiæ est necessarius, ut sacra donati auctoritate muneribus in hominum salutem fungantur. Matrimonium

Protestantes ut probationes ex Patribus desumptas infirment ; sed voce sola non innititur : quæ enim eam comitantur ejus vim, quando stricte sumitur, demonstrant.

(1) L. v. contra Julian. c. xi.

(2) L. xix. contra Faustum. c. xiii.

(3) Sess. vii. de Sacram. can. 1.

(4) Vide censuram Lutheranæ confess. sibi oblatæ, a Jeremia patriarcha Constantinop. an. 1575. Vide etiam Conc. Constantinop. anno 1638, et anno 1642, et anno 1672. Vide de sectis Orientalibus Assemannum Compendio Storico vol. iii. Ven. 1756, et Euopliam, auctore Fausto Nairono, Banensi Maronita, Romæ 1694.

nubentibus in Christo gratiæ munera tribuit.

8. Sacramenta omnia negarunt sæculo secundo Archontici, et deinceps Manichæi. Sæculo decimo sexto Gaspar Schwenckfeldius ejusdem erroris incusatus est. Sequenti sæculo medio Georgius Fox, Anglus, arte sutor, Spiritu se duci existimans, externos omnes ritus, subsidiaque salutis rejecit, sectamque conflavit *Quakerorum*. In America, quo se contulit Fox, anno 1662, secta habuit progressus, præsertim in Pennsylvania, quam Gulielmus Penn, Anglus, genere insignis, et sectæ studio, fundavit anno 1680. Philadelphia plurimos adhuc continet Quakeros, divitiis plerumque et morum suavitate spectabiles. Ante paucos annos secta in duas scissa est contrariis studiis partes, Hicksio nova propagante placita, quæ Deismum sapere dicuntur. *Hicksitæ* dicti sunt ejus sectatores, ut ab aliis, qui orthodoxi audiunt, discernantur. Sacramenta omnia rejiciunt, Spiritu nos sanctos justosque effici, absque externo aliquo ritu, affirmantes.

9. Plerique novatores duo agnoscunt Sacramenta, Baptismum scilicet et Cœnam : quibus tamen Lutherani Pœnitentiam adjunxerunt in *Apologia Confessionis Augustanæ*. « Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ; facile est judicare, quæ sint proprie Sacramenta. . . . . Vere igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, absolutio quæ est Sacramentum Pœnitentiæ. » [1] Melanchton Matrimonium agnoscere Sacramentum visus est; imo in conventu Lipsiensi anno MDXLVIII., omnia Sacramenta excipere. [2] Zuinglius Baptismum, Cœnam et Matrimonium Sacramentorum nomine intellexit. [3] Calvinus Ordinem haud ægre inter Sacramenta recensuit aliquando, [4] quando alias duo tantum agnoverit. Oxonienses de Ordinatione tamquam divinitus instituta ratione, qua et potestas sacra, et gratia confertur, loquuntur. [5]

10. Definitur Sacramentum res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis et justitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet. [6] Ita Catechismus Tridentini Concilii jussu in usum parochorum compositus. Ritus igitur externus in Sacramentis requiritur, qui gratiæ quam conferunt indicium sit : nam recte docet Augustinus « signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta nominari; » [7] et alias : « Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. » [8]

11. Divina requiritur institutio in perpetuum : nullum enim in nova lege agnoscendum est Sacramentum quod Christum non habeat auctorem, [9] quodque ipse haud statuerit ad finem usque mundi usurpandum : ipsius scilicet erat ea dare subsidia quibus sa-

(1) Art. vii. de numero et usu Sacramentorum. Verba referuntur a Walchio, qui frustra laborat ut ostendat Pœnitentiam latiori sensu Sacramentum vocari. L. i. Introd. ad libros symbol. Luth. c. iv. de Apologia Aug. Conf. §. xviii. **

(2) Ita refert Sleidanus l. xx. hist.

(3) L. de vera et falsa Rel. c. de Matth.

(4) In Antidoto Conc. Trid. Sess. vii. c iv.

(5) « I know the grace of ordination is contained in the laying on of hands. . . . . « Through the Bishop who ordained us, we received the Holy Ghost. . . . If Ordination be a divine ordinance, it must be necessary; and if it is not a divine ordinance how dare we use it? As well might we pretend the Sacraments are not necessary to salvation, while we make use of the offices of the Liturgy; for when God appoints means of grace, they are the means. » Tract. No. 1. London 1833.

(6) Cat. Rom. par. ii. c. i. n. 10.

(7) Ep. ad Marcellin.

(8) Ep. ad Bonif.

(9) Trid. Conc. sess. vii. de Sacram. can. 1.

lus comparari queat, ea eligere instrumenta quibus gratia, quam nobis sua morte promeritus est, tribuatur. Distinguenda igitur sunt Sacramenta a ritibus quos Ecclesiæ Præsules ad decorem divini cultus et ad pietatem fovendam instituerunt.

12. Novæ legis Sacramenta gratiam conferunt, ideoque continent, scilicet ex Christi Domini institutione certam vim habent gratiam impertiendi, meritis ejus et voluntate, adeo ut quicumque ea recipit eam certo recipiat, nisi forsan obicem ipse pravo sui animi affectu objiciat. Ut hanc Sacramentis insitam virtutem exprimerent, et contra hæreticorum cavillationes tuerentur Tridentini Patres, definierunt per Sacramenta novæ legis conferri gratiam *ex opere operato*, vocibus a scholæ doctoribus mutuatis. *Ex opere operantis* oratio, eleemosyna, aliaque bona opera valent, pro pio animi affectu : sed Sacramenta ipsa vim habent gratiam pruducendi. Cæterum sicut solis lumen obice objecto excludi potest, ita et Sacramentorum gratia sua culpa privatur, qui ea haud rite dispositus accipit. Sic infidelis, vel peccato animi affectu adhærens, Baptismi, si um suscipiat, gratia caret, quam recipit infans nullum obicem objiciens. Ideo requiruntur in adultis, qui fuerint sui compotes, dispositiones quædam animi, sine quibus Sacramenta illis gratiam non tribuunt. Calumniantur igitur, qui asserunt ea ex Catholica doctrina peccatoribus, animi affectu peccato adhærentibus, prodesse.

13. « Omnia Sacramenta, » inquit Eugenius Pontifex, in decreto quod Florentino in Concilio, pro Armenorum instructione edidit, « tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. » [1] *Materiæ* et *formæ* voces sunt quas ex philosophia Aristotelica, ineunte decimo tertio sæculo, Gulielmus Altissiodorensis primus mutuatus dicitur, quamvis et *formam* vocaverit olim Tertullianus verba Sacramenti, sed sensu, ut videtur, diverso. [2] Materia *elementum* ab Augustino vocata est : forma dicta est verbum; « Verbo, » inquit, « Baptismus consecratur : detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » [3] *Materia* igitur res est, vel actus sensibilis, v. g. aqua in Baptismo : *forma* est verborum series quibus materia ad effectum sacramentalem determinatur. [4]

14. Intentio ministri etiam exigitur, ut scilicet velit facere quod facit Ecclesia : nam hac tantum ratione fiet ut Christi nomine agat, ideoque sacrum perficiat ritum. Cæterum satis gravis agitatur in scholis controversia, utrum iis in rerum adjunctis, in quibus se gerit Ecclesiæ nomine, nullo dato indicio se velle mimum agere, vel illudere adstantibus, possit Sacramentum frustrari, occulto animi consilio haud faciendi quod facit Ecclesia. Catharinus, celebris theologus, qui adfuit Concilio Tridentino, censuit eum non posse; sufficere enim intentionem externum ritum serio peragendi, Ecclesiæ nomine, quæ intentio *externa* inde vocari consuevit. Hunc sequuntur Jueninus, Druenus, plurimique inter Gallos præsertim. Itali plerique censent necesse esse ut serio velit facere quod facit Ecclesia, animi consilio externo actui respondente : nec alias actum Christi nomine vere fieri. Hanc *inter-*

(1) Inter acta Conc. Flor.
(2) L. de Baptismo c. xiii. (3) Tr. lxxx. in Joan.
(4) Voces hæ scholasticæ usurpantur in Burneti analysi p. 418.

nam vocant intentionem. Scholasticæ disputationis, pro more et instituto nostro, haud soliciti, intentionem faciendi quod facit Ecclesia requiri profitemur, prout contra Lutherum in Concilio Tridentino definitum est; hic scilicet asseruerat nil referre utrum minister serio an joco agat, quum totus Sacramentorum effectus ad suscipientis fidem foret referendus.

15. Id apud omnes theologos pro re explorata habetur, necesse non esse, ut quis velit effectum Sacramenti producere, vel Ecclesiæ Catholicæ ritum imitari, vel peragere; quum Ecclesia agnoscat valere baptismum ab hæreticis collatum, ritu quem Christus instituit servato, quos constat Catholicæ Ecclesiæ mores haud sibi proponere sequendos. Inde etiam liquet fidem ministri, vel ejus probitatem non requiri ut valeat Sacramentum; [1] quamvis peccet qui absque fide, vel animo peccato inquinato ea administret. Equidem Sacramenta totam suam virtutem a Christo derivant, cui tamen irrogat gravem injuriam qui ejus nomine agit, animo fovens peccatum.

16. Pleraque Sacramenta ut valeant sacrum Ordinem in conferente exigunt; nec enim Christi nomine agere quis potest, nisi communicata, ea quam statuit ratione, potestate. Attamen valet baptismus a laico, etiam infideli, collatus; ob summam quippe hujus Sacramenti necessitatem, Christus, licet illud ministrandi Apostolis specialiter demandaverit munus, nemini tamen illud penitus denegavit, uti ex vetustissima traditione et consuetudine Ecclesiæ didicimus. Matrimonium etiam, ob specialem contractus naturam, a plerisque censetur vim sacramentalem habere, si uterque contrahens sit baptizatus, qui idcirco habetur minister. Cæterum Eucharistia, Pœnitentia et Extrema Unctio, postulant omnino ut sacerdotio sit insignitus qui ea confert. Ordines majores, sacerdotium saltem et diaconatus, nonnisi ab Episcopo conferuntur. Confirmatio ab Episcopo, tamquam ordinario ministro, fit, sacerdotibus nonnumquam ex Apostolicæ Sedis delegatione eam administrantibus in Ecclesia Occidentali; apud Græcos ex consuetudine tolerata, seu probata.

17. *Sacramenta mortuorum* Baptismus et Pœnitentia a theologis nuncupantur, quia in remissionem peccatorum conferuntur, ideoque animam Deo mortuam resuscitant. Cætera Sacramenta vivorum sunt, nec suscipienda ab iis qui gratia divina non fruuntur. Cæterum etsi peccet qui peccato inquinatus ea suscipiat, non obstat pravitas animi valori Sacramenti, si excipias Pœnitentiam, sed fructibus ejus eum vacuum relinquit, imo obstringit sacrilegii crimine. Qui baptizatus non est nulli Sacramento suscipiendo est idoneus, nec aliquem experitur effectum aliorum Sacramentorum, etsi forte externus ritus peragatur. Sic Ordines nullo modo illi conferri valent, nec Confirmatio, nec enim augeri potest et ad maturam venire ætatem, qui adhuc natus non est Baptismo, nec in Ecclesia munere alioquo sacro fungi valet, qui ipsam januam haud est ingressus. [2]

(1) Id fatentur Anglicani art. xxvi.

(2) Tota errat re Staunton, Episcopal. (in opere: *A dictionary of the church, New York*, 1850, *art.* Lay Baptism) qui Paulum Apostolatus munere gavisum esse ante Baptismum dicit: quamvis enim Christus eum in id elegerit, haud tamen suscipere illius exercitium debuit, nisi Baptismo, et Ordine susceptis. Porro Episcopatus Ordinem suscepisse censendus est una cum Barnaba, ea occasione quæ Actorum xiii. capite refertur. Eum paulo post Baptismum Sacerdotio insignitum verosimile videtur, quum concionibus fidem magno zelo vindicaverit. Audiantur Oxonienses: « Were there any one person who might, from the very peculiar circumstances of his call and conversion, have had grounds for conceiving

18. Sacramenti nomen apud novatores plerumque accipitur pro ritu a Christo instituto, quin aliqua virtus ei inesse dicatur. [1] Sociniani illud censent nudum ac simplex signum quo Christianus ab infideli distinguitur. Lutherus dixit esse « proprie ea Sacramenta quæ annexis signis promissa sunt. » [2] Calvinus dicit : « Videtur autem mihi hæc simplex et propria fore definitio, si dixerimus externum esse symbolum, quo suæ erga nos benevolentiæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem : et nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo et Angelis quam apud homines testamur. » [3] Rationalistæ Sacramentorum Christianorum præstantiam in significatione symbolica et fine morali positam esse docent. [4] Oxonienses ad veram Sacramenti notionem accedere videntur : queruntur enim de suis, qui plerique negant Dei dona in ritibus quibusdam contineri, vel Deum virtutem quamdam invisibilem his adnexuisse. [5] Quæ Episcopales in suis articulis proferunt de Sacramentis, videntur his consona; ea enim vocant *certa testimonia et signa efficacia gratiæ* : [6] attamen quas adjiciunt voces ambiguæ sunt, et vulgari sectarum errori facile accommodantur; [7] adeo ut totum articulum exscripserint tamquam suum Unitarii quidam in libello quem sæpe citavimus. [8] In analysi expositionis triginta novem articulorum Anglicanorum a Burneto datæ, vis Sacramentis indita negatur, quibus tamen Christus dicitur adesse speciali quadam ratione, digne suscipientibus beneficia impertiens. [9]

CAPUT I.

DE AQUA AD BAPTISMUM NECESSARIA.

19. Sacramenti nomine intelligitur ritus a Christo Domino nostro institutus, perpetuo servandus, quo gratia ejus confertur. Baptismus primum inter Sacramenta locum obtinet, de quo imprimis agendum erit. Est autem ablutio corporis aqua facta, invocatis Patre, et Filio, et Spiritu sancto, qua quis Deo renascitur.

20. Fuerunt primis sæculis qui Ba-

himself entitled to dispense with this ceremony, that person was undoubtedly St. Paul; yet we find that, favoured as he had been, when it was seen meet to send him as an Apostle to the Gentiles, the Holy Ghost deigned to give express directions that he should be separated for the purpose; ordained, that is to say, to such ministry. » Oxford Tracts, vol. i. No. 5.

(1) « Sacraments are holy signs and seals of the convenant of grace, immediately instituted by God, to represent Christ and his benefits, and to confirm our interest in him. » Presbyt. Conf. ch. xxvii. (2) Lib. de captiv. Babylon.

(3) Inst. l. iv. c. xiv.

(4) Wegscheider § 163. cit. a Perroneo.

(5) « As if there were some antecedent improbability in God's gifts being lodged in particular observances, and distributed in a particular way; and as if the strong wish, or moral worth, of the individual could create in the outward ceremony a virtue which it had not received from above. Rationalistic, or (as they may be more properly called) carnal notions concerning the Sacraments, and, on the other hand, a superstitious apprehension of resting in them, and a slowness to believe the possibility of God's having literally blessed ordinances with invisible power, have, alas! infected a large mass of men in our communion. » Advertisement to Volume II. Oxford Tracts, London, 1836.

(6) « Sacraments ordained of Christ be not only badges or tokens of christian men's profession, but rather they be certain sure witnesses, and effectual signs of grace, and God's good will towards us, by the which he doth work invisibly in us, and doth not only quicken, but also strengthen and confirm our faith in him. » Art. xxv.

(7) « Indeed, this may even be set down as the essence of sectarian doctrine (however its mischief may be restrained or compensated, in the case of individuals), to consider faith, and not the Sacraments, as the instrument of justification and other Gospel gifts. » Pusey on Baptism, cited in Oxford Tracts, Vol. IV. Letter to a Magazine.

(8) Unitarian Miscellany, Vol. V. p. 216.

(9) Article xxv. p. 411.

ptismum rejicerent, Cajani scilicet ex Valentinianis, et Quintilliani, fœminæ Quintillæ sectatores, uti refert Tertullianus.[1] Manichæi, etiam testante Augustino,[2] Seleuciani et Hermiani, qui, uti idem sanctus Doctor narrat, ignem adhibebant, uti *ad litteram* implerent quod de Baptismo Spiritus sancti et ignis prædicaverat Joannes[3] Bogomili sæculo duodecimo Spiritu se baptizari jactantes, Catholicorum Baptismum Joannis esse, non Christi, dicebant, utpote aqua collatum. Quakeri, Georgio Fox duce, Roberto Barclaio vindice, prorsus repudiant aqua Baptismum, quem ritum dicunt Judaicum, licet eum ab Apostolis, ex œconomia quadam, ad tempus adhibitum fateantur, quin Christi sanctionem et auctoritatem habeat.[4] Christi Baptisma Spiritu sancto interius perfici, quin ulla aquæ habenda sit ratio, docent.

21. Concilium Tridentinum hac in re hunc edidit Canonem : « Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et » Spiritu sancto, » ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit. »[5]

Propositio.

Christus Dominus instituit aqua Baptismum, ad finem usque mundi, ministrandum, qui proinde est novæ legis Sacramentum.

22. *Probatur* 1. *ex Christi verbis.* Apostolos mittens dixit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. »[6] *Baptizare* βαπτίζειν, juxta vim vocis, et communem Scripturarum usum, immersionem in aquam, vel aqua ablutionem significat, nec ad alium traduci potest sensum, nisi ex contextu a propria et obvia significatione vocem translatam esse constet. Ergo ex Christi mandato aqua baptizare debuerunt Apostoli. Porro perpetuum fore hunc ritum ostendit Christus, se illis ad consummationem mundi adfuturum pollicendo; quum enim id post mandatum baptizandi dictum sit, liquet baptizantibus semper per sæcula omnia Christum adfuturum. Apostolorum igitur successores, illud muneris perpetuo exercentes, Christi mandato comprehenduntur. Sacrum vero esse baptizandi ritum, ad animæ munditiem et salutem directum, ex solemni trium personarum divinarum invocatione colligitur, et ex promissione Christi, se illud peragentibus semper fore præsentem, auctoritate scilicet et gratia; et ex præfatione, qua se omnem potestatem in cœlo et in terris habere professus est, ut cœlestis potestatis exercitium Apostolis demandare plane intelligeretur. Ex loco *paralleto* Marci constat insuper salutis assecutionem Baptismi susceptioni alligasse Christum : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. »[7]

23. Joannes Evangelista refert Christi

(1) Lib. de Bapt. c. i. et ii.

(2) Lib. de hær. c. xlvi.

(3) Matt. iii. 11.

(4) « As there is one Lord, and one faith, so there is one Baptism; which is not the putting away the filth of the flesh, but the answer of a good conscience before God, by the resurrection of Jesus Christ. And this Baptism is a pure and spiritual thing, to wit : the Baptism of the Spirit and Fire, by which we are buried with him, that being washed and purged from our sins, we may walk in newness of life; of which the Baptism of John was a figure, which was commanded for a time, and not to continue for ever. » Prop. xii. concerning Baptism, Barclay's Apology.

(5) Sess. vii. can. ii. de Bapt.

(6) Matt. xxviii. 18.

(7) Marc. xvi. 16.

colloquium cum Nicodemo, Judæorum principe, cui, quum ex prodigiis Christum divinitus missum magistrum agnosceret, « respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire et renasci? Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. »[1] Novæ nativitatis necessitatem inculcat Christus, eamque ex aqua et Spiritu sancto esse declarat, dum explicaret quomodo quis iterum nasci posset. Erat igitur occasio clarius suam explicandi mentem, et verba obvio sensu usurpandi. Hanc ad regnum cœlorum assequendum conditionem necessariam esse ipsum aqua Baptismum liquet, quum apud Marcum eam ad salutem requiri dicat. Præterea Paulus dicit : « Secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti. »[2] De Baptismo hic agi satis patet, quum lavacrum dicatur, quo regeneramur et renovamur, Spiritu sancto in nos copiose effuso. De eo igitur intelligendus est Christus Dominus, dum docet nasci nos oportere denuo ex aqua et Spiritu sancto. Baptismus idcirco agnoscendus est ritus cui nativitatem nostram spiritalem Christus alligavit, ut aqua abluti, Spiritus sancti opera, filii Dei habeamur et simus.

24. *Probatur* 2. *ex Apostolorum rebus gestis*. Christi Domini mentem de salutis subsidiis ex Apostolorum rebus gestis colligere est; nec enim eam ignorasse, vel violasse, censeri possunt, Spiritu sancto eis dato ut eos in omnem veritatem induceret. »[3] Petrus, a Cornelio centurione accersitus, quum Spiritus sancti indicia in ipso, et suis miraretur, exclamavit : « Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? »[4] Aqua igitur necessaria erat Baptismo, qui ministrandus erat etiam illis qui Spiritum sanctum jam acceperant : adeo urgebat lex Christi. Tantæ erat necessitatis Baptismus, ut Deus dignatus sit cœlestia et divina præbere argumenta Gentes ei suscipiendo esse idoneas, ne Judæorum præconceptis opinionibus tanto bono fraudarentur.

25. Totam Ecclesiam, universos scilicet fideles, aqua et verbo mundatam dicit Paulus : « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. »[5] Lavacrum igitur de quo Paulus alias loquitur, fiebat aqua, qua mundati sunt et sanctificati quotquot ea sunt abluti.

26. *Probatur* 3. *ex Baptismo quem Philippus diaconus ministravit*. Dubitari non potest Philippum, Apostolorum exemplum et auctoritatem secutum, Baptismum quem Christus instituit ministrasse. Post colloquium cum Eunucho reginæ Candacis, de Christo a Vate Isaia prædicto, et de salute per ipsum assequenda, « Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam : et ait Eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum: et descenderent uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit

(1) Joan. iii. 3.

(2) Tit. iii. 5.

(3) Non veretur Barclaius scribere : Prop. xii. obj. « Although it should be granted, that for a season they did so far mistake it, as to judge that water belonged to that Baptism (which, however, I find no necessity of granting,) yet I see not any great absurdity would thence follow. »

(4) Act. x. 47.

(5) Ephes. v. 25.

eum. »[1] Aqua igitur baptizatus est Eunuchus, post fidei in Christum professionem, et postquam Baptismum exquisierat, veluti ritum quem ex Christi mandato, Philippo docente, necessarium esse intellexerat.

27. *Probatur 4. ex constanti omnium sæculorum a Christo usu.* Epistola quæ dicitur Barnabæ figuras Baptismi quæ in veteri Testamento præcesserunt, explicat : « Et quidem de aqua scriptum est in Israelitas, quo modo Baptismum qui affert peccatorum remissionem, non sunt recepturi. » — « Hoc ait; quod nos descendimus quidem in aquam pleni peccatis ac sordibus, inde autem emergimus fructum afferentes in corde, timorem et spem in Jesum habentes ex spiritu »[2]

28. S. Irenæus post mandatum Christi de Baptismo relatum, Spiritus sancti opera enarrare pergit; deinde addit : « Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis : ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aqua quæ de cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat : sic et nos, lignum aridum existentes primum, numquam fructificaremus ad vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illud quod est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animæ autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiant in vitam Dei, miserante Domino nostro Jesu Christo. »[3] Liquet ex Irenæi sententia, et fide tunc vigente, lavacrum quo corpora abluuntur necessarium esse ad vitam et incorruptionem.

29. S Justinus M. in Apologia quam ad ethnicos Imperatores pro Christianis misit, refert qua ratione fideles Baptismo initientur : « Quicumque persuasum habuerint et crediderint vera esse, quæ a nobis docentur et dicuntur, seque ita vivere posse promiserint, ii precari et jejunantes priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus et jejunantibus. Deinde eo ducuntur a nobis, ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum, ac Domini Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, lavacrum in aqua tunc suscipiunt. Dixit enim Christus : « Nisi regenerati » fueritis, non intrabitis in regnum » cœlorum. »[4]

30. Tertullianus tractatum de Baptismo sic exorditur : « Felix Sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cœcitatis, in vitam æternam liberamur. » Cajanos rejicientes Baptismum veluti hæresim nefandam insectatur, quibus Christianos opponit — « pisciculos » ob nativitatem in aqua designatos : « sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum Jesum Christum in aqua nascimur. »[5] Hanc nascendi rationem ad Christi legem refert : « Lex enim tinguendi imposita est, et forma præscripta : « Ite, » inquit, « docete natio- » nes, tinguentes eas in nomen Patris, » et Filii, et Spiritus sancti. » Huic legi collata definitio illa : « Nisi quis renatus » fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit » in regnum cœlorum, » obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur. Tunc et Paulus ubi credidit, tinctus est. »[6]

31. S. Ambrosius animæ munditiem a Spiritu sancto effici animadvertit, nec

(1) Act. viii. 36.
(2) Barnabæ ep. §. xi. n. 2. 12.
(3) L. iii. adv. hær. c. xix.
(4) Apologia I. n. 61. alias Apol. ii.
(5) De Baptismo. Christiani utebantur voce ἰχθὺς quæ piscem significat symboli et tesseræ instar, ut Ἰησοῦν Χριστὸν θεοῦ υἱὸν Σωτῆρα, initialibus litteris designarent.
(6) Tertullian. lib. de Bapt.

enim qui balneo utitur mundatur : « Hinc cognosce quod aqua non mundat sine Spiritu. Ideoque legisti quod tres testes in Baptismate unum sint, aqua, sanguis, et Spiritus. Quia si unum horum detrahas, non stat Baptismatis Sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo Sacramenti effectu. *Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est* : « Nisi enim quis renatus fuerit ex » aqua et Spiritu, non potest introire in » regnum Dei. » Credit autem etiam catechumenus in cruce Domini Jesu, quia et ipse signatur: sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire. »[1]

32. De sæculorum posteriorum usu adeo constat ut testimonia referre superfluum videatur.[2] Omnium vox haberi potest illa Augustini : « Tolle aquam, non est Baptismus. »[3] Barclaius nonnisi paucos, sæculo undecimo, recenset qui Baptismum rejecerint, Manicheismi, uti fatetur, incusati et damnati.

Objectiones solvuntur.

33. *Obj.* 1. Probatio ex Christi mandato nititur usu recepto vocis *baptizandi* : sed si quid valeat, immersio habenda erit prorsus necessaria ; nam ita accipiebatur, juxta vim ipsius vocis.[4]

34. *Resp.* Vox illa plerumque pro immersione accipiebatur : attamen ablutio aqua quocumque modo facta, etiam ea designabatur; quapropter qui lustrali aqua, pro legis præscripto, aspersus fuerat ut mundaretur, baptizatus — βαπτιζόμενος ab auctore Ecclesiastici dicitur :[5] constat autem usum auctorum judaicorum, magis quam profanorum in vocum vi, prout in novo Testamento usurpantur, definienda esse respiciendum. Cæterum non agitur impræsentiarum de modo baptizandi, utrum scilicet aspersio vel infusio Baptismi habere possit rationem; ideoque satis erit monstrasse vocem qua Christus usus est, vi sua nativa, et usu communi, aqua ablutionem designare.

35. *Obj.* 2. Christus alio in loco baptizandi voce sensu translato usus est : « Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur? »[6]

36. *Resp.* Translatus ille sensus satis colligitur ex adjunctis : quum enim Christus aqua jam a Joanne ablutus fuisset, deinceps non amplius abluendus, loqui intelligebatur de ærumnis quæ eum manebant, quæ, pelagi instar, eum veluti obruturæ erant. In mandato autem Apostolis dato dum in universum mundum mitterentur, ipso in cœlos jam ascensuro, nullus est metaphoræ locus, sed verba sensu usitato et noto sumenda omnino sunt.

37. *Obj.* 3. Christus suum Baptismum designavit Spiritus sancti, eumque distinguendum docuit a Baptismo aqua quem Joannes administravit : « Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. »[7] Ita Apostolos ante ascensionem suam allocutus est, qui ipsi non alium Baptismum suscepisse noscuntur.

38. *Resp.* Eo loci Christus de Spiritu sancto post paucos dies in Apostolos illapsuro locutus est. Illapsum illum « Baptismum » vocavit translato sensu, ut significaret copiam donorum cœlestium quibus affluerent. Eum a Joannis

(1) L. de his qui initiantur, c. iv.

(2) « I know there are divers of those called the Fathers, that speak much of waterbaptism, calling it, « characterem Christianitatis. » Prop. xii. Obj. 6.

(3) Tract. xv. in Joan.

(4) Barclay prop. xii. § x.

(5) Eccli. xxxiv. 30.

(6) Luc. xii. 50.

(7) Act. i. 5.

Baptismo, aqua tantum constantem, merito discrevit; nec enim aqua sola in eo adhibenda erat, sed vis divini Spiritus, ignis instar, ostendenda. Mittens autem Apostolos ut baptizarent, non potuit intelligi de Baptismo Spiritus sancti, quia de eo siluit prorsus, et ipsorum non erat divinam illam vim in animam exercere, quæ ipsius Spiritus est. Igitur obviæ vocis significationi inhærendum est, et Baptismus aqua agnoscendus, cui tamen Pater, Filius, et Spiritus sanctus sua virtute adsint. Quod autem non legatur in Scripturis Apostolos ipsos fuisse aqua baptizatos, non probat eos baptismum non suscepisse, quum nec Christi nec Apostolorum res gestæ omnes referantur. Cæterum penes Christum erat eos a Baptismi lege eximere : quod tamen eum fecisse non est verosimile. Dicimus igitur cum Augustino : « Non omnia quæ facta sunt etiam scripta inveniuntur, verumtamen facta esse ex cæteris documentis probantur. Scriptum est quando baptizatus sit Apostolus Paulus, et scriptum non est quando baptizati sint alii Apostoli : verumtamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus : quemadmodum scriptum est quando baptizatæ sint plebes ecclesiarum in Jerusalem et Samaria, quando autem baptizatæ sint aliæ plebes gentium, quibus Apostoli epistolas miserunt, non est utique scriptum, et tamen etiam ipsas baptizatas utique minime dubitamus propter illam Domini sententiam : « Nisi » quis renatus fuerit ex aqua et » Spiritu sancto, non intrabit in re- » gnum cœlorum. » [1] Porro Evodius qui Antiochenam Ecclesiam primus rexit, post Apostolum Petrum, in epistola τῷ φῶτι inscripta, retulit Christum Petrum suis manibus baptizasse: « Christus, » inquit, « manibus ipse suis Petrum tantummodo baptizavit : Petrus porro Andream et filios Zebedæi : ii deinceps reliquos Apostolos. Septuaginta autem illos Petrus et Joannes, Theologus dictus, baptizarunt. » [2] Clemens Alexandrinus id etiam suo libro dicto Hypotyposeon inseruit. [3]

39. *Obj.* 4. Apostoli nonnisi a Christo baptizari potuerunt, qui tamen neminem baptizavit; quum enim retulisset Joannes rumorem ad Pharisæos perlatum Jesum baptizare, animadvertit : « Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus. » [4]

40. *Resp.* Jesum ipsum quosdam baptizasse constat ex Joannis relatione : « Venit Jesus et discipuli ejus in terram Judæam : et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. » [5] Quod postea dicit intelligendum est de plurimis deinceps baptizatis, quos discipulorum opera eum suscepisse ritum adnotat. Non alia videtur ratio cur Joannes, ex sua sententia loquens, nullaque adjecta explicatione, Jesum baptizasse jam affirmaverit. Optime igitur Cornelius a Lapide adnotat Christum baptizasse « non tam per se quam per suos discipulos, quos tamen ipse prius baptizabat. » [6]

41. *Obj.* 5. Joannes suum baptismum aqua collatum a Baptismo Christi, qui fit Spiritu sancto, omnino distinguit : « Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. » [7]

42. *Resp.* Humilis Christi Præcursor agnovit se nonnisi aqua baptizare, quippe qui non potuit ritui illi ullam indere vim; Christum autem in Spiritu

(1) Aug. ep. cclxv. alias cviii. ad Seleuciam.
(2) Apud Nicephorum Hist. Eccl. l. ii. c. iii.
(3) L. 5. Hypotyp. apud Joannem Moschum, in Prato spirituali c. clxxvi.
(4) Joan. iv. 2.
(5) Joan. iii. 22.
(6) In locum.
(7) Joan. i. 33.

sancto baptizare, quia gratiæ est auctor. Id de gratia quæ pœnitentibus collata est occasione baptismatis Joannis intelligere licet, sicut de Baptismo a Christo instituendo, qui jure optimo designatur Spiritus sancti, ob divinam virtutem illi insitam. Cæterum aqua, veluti instrumento, conferri hanc gratiam liquet ex Christi verbis ad Nicodemum, et ex Apostolorum rebus gestis.

43. *Obj.* 6. Baptizare idem est ac *initiare cognitione Evangelii*, ideoque in cultores Patris, et Filii, et Spiritus sancti jussi sunt Apostoli ut initiarent quos docerent, quin aliqua facienda esset corporis ablutio.

44. *Resp.* Nullo exemplo probatur initiandi significationem huic voci convenire: quod enim profertur a nonnemine, est quod in quæstione versatur testimonium. Equidem, omnibus fatentibus, vox in aquam mergere significat; quæ ad ablutionem quamcumque designandam a scriptoribus judaicis et christianis, haud inusitata licentia usurpatur. Sed alius quicumque sensus ei tribui non potest nisi translatus. In mandato hujusmodi alienus sensus quærendus sane non est: mandata enim legesque verbis claris obvioque sensu solent ferri.

45. *Obj.* 7. Verba Christi commode explicantur de doctrina cum potestate Spiritus conjuncta; non enim docere tantum, sed baptizare jubentur, in id scilicet totos incumbere ut divina Spiritus gratia auditorum corda tangat et convertat ad Patrem, Filium, et Spiritum sanctum: [1] εἰς τὸ ὄνομα, in virtutem et potestatem eorum; hæc est enim verborum vis juxta Scripturarum usum. De ablutione nihil dicitur.

46. *Resp.* Baptizare, uti diximus, abluere mergendo significat, nec ad doctrinam potest referri, de qua Christus Apostolis mox antea mandaverat: μαθητεύσατε. Translati sensus nullum datur indicium, quamvis enim *nomen* virtutem et potestatem designet sæpius in Scripturis, tamen nullus occurrit locus in quo baptizare in nomen, docere cum potestate significet. Quum Petrus dixisset aquam non posse denegari ut baptizaretur Cornelius cum suis, « jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi; [3] quod de ablutione aqua facta omnes, ne Quakeris ipsis exceptis, intelligunt. [4] Porro si velint Apostolis mandatum ut Spiritu sancto baptizarent, id absonum est: nam Dei est tangere corda, hominis externum præstare ministerium.

47. *Obj.* 8. Apostoli revera baptizarunt Spiritu sancto; « sermo meus, inquit Paulus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis. » [5] Et alias: « Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto. » [6]

48. *Resp.* Apostoli prædicarunt, a Spiritu sancto moti, et Spiritus sua gratia permovit audientium corda, ut crederent in salutem, imo et prodigiis testimonium præconibus suis perhibuit: sed Apostoli nequaquam baptizasse Spiritu sancto dicendi sunt, quum hoc sit animam ipsam sanctificare, quod divini Spiritus est opus.

49. *Obj.* 9. Paulus ad Romanos scri-

(1) « Baptizing with the Spirit is somewhat further than teaching or informing the understanding, for it imports a reaching to and melting the heart, whereby it is turned as well as the understanding informed. » Barclay, Apology, Prop. xii. § viii. (2) Ps. liv. 3. Cant. i. 3. Prov. xviii. 10. a Barcla cit.

(3) Act. x. 48.

(4) « This fact, as stated by the sacred historian is fully admitted. » Essay on Baptism, by Enoch Lewis, Philadelphia, 1839.

(5) I. Cor. ii. 4.

(6) I. Thess. i. 5.

psit : « Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos »[1] Corinthios a se genitos in Christo Jesu dicit : « nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. »[2] Ergo non repugnat ut dicantur Apostoli Spiritu baptizare.

50. *Resp.* Ministerio suo recte dicuntur Apostoli gratiam impertiri, hominesque gignere Deo, quia ea præstant quibus Christus divinam alligavit virtutem. Ideo dici possent baptizasse Spiritu sancto, quatenus aqua abluerunt homines, Spiritu sancto simul emundante animam. Sed repugnat ut baptizent Spiritu sancto, corda sanctificando, quod dicendum foret si aqua Baptismus in mandato non intelligatur.

51. *Obj.* 10. Apostoli, tamquam instrumenta Christi, baptizare Spiritu sancto dicuntur, tum *ordinaria*, tum *extraordinaria* ratione.[3] Pariter dæmonia ejecerunt, mortuos suscitarunt, aliaque patrarunt prodigia, non sua, sed Christi potestate. Verbum prædicantes, vi quadam ac efficacia Spiritus comitante, corda converterunt, ideoque *ordinaria* ratione Spiritu baptizasse dicendi sunt; *extraordinaria* autem, dum manuum impositione Spiritus dona conferrent, vel etiam dum Spiritus indicia manifesta darentur, iis concionantibus. De *ordinaria* illa Spiritu baptizandi ratione loquitur Paulus, dum Galatis se ministrare Spiritum dicit : « Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis : ex operibus legis, an ex auditu fidei? »[4] *Extraordinariam* rationem in eo videre est, quod Petro edocente Cornelium suosque contigit. « Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. »[5] Sic etiam de Petro et Joanne refertur : « Imponebant manus super illos » (*Samaritanos*) « et accipiebant Spiritum sanctum. »[6]

52. *Resp.* Apostoli jussi sunt baptizare, quin adjicerentur voces illæ *Spiritu sancto*, quæ proinde nullatenus admittendæ sunt, ut opus sit excogitare rationem seu ordinariam, seu extraordinariam, qua Spiritu sancto baptizasse censeantur. Cæterum Apostolos, tamquam Christi instrumenta, dare potuisse Spiritum sanctum non negamus, eos scilicet peragere ritus, quibus Christus Spiritus sancti dona impertiri voluit. Haud tamen baptizarunt Spiritu sancto prædicando; nam concionibus hanc non alligavit virtutem Christus, sed ipse sibi servavit munus mentem illustrandi cordaque tangendi, pro occultis et æquissimis judiciis suis, demandato Apostolis docendi munere. Quod autem Paulus dicat Galatas accepisse Spiritum ex auditu fidei, significat occasione prædicationis Apostolicæ Spiritus dona illis collata, acceptò scilicet Baptismo et manuum impositione facta, prout Petrus pollicitus est Judæis sua concione ad pœnitentiam et studium salutis commotis.[7] Qui autem tribuit Spiritum, et operatur virtutes, ipse est Deus : nec enim Apostolus se tribuere Spiritum innuit, sed Deo suum servat honorem. Petro prædicante, Spiritus sanctus se cordibus audientium illapsum esse manifestavit, qui Spiritu sancto baptizati idcirco dicuntur : sed

(1) Rom. i. 11.
(2) I. Cor. iv. 15.
(3) Objectionem mutuamur a libello : « A Treatise concerning Baptism. » etc. by J. Pike.
(4) Gal. iii. 2.
(5) Act. x. 44.
(6) Ibid. viii. 17.
(7) Ibid. ii. 38.

absit ut Petrus dicatur eos divino illo Spiritu baptizasse : nam dona illa tribuit, et miros illos effectus « operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » [1] Non fuit penes Petrum facere concione sua ut Spiritus illaberetur, quod ad divinam voluntatem prorsus referendum est. Quod autem Samaritani, eo et Joanne manus imponentibus, Spiritum sanctum acceperint, non potest baptizandi munere Apostolis demandato intelligi : jam enim a Philippo baptizati fuerant. Igitur nec ordinaria, nec extraordinaria baptizandi Spiritu sancto ratio exquirenda est, ut mandatum explicetur, sed simplici vocis acceptationi inhærendum. Comparatio a miraculis deducta non valet : Apostoli enim ea recte dicuntur patrasse, quia eorum opera facta sunt : sed Baptismus Spiritu sancto directe respicit animæ sanctificationem.

53. *Obj.* 11. Nullam verborum formulam præscribi Christi mandato liquet ex libertate quam sibi sumpserunt Apostoli, baptizandi scilicet in nomine Jesu, [2] quin unquam baptizasse dicantur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. [3] Ergo in Jesu discipulos adsciti sunt credentes, aqua quidem nonnumquam ex prudenti œconomia abluti, sed plerumque Christi tantum Baptismo, Spiritu sancto scilicet emundati.

54. *Resp.* Baptismus in nomine Jesu intelligebatur ille quem Christus instituit, quique Spiritu sancto, una cum Patre et Filio, invocato conferebatur, adeo ut quum quidam baptizatos se profitentes, Spiritum sanctum ignorarent, quæreret mirabundus Paulus qua ratione baptizati fuerint. Certior factus eos Joannis baptismum tantum accepisse, de Jesu, cujus adventui Joannes populum ritu illo præparaverat, eos edocuit, et Baptismum quem Jesus instituit iis administrandum curavit : « His auditis, baptizati sunt in nomine Jesu. » [4] Quod sacer auctor non retulerit verborum formulam ab Apostolis adhibitam contigit, quia res gestas breviter narravit, ritibus sacris haud descriptis enucleatius. Sed de verbis usurpatis nulla potest esse dubitatio, si mandatum respiciatur, et constans Ecclesiæ per omnia sæcula consuetudo.

55. *Obj.* 12. Si Christi ad Nicodemum sermo de ablutione aqua facienda intelligeretur, sequeretur neminem posse regnum cœlorum ingredi, qui aqua baptizatus non fuerit : id autem nequidem a Catholicis affirmatur, qui fatentur martyres, aqua non ablutos, suo sanguine baptizari, et alios qui cupiunt aqua ablui baptismali, cœlestem posse adipisci gloriam, si pœnitentes, et Deum diligentes e vivis erepti fuerint, antequam susceperint Baptismum.

56. *Resp.* Sententia illa Christi, prout sonat, accipienda est, quæ spem salutis tollit ei qui ex aqua et Spiritu sancto non renascatur. Cæterum ex ea renasci merito censetur, qui ea vehementer cupit ablui : apud Deum enim sincera animi voluntas pro re ipsa accipitur, quoties externa deest occasio. Martyres idcirco aliique morte prærepti, dum cupiunt Baptismum, ingrediuntur cœlorum regnum, quia ea gaudent nativitate quæ lavacro contingit. Quod si de iis sit sermo qui Baptismi institutionem ignorant, vel desiderium concipere nequeunt, sanguis Christi causa fusus, hostium fidei furore, merito habetur lavacri instar. Præclare Augustinus : « Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro

(1) I. Cor. xii. 11.
(2) Act. x. 48.
(3) Barclay, Apology, Prop. xii. §. viii. Objectio hæc contra verborum formulam eo dirigitur, ut aqua adhibita denegetur.
(4) Act. xix. 5.

Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit : « Si quis non » renatus fuerit ex aqua et Spiritu » sancto, non intrabit in regnum cœ» lorum, » alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit : « Qui me confessus fuerit coram » hominibus, confitebor et ego eum » coram Patre meo qui in cœlis est. » Et alio loco : « Qui perdiderit animam » suam propter me, inveniet eam. » [1]

57. *Obj.* 13. De Spiritu tamquam aqua Christus alibi locutus est, uti certiores nos facit Joannes : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » [2]

58. *Resp.* De Spiritu divino, Apostolos replente, a quo veluti a fonte cœlestis doctrinæ aquæ fluerent, Christus locutus est. Ipsum Spiritum non dicit aquam, sed cœlestia dona quibus credentes, præsertim Apostoli, augerentur, aquis, quibus fœcundaretur orbis terrarum, adsimilat. Hæc figura ex serie orationis satis patet : sitientem enim ad se vocavit Christus, ut biberet, credendo scilicet divinam doctrinam hauriret, et ita aliis ipse fieret fons salutis. Prædixerat Isaias : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris, » [3] homines ad bibendum vocaverat : « Omnes sitientes venite ad aquas. » [4] Præterea explicata est figura ab Evangelista, qui tamen nihil dixit quo aqua priori loco Spiritum sanctum designaret.

59. *Obj.* 14. Christus aquam siluit, dum suam mentem magis vellet explicare, de sola Spiritu nativitate verba faciens : « Quod natum est ex Spiritu, spiritus est, » et venti flantis, ex qua parte, vel quo, nescimus, adducta similitudine, addit : « Sic est omnis qui natus est ex Spiritu. » [5]

60. *Resp.* Semel explicata a Christo ratione qua quis iterum nasceretur, opus non erat eam iterum inculcare. Perrexit ergo ostendere secundam nativitatem omnino requiri, quin modum repeteret : « Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex Spiritu, spiritus est. » [6] In hanc vitam nascimur, a parentibus geniti, sed ad vitam æternam capessendam ex Spiritu nascamur oportet. Divini illius Spiritus in cordibus nostris motus experimur, quin eorum auctorem semper agnoscamus. Sic omni qui natus est ex Spiritu contingit, scilicet miro Spiritus opere fit filius Dei. Ad venti similitudinem quod attinet, non constat vocem *spiritus* ventum eo loci designare, quum potius ex serie orationis idem Spiritus de quo mox locutus fuerat Christus sit intelligendus, præsertim quum voluntas ei tribuatur, quæ vento, nisi sensu minus proprio, haud convenit. Ita plerisque Patribus visum est. Quod si Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, aliisque ex veteribus, cum tota turba recentium interpretum protestanticorum, assentiamur, venti comparationem illic agnoscentibus, nihil inde contra aquæ necessitatem, quum nativitas Spiritu fiat, gratiæ motibus occultis, sed aqua veluti instrumento. Sic Cyrillus Alexandrinus a vento ad Spiritus sancti afflatum transitum agnoscit : « Exemplis ergo et figura in cognitionem Nicodemus deducitur. Spiritus enim hic, ait, aereus, per uni-

(1) De Civ. Dei l. xiii. c. vii.
(2) Joan. vii. 38.
(3) Isaiæ xii. 3.
(4) Ibidem lv. i.
(5) Joan. iii. 6. 8.
(6) Ibidem iii. 6.

versum, ut vides, orbem quotidie perflat, et quovis decurrens, solo adesse sono cognoscitur: nec cernitur ulli, sed tenuissima quadam aura humana corpora tangens, operationis suæ imprimit sensum. Sic igitur a parvis, quasi manu ad majora ductus spiritalem intelligere generationem: sicut in imagine quadam in dicta rei sensibilis similitudine, sensibilis insensibilia collige. »[1]

61. *Obj.* 15. Christus Nicodemo exprobravit quod rem adeo notam ipse, magister licet et princeps Israeliticus, ignoraret: « Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? »[2] Si autem de nativitate aqua egisset, nullus fuisset locus exprobrationi, nec enim eam nosse potuisset.

62. *Resp.* Nicodemus magisterio fungens, et, uti ex illis Christi verbis colligitur, sua scientia elatus, debuit nosse hominem non esse regno cœlesti idoneum, nisi Deo nasceretur. Potuit etiam ex vaticiniis colligere aquam veluti instrumentum adhibendam ut animæ sordes abluerentur: » Effundam super vos, » dixit Deus per Ezechielem, « aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. »[3] Merito illi iterato postulanti: « Quomodo possunt hæc fieri? » exprobravit Jesus tantam hebetudinem, et divinæ potestatis ignorationem.

63. *Obj.* 16. Ipse Calvinus, aqua Baptismum licet agnoscens, fatetur verba Christi de nativitate ex aqua et Spiritu sancto, intelligenda esse de Spiritu sancto, aquæ instar, mundante animam; « quasi diceret, per Spiritum qui purgando et irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur. »[4] Sic quæ de Baptismo Spiritus sancti et ignis dicuntur, de Spiritu sancto, ignis instar, animæ exurente sordes, eamque amore divino incendente, recte explicantur. Equidem Joannes suum baptismum a Baptismo Christi distinguebat in eo quod ipse aqua ablueret corpus, Christus vero igne divini Spiritus accenderet animam: « Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. »[5]

64. *Resp.* Nihil favet illi interpretationi verborum Christi, quum aqua primo loco nominetur, veluti res quæ primum in Baptismo sese offert; et Christus baptizare jusserit Apostolos, et Apostoli ei obtemperando aquam noscantur adhibuisse.[6] Hæc quidem symbolum est et imago puritatis quam tribuit Spiritus sanctus, animam a peccati sordibus mundando, sed revera jussa est adhiberi, nec id negat Calvinus, quamvis, suo ingenio indulgens, ad metaphoram verba Domini detorqueat: sed nihil nos moratur ejus auctoritas. Locus qui objicitur non est *parallelus*: nec enim ignis prius ponitur, veluti res quæ in Baptismo sese offert sensibus, sed Spiritui sancto subjungitur, tamquam Baptismi illius comes vel effectus. Præterea quum metaphora necessario agnoscenda sit, dum baptizari igne quis dicitur, sensus translatus se prodit. Non ita dum de nativitate cœlesti ex aqua et Spiritu sancto agitur: nam penes Deum est aquam instrumentum adhibere, eique Spiritus sancti indere virtutem, ut quis Deo nascatur. Igitur ex verborum ipsorum discrimine et ex loquendi usu, diversa utriusque loci interpretatio oritur, præsertim quum plurima præsto sint testimonia

(1) In Joan. l. II. c. xliv.
(2) Joan. iii. 10.
(3) Ezech. xxxvi. 25.
(4) Inst. l. iv. c. xvi, n. 23.
(5) Matth. iii. 11.
(6) « That the term ὕδατος must be understood of baptism, is quite plain from Titus iii. 5, and other passages. » Bloomfield.

quæ obviam aquæ significationem ostendant. S. Cyrillus Alexandrinus Christi verba prout sonant intelligit : « Rejectis velaminibus, ut imbecilliori Salvator loquitur : « Nisi enim quis » inquit, « ex aqua et Spiritu natus fuerit, » non potest in Dei regnum introire. » Nam quum non simplex, sed compositus ex corpore sensibili et intellectuali anima homo sit, duplici quodam ad generationem indiget modo, qui duplicitate sua ad utrumque possit accommodari : Spiritu enim sancto spiritus hominis, aqua vero corpus sanctificatur. » [1] Quod autem Joannes se aqua baptizare in pœnitentiam dixerit, suum baptisma significat eo tendere, ut quisque ad pœnitentiam excitaretur, abluendi animæ sordes causa : quum Christus Spiritum sanctum suo Baptismate tribueret. De aqua siluit, quia non ea ratione præstaret Christi Baptisma suo, sed gratia Spiritus sancti.

65. *Obj.* 17. De diluvio, in quo pauci homines in arca servati sunt, loquens S. Petrus, Baptismo nos servari pariter docet; quod ne quis de ablutione aqua facta intelligat, diligenter animadvertit : « Quod et vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma : non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi. » [2] Ἀντίτυπον vocat Baptisma Christi, scilicet quod typo respondet, Spiritu sancto scilicet fit, cujus gratiam salutarem aqua qua arca sustentata est significavit. [3]

66. *Resp.* Non hæc dicit Petrus ut aquam deneget adhiberi in Baptismo : nam, eo jubente, Cornelius suique aqua abluti sunt. Recte autem monet ipsam corporis ablutionem, quæ ad carnis sordes emundandas nata est, non esse rem præcipuam; nam conscientia bona, fide scilicet illustrata, et ad divina mandata parata, necessaria est, ut quis adultus resurgat e peccato. Igitur baptizatus renascitur, vi Christi resurrectionis, dummodo nullum obicem prava conscientia objiciat. Quod autem Baptisma Christi typum impleat veterem, ex gratia Spiritus sancti, quæ aquæ veluti adnectitur, fit; nec enim necesse est ut res ipsa nihil sensibus objiciat typo simile.

67. *Obj.* 18. Paulus gloriatur se paucos baptizasse, seque omnino haud missum a Domino ut baptizaret dicit : « Gratias ago Deo quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium : . . . baptizavi autem et Stephanæ domum : cæterum nescio si quem alium baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. » [4] Quod igitur quosdam aqua abluerit, factum est ex eadem œconomia, qua ritus alios judaicos ad tempus servaverit : quod de cæteris Apostolis pariter dicendum est.

68. *Resp.* Quum Corinthii partium studio scinderentur, aliis Pauli, aliis Apollo, aliis Cephæ, aliis Christi se discipulos profitentibus, vehementer eos redarguit Paulus, eisque in memoriam revocat Christi nomine, non suo, eos esse baptizatos : « Divisus est Christus ? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis ? aut in nomine Pauli baptizati estis ? » Gratias igitur agit Deo se paucos ex illis baptizasse : « Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. » Se autem ad evangelizandum missum, haud ad baptizandum dicit, quia Deus voluit ejus opera in prædicanda Evangelii veritate præsertim uti, quum alii possent Baptismum ministrare. Sic Petrus aliis demandavit munus baptizandi Cornelium cum suis : « jussit eos baptizari. » [5] Omnes ad quos scripsit Paulus baptizatos fuisse

(1) In Joan. l. ii. c xlii.
(2) I. Pet. iii. 21.
(3) Barclay prop. xii. Proof 4, § iv.
(4) I. Cor. i. 14. (5) Act. x. 48.

liquet; quum argumentum ex nomine illius in quo baptizati sunt, alias non haberet vim. Ipsum autem et alios Apostolos œconomia et indulgentia erga Judæos hac in re usos nullo documento ostenditur, quum ritus non foret judaicus homines abluere aqua, tribus divinis personis invocatis, et Apostoli constanter eum commendarint veluti unicuique prorsus necessarium : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus sancti. » [1] Ita respondit Petrus Judæis quærentibus quid sibi faciendum esset. Objectionem hanc, a Cajanis olim prolatam, præclare solvit Tertullianus : « Sed de ipso Apostolo revolvunt, quod dixerit, « Non enim me ad tinguendum Christus » misit, » quasi hoc argumento Baptismus adimatur. Cur enim tinxit Caium et Crispum, et Stephanæ domum? quamquam etsi non eum miserat Christus ad tinguendum, tamen aliis Apostolis præceperat tinguere. Verum hæc pro conditione tunc temporis ad Corinthios scripta sunt, cum schismata et dissensiones inter illos movebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus Apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad tinguendum ait se missum, sed ad prædicandum. Nam et prius est prædicare, posterius tinguere. Sed sit prius prædicatum : puto autem, licuit et tinguere, cui licuit prædicare. » [2]

69. *Obj.* 19. Apostolus veteres ritus, qui jam abolendi erant, recensens, baptismata iis accenset : « Quæ parabola est temporis instantis : juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. » [3]

70. *Resp.* Agit Apostolus de variis baptismatibus, scilicet de corporis totius ablutionibus, de lustrationibus, et de aliis lotionibus quæ in lege præscriptæ sunt, quæque *justitiæ carnis* merito dicuntur, quia ad carnis munditiem referebantur. Cæterum totius corporis lotiones pleræque fiebant absque aliena opera, [4] quum ritus Christi aliena manu indigeat : nemo enim se baptizare valet. « Unum Baptisma » Christianorum prædicat, quo scilicet universi abluuntur, et quod semel suscipitur, et cordis affert munditiem, Spiritus sancti gratia. Ideo dicit : « Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda. » [5]

71. *Obj.* 20. Apostolus dicit : « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. » [6] Id de omnibus aqua ablutis dici nequit, sed de iis qui Spiritu sancto baptizati sunt. Liquet etiam inde non omnes fuisse in Christo baptizatos. Alias dicit : « An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. » [7] Ad Colossenses scribit : « Consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei. » [8]

72. *Resp.* Apostolus agit de adoptione qua gaudemus in Christo, et conditionem nostram cum Judæorum servitute

(1) Act. ii. 38.
(2) L. de Baptismo c. xiv. (3) Heb. ix. 9.
(4) Moysi præceptum est ut Aaron et filios ejus lavaret aqua, eos sacerdotio initiaturus. Exod. xxix. 4.
(5) Heb. x. 22.
(6) Gal. iii. 27.
(7) Rom. vi. 3, 4.
(8) Col. ii. 12.

comparat : « Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber ; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. » [1] Omnes igitur baptizati sunt in Christo, et Christum induerunt, facti unum in ipso, adsciti scilicet in Dei filios. Id dicendum de omnibus aqua Baptismi lustratis; licet contingere possit quosdam, sui culpa, gratia quæ adoptioni adnectitur carere. Non statuit Apostolus duas veluti classes, sed universos alloquitur, eosque a lege judaica liberos probat, ex eo quod in filios Dei, Christi Baptismo, adsciti sint. Ad Romanos autem scribens, ex Baptismo suscepto ostendit oportere peccatum prorsus effugere, quum Christi mortis et sepulturæ Baptismus sit imago : quapropter baptizatos cum Christo resurgere oportet, novam cœlestemque vitam ducendo. Omnes baptizati recte dicuntur consepulti Christo in Baptismo, quia baptizandi solemnis ratio sepeliendi ritum quodammodo exhibebat, et resurrexisse etiam per fidem operationis Dei; nec enim necesse est ex generali illa locutione excipere eos qui sua culpa non resurgunt.

73. *Obj.* 21. Apostolus omnes Christianos Spiritu sancto baptizatos dicit : « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi ; et omnes in uno Spiritu potati sumus. » [2]

74. *Resp.* Non hæc dicta sunt quod Spiritu, non aqua, baptizati sumus, sed quod idem Spiritus nos sanctificaverit omnes Baptismo. Ipsa vox baptizandi aquam includit, nisi ex adjunctis ad alium sensum transferatur. Equidem solo Spiritus Baptismate in unum corpus coalescere non possemus, nec enim quis novit se aliumve Spiritu baptizatum : sed ablutione, quæ res sensibus subjacet, initiamur, et Ecclesiæ conjungimur, uti contigit tribus hominum millibus, qui, Petro concionante et hortante, Baptismum susceperunt : « Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt : et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. » [3]

75. *Obj.* 22. Petrus ipse Joannis baptisma a Christi Baptismate discerni docet, eo quod aquam ille adhiberet, hic Spiritu sancto baptizaret, gratia absque ullo lavandi ritu tributa. De Cornelio et suis narrat : « Cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat : « Joannes quidem » baptizavit aqua, vos autem baptiza- » bimini Spiritu sancto. » [4]

76. *Resp.* Petrus quidem, visis indiciis Spiritus sancti in corda Cornelii et suorum illapsi, Christi verba in iis impleta agnovit, scilicet Spiritu sancto baptizatos esse, licet adhuc salutari lavacro abluti non essent. Illud tamen divini favoris argumentum adhibuit, ut Judæis adstantibus suaderet licere illos aqua abluere, ut Baptismo Christi fierent discipuli, et bonorum omnium quæ hominibus comparavit consortes.

77. *Obj.* 23. Aqua nonnisi externa forma, et imago haberi potest internæ a Spiritu sancto factæ ablutionis. Ergo nullius per se momenti est, nec enim ea indiget Spiritus sanctus ut dona sua largiatur.

78. *Resp.* Aqua una cum invocatione trium personarum divinarum ex Christi mandato adhibenda est, cui ritui ipse

(1) Gal. iii. 26—28.

(2) I. Cor. xii. 12. Objectionem sumimus ex libello dicto : « A Treatise concerning Baptism and the Supper, » by Joseph Pike. London, MDCCIX.

(3) Act. ii. 41.

(4) Act. xi. 15.

adnexuit virtutem illam cœlestem mundandi animam. Nullius foret momenti, nisi eum ipse jussisset faciendum : sed jam summi est momenti, quum nonnisi amplectendo quæ præbet nobis salutis subsidia, possimus gratiam assequi. Non indiget ritu aliquo Spiritus sanctus, quo dona sua impertiatur : sed sapientissimo consilio ritibus quibusdam vim indidit, ut homines instrumenta et pignora gratiæ haberent.

79. *Obj.* 24. « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, » [1] juxta Apostolum. Sed duo erunt baptismata, si ablutio aqua fiat, Spiritu sancto interius animam abluente.

80. *Resp.* Mens est Apostoli Christianos omnes eumdem colere Dominum, eamdem profiteri fidem, et eodem ablui lavacro. Unicum est Baptisma, ablutio scilicet aqua facta, invocatis Patre, Filio, et Spiritu sancto. Quod interius simul abluatur anima Spiritus sancti gratia, est Baptismatis effectus, quem Christus Dominus externo illi ritui alligavit. Baptizari autem quis Spiritu sancto dicitur sensu translato : nec enim abluit Spiritus sanctus animam, prout sonant verba, sed tollit peccatum, et animam efficit, dono gratiæ, Deo acceptam.

81. *Obj.* 25. Baptismus aqua collatus a Joanne figura fuit Christi Baptismatis, cui proinde cedere debet. Ergo Christo baptizante jam Spiritu sancto, desiit Baptismus aqua.

82. *Resp.* Quam faciebat Joannes aqua ablutio, eo consilio est facta, ut homines pœnitendo animæ munditiem quærerent, et ita pararentur Christi adventui. Desiit ille ritus, postquam Christus misit Apostolos in universum mundum, mandans ut baptizarent, Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomine. Ablutio quidem aqua fieri non desiit, sed ex invocatione patebat discrimen ; et effectus longe præstantior inde sequebatur. Ideo autem suum baptismum aqua fieri dixit Joannes, Christum vero Spiritu sancto baptizaturum, ut illum omnis gratiæ agnosceret auctorem, animosque eveheret ad desiderandum Baptismum tam longe suo præcellentem.

83. *Obj.* 26. Baptismus aqua erat apud Judæos ritus initiandi proselytas, quem ab ethnicorum sacris mutuati videntur. Morem illum jam vigentem ad tempus servarunt Apostoli, ut hos ad Christi cultum facilius traducerent.

84. *Resp.* Docti homines de more illo disceptant, utrum ante Christi tempora extiterit, vel serius inductus sit. Quod si Spencero assentiri velimus affirmanti eum prius extitisse, [2] nequaquam concedendum est Judæos ethnicorum, a quorum abhorrebant moribus, ritum mutuatos esse. Quum lotiones plurimæ lege præscriberentur, inde ritus baptizandi proselytas, si quidem extiterit, repetendus est, ut scilicet munditiem illis commendarent. Cæterum Apostoli Christum habuerunt magistrum, ejusque obsecuti sunt mandato.

85. *Obj.* 27. Apostoli circumcisionem legisque ritus commendarunt, et servarunt, quin ideo eorum sequi cogamur exemplum.

86. *Resp.* Immane est discrimen : Judæis quippe legis rituum observantiam Apostoli permiserunt, ethnicos ab illo onere immunes facientes, quibus ad fidem conversis ne circumciderentur dissuasit Paulus, [3] qui plurimis verbis legis finem advenisse sæpissime urgebat. E contra Baptismum unicuique injunxerunt, tamquam ra-

(1) Eph. iv. 5.
(2) Spencerus de legibus Hebræorum ritualibus, l. iv. c. xiii.
(3) Vide epist. ad Galatas, et epist. ad Hebræos.

tionem qua peccata remittuntur, et gratia Spiritus sancti confertur.

Animadversio.

87. Aquam prorsus necessariam esse Baptismo probavimus, adeo ut nullis in rerum adjunctis, vel gravissima quacumque urgente necessitate, liquor alius adhiberi queat, quum adhibitus nil prosit. Turpiter igitur erravit Lutherus, dicens quidquid balnei loco esse potest, baptismo idoneum esse. [1] Quævis autem aqua, seu fluminis, seu fontis, seu e cœlo imbribus delapsa, idonea est Sacramento, quamvis, nisi urgeat necessitas, precibus sit sacranda, uti postea, dum de Baptismi ritibus agendum fuerit, dicetur.

CAPUT II.

DE MODO BAPTIZANDI.

88. Quum ex hactenus dictis constet aquam in Baptismo necessario adhibendam, jam occurrit gravis controversia in his regionibus admodum agitata, qua scilicet ratione Baptismus sit ministrandus. Id quidem pro explorato habendum est immersionis totius corporis in aquam ritum ab initio rei christianæ per plura sæcula viguisse, nec aliam plerumque adhibitam rationem baptizandi, nisi urgente necessitate. Constat etiam morem infundendi aquam, vel ea aspergendi corpus, caput vero præsertim, utpote præcipuum membrum, obtinuisse, primum quidem, necessitate urgente, deinceps ob infantium teneram conditionem, et septentrionalium regionum frigus, universe, adeo ut per plura sæcula omnes vel fere omnes ita fuerint baptizati.

89. Sæculo decimo septimo *Baptistarum* secta orta est, anno circiter 1637; tunc enim quidam ex asseclis Uke Wallis, rustici Frieslandia oriundi, qui inter anabaptistas *Gröningenistæ* a loco, *Dompelers*, scilicet *Immersores*, a ritu mergendi audiebant; hanc inter suos induxerunt consuetudinem. [2] In Anglia paulo antea quidam Baptistarum nomine innotuerunt. [3] In Fœderatis his provinciis haud parvo numero reperiuntur. Ab Anabaptistis decimi sexti sæculi distinguendi omnino sunt, quamvis cum iis conveniant in impugnando parvulorum Baptismo, ab aliis eorum principiis omnino abhorrentes. Contendunt Baptistæ Baptismum nonnisi immersione conferri posse. [4] Presbyteriani [5] e contra, Episcopales, et Methodistæ alias quoque baptizandi rationes agnoscunt.

(1) In Coll. sympos. c. xvii.

(2) « In 1637, he (*Uke Wallis, a Friesland peasant*) collected a party of individuals. The Uke-Wallists, or *Groningenists*, so called because the sect arose in the territory of Gröningen, received the malcontents of the united parties, and therefore called themselves emphatically the *ancient Flemingians*, or the ancient Frieslanders; but by their adversaries, they were denominated the *Dompelers*, i. e. *Dippers*, because some of their churches used, in baptism, the three-fold immersion of the whole body. The other Anabaptists, on the contrary, regarded the sprinkling of the head as sufficient. » *Encyclopædia Americana, article* Anabaptists.

(3) « The Anabaptists are not, however, to be onfounded with the Baptists, by whom their principles were expressly disclaimed. We may date the first public acknowledgement of the Baptists as distinct from the Anabaptists from their petition to Parliament in 1620. » The whole number of Baptist churches in the United States was, in 1824, about 5,600; that of the communicants about 407,684. *Encyclopædia Americana, art.* Baptists.

(4) « Immersion, or dipping of the person in water, is necessary to the due administration of this ordinance » Baptist Confession of faith, ch. xxx.

(5) « Dipping of the person into the water is not necessary; but baptism is rightly administered by pouring, or sprinkling water on the person. » Presbyterian Confession of Faith, ch. xxviii. n. iii.

90. Catholica Ecclesia omnem probat baptizandi rationem, seu immersione, seu infusione, seu aspersione, quæ scilicet haberi possit corporis ablutio; sed ordinis causa, eum servari præcipit ritum qui invaluit. Ideo infusione plerumque baptizatur, immergendi ritu in Ecclesia Mediolanensi, et apud Græcos retento, quamvis apud hos non totum submergatur corpus, sed puero in fonte magna ex parte demerso, capiti ejus infunditur aqua : quæ ratio baptizandi apud veteres sæpe obtinuit. Orientales etiam immersione plerumque utuntur; infusione vel aspersione nonnumquam. [1]

91. De valore Baptismi infusione seu aspersione collati non habetur specialis definitio, quia controversia hæc recentior est; sed ex Ritualibus et ex consuetudine Ecclesiæ, liquet utramque valere. « Baptismus, » verba sunt Ritualis Romani, « licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians. » [2] Porro Concilium Tridentinum quæ obtinet in Ecclesia Romana de Baptismo doctrinam veram esse, solemni lato canone, definivit : « Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit. » [3]

Propositio.

Valet Baptismus infusione vel aspersione collatus.

92. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christus dum baptizandi munus Apostolis demandaret, illis se adfuturum pollicitus est ad finem usque mundi, quod sane de eorum successoribus, eodem fungentibus munere, necessario intelligendum est. [4] Ergo fieri numquam poterit ut obtineat apud Apostolorum successores, iisque probetur baptizandi ratio a Christi instituto aliena. Attamen omni sæculo Baptismus, saltem necessitate urgente, infusione vel aspersione administrabatur, jamque ritus hi a pluribus sæculis per totam fere obtinuerunt Ecclesiam. Ergo valor Baptismi iis rationibus collati agnoscendus est, nisi Christum suis haud stetisse promissis, et Ecclesiam penitus e terris defecisse velimus.

93. *Probatur* 2. *ex consuetudine Ecclesiæ.* S. Laurentius, qui ante sæculum tertium medium martyr obiit, Lucilium infusione baptizasse legitur: nam, accepta aqua, eaque benedicta, « fudit super caput ejus. » [5] In Ecclesia S. Laurentii in agro Verano, Romæ, cernitur vetusta imago Laurentii baptizantis Romanum, in pelvi stantem, urceusque exhibetur quem sinistra manu tenens in caput effudit. In actis S. Gratiliani M. Felicissima, ejus opera fidem edocta, legitur urceum aqua plenum ei obtulisse ut Baptismi gratiam consequeretur. In actis S. Bacchi M. præpositus Lauræ S. Sabbæ dicitur effudisse *vivificam urnam* super caput ejus. In actis S. Ludgeri Episcopi refertur eum in expulsione servorum Dei

(1) Euoplia.

(2) Rituale Rom. *De forma bapt.*

(3) Sess. vii. Can. iii.

(4) Optime Oxonienses : « Now you will find, (Matth. xxviii. 19, 20), that our Lord promised to be with His Apostles, in their character of teachers and baptizers of the nations, always, even *unto the end of the world.* » Vol i. Tracts, No. 29.

(5) Tom. iv. in Actis S. Laurentii p. 612.

e Frisia, Beruleno homini laico injunxisse, per domos discurrere, et « persuasis matronis morituros baptizare illorum infantulos, benedicta simpliciter aqua, in nomine Domini intinctos vel superfusos cum invocatione S. Trinitatis. »[1] Hinc Strabo, scriptor noni sæculi, dicit : « Notandum autem non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos fuisse baptizatos, et adhuc posse baptizari, si necessitas sit, sicut in passione beati Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. »[2]

94. Plurima Patrum scripta, Conciliorum decreta et alia antiqua monumenta testantur Baptismum ægrotantibus in lecto decumbentibus administratum infusione, qui *Clinici* idcirco dicebantur. His tamen nemo ausus est Baptismum secundo ministrare, quando ex morbo convaluerint, quamvis ob dilatam usque ad mortis periculum Baptismi susceptionem, merito sint a sacris Ordinibus prohibiti.

95. *Probatur* 3. *Patrum auctoritate.* S. Cyprianus de Clinicis rogatus sententiam, « an habendi sint legitimi Christiani eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi, » respondit : « Nos quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari, et debilitari posse divina beneficia. . . . . Unde apparet aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere. »[3] Adeo constabat baptismum valere, ut de eo iterando nulla fuerit quæstio, sed utrum pari gratia ac juribus eisdem, qui ita fuerant baptizati, fruerentur. Ideo addidit : « Si autem baptizari non possunt qui jam Baptismo ecclesiastico sanctificati sunt, cur in fide sua et Domini indulgentia scandalizentur ? An consecuti sunt quidem gratiam Dominicam, sed breviore et minore mensura muneris divini ac Spiritus sancti, ut habeantur quidem Christiani, non sint tamen cæteris adæquandi ? » Id veluti absurdum merito rejicit.

96. S. Augustinus ait : « Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem. »[4] Ergo, tinctio qualiscumque per fidei verbum, invocationem scilicet Trinitatis, infantem mundat, quia est verus Baptismus.

97. Consonum equidem erat divinæ pietati Sacramentum adeo necessarium ita instituere ut facile possit suscipi, præsertim in mortis discrimine. Innumera autem sunt rerum adjuncta in quibus immersio fieri non valet etiam extra mortis periculum.

Objectiones diluuntur.

98. *Obj.* 1. Aspersio et infusio absque ulla Scripturarum auctoritate inductæ sunt.

99. *Resp.* Quando agitur de ritu a Christo instituto, satis est ostendere quæ sit consuetudo et mens totius Ecclesiæ : hanc enim nobis commendant Scripturæ veluti columnam et firmamentum veritatis. In Scripturis nullibi perspicuis verbis tradi Apostolos infusione vel aspersione baptizasse fatemur. Cæterum non inverosimiliter conjicitur carceris custodem cum suis ita baptizatum : nam « in illa hora noctis, » in qua expergefactus est, post concionem a Paulo, « baptizatus est ipse et omnis domus ejus continuo. »[5] Hæc adjuncta non suadent eos fuisse immersos. De tribus millibus hominum,

(1) Vide apud Martene de antiquis Eccl. rit. l. 1. c. 1. art. xiv.

(2) In lib. de rebus Eccles. c. xxvi.

(3) Ep. ad Magnum.

(4) Tract. lxxx. in Joan.

(5) Act. xvi. 33.

qui Petri concione ad Baptismum quærendum moti sunt, licet etiam conjicere eos non fuisse immersos : « Qui ergo receperunt sermonem ejus baptizati sunt, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. » [1] Cæterum nihil certi affirmare, silente Scriptura, volumus; idque satis homini christiano esse duximus, infusionem et aspersionem adhibitam vetustis temporibus tandem invaluisse, probante Ecclesia, Præsulibus Apostolorum successoribus annuentibus, quibus se Christus adfuturum promisit, baptizandi munere fungentibus usque ad consummationem sæculi. Cum Augustino itaque dicimus : « Insolentissimæ insaniæ est disputare an faciendum sit quod tota per orbem frequentat Ecclesia. » [2]

100. *Obj.* 2. *Baptizandi* vox βαπτίζειν mersionem significat, juxta usum scriptorum, tum profanorum, tum sacrorum. Ergo Ecclesia nihil potuit innovare in eo quod Christus faciendum jussit.

101. *Resp.* Vox βάπτω a qua derivatur, *tingere* significat, quæ plerumque fit mergendo : βαπτίζω significatione, et usu frequentiori *mergere* est; sed et lotiones alias ex judaicorum scriptorum usu, qui præcipue attendendus est, complectebatur. Apud Ecclesiasticum legimus : βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκρου καὶ πάλιν ἁπτόμενος αὐτου, τί ὄφελος ἐν τῷ λουτρῷ αὐτου; [5] « Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? » Lotio autem quæ lege præscripta est, his enuntiatur verbis : « Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. » [4] Aspersio hæc plane baptismus ab auctore Ecclesiastici designatur. Sic manuum usque ad ulnas lotio quæ fiebat a Pharisæis antequam mensæ accumberent, baptismus dicebatur. [5] Quum Christus hanc negligeret consuetudinem, ad prandium apud Pharisæum invitatus, « Pharisæus cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. » [6] Baptismata calicum, et urceolorum, et æramentorum, et lectorum non necessario fiebant mergendo, sed lotiones quacumque ratione facta ita vocabantur. Baptismata Apostolus vocavit generatim Judæorum lustrationes, quarum aliquæ fiebant aspersione. Constat igitur vocem latiori sensu apud Judæos sumi, omnemque ablutionem complecti. [7]

102. *Obj.* 3 Vis vocis, prout in mandato Christi usurpatur, ex usu novi Testamenti definienda est. Liquet autem eam de immersione intelligi; nam « baptizatus Jesus, confestim ascendit de aqua : » [8] et alias : « descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum. » [9]

103. *Resp.* Illa testimonia non probant immersionem designari, quum fieri poterit, ut descenderit in aquam Jesus, eique in alveo fluminis stanti manu infuderit aquam Joannes, prout in vetustis picturis exhibetur. Cæterum esto immersionem ibi indicari, quid vetat vocem aliquando sensu latiori sumi, prout plerisque vocibus contingit?

104. *Obj.* 4. Apostoli munus sibi demandatum optime intellexisse censendi sunt, qui tamen numquam alia

(1) Act. ii. 41.
(2) Ep. c. xviii.
(3) Eccli. xxxiv. 30.
(4) Num. xix. 12.
(5) « Judæis solemne erat nunc χνίπτειν, aqua effusa manus abluere, nunc βαπτίζειν, manus carpo tenus, aquis emergere. » Spencerus De legibus Hebræorum ritualibus l. iv. c. xii §. ii.
(6) Luc. xi. 38.
(7) Marc. vii. 4.
(8) Mat. iii. 16.
(9) Act. viii. 38.

ratione præter immersionem usi noscuntur : Paulus quippe ait : « An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus ? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. » [1] Sepulturæ imago in immersione tantum reperitur.

105. *Resp.* Utique Apostoli Christi voluntatis in sacris instituendis ritibus optimi sunt interpretes, quorum tamen res gestas vel documenta omnia Scripturæ non exhibent. Quod de tribus millibus baptizatis die Pentecostes refertur, infusionem vel aspersionem adhibitam verosimilem facit. Fatemur consuetum et solemnem modum immersione fuisse, ad quam commode refertur quam Paulus recenset sepulturæ imaginem. Cæterum in Baptismo, quacumque conferatur ratione, imago quædam mortis Christi et sepulturæ habetur, saltem quatenus cum Baptismo illa significatio ex christianis institutis connectitur. Hac ratione dicit Apostolus, « quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. » [2] Equidem ex allusionibus haud firmum derivatur argumentum : quod si placeat iis insistere, licebit illud Pauli proferre, quod infusioni favere videatur : « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. » [3] Respondet aptissime vaticinio : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. » [4] Aspersionem indicare videtur Paulus alio loco : « Aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda. » [5]

106. *Obj.* 5. Baptismus, prout a Christo institutus est, omnibus fatentibus, fuit immersione : ergo Ecclesiæ non licuit aliam baptizandi rationem inducere, vel sancire.

107. *Resp.* Christus rationem qua Baptismus conferretur certa lege non definivit, sed baptizare jussit Apostolos, quod, juxta vocabuli usum latiorem, fit lotione quacumque. Igitur mandatum Christi quo immersio præcipiatur non extat. Quod autem aliæ rationes baptizandi obtinuerint, non contigit Ecclesiæ sanctione vel actu, sed ex rerum necessitate. Sensim sine sensu, prout multiplicabantur occasiones minus solemniter administrandi Sacramentum, factum est ut baptizarentur infantes aliique plurimi infusione ob periculum : unde nullo Ecclesiæ decreto, ipsa tamen haud improbante, obtinuit mos ita baptizandi.

108. *Obj.* 6. Ex Justini aliorumque veterum scriptorum testimoniis, ipsis adversariis fatentibus, constat immersionem adhibitam per plurima sæcula : infusionem, in extremo vitæ discrimine, tentatam, timide et dubitanter, adeo ut de ejus valore dubie plerique loquerentur. Cornelius Papa de Novatiano scripsit : « In ipso in quo jacebat lectulo perfusus Baptismum suscepit, si hujuscemodi Baptismum suscepisse dicendus est. » ἔτι χρὴ λέγειν τον τοιοῦτον ἐιλήφεναι. [6]

109. *Resp.* In solemni Baptismo utique immersio fiebat; urgente vero mortis periculo, vel alia gravi necessitate, infusio, vel aspersio. De his rationibus baptizandi non videtur dubitatio fuisse, quamvis dubitarent nonnulli, utrum par gratia iis conferretur. Quæ Cornelii tempore orta est controversia, Novatiano summum Pontificatum sibi perperam usurpante, occasionem præbuit

(1) Rom. vi. 3. (2) Ibidem 6.
(3) Tit. iii. 5.
(4) Ezech. xxxvi. 25. (5) Heb. x. 22.
(6) Apud Euseb. hist. Eccl. l. vi. c. 43.

opportunam huic investigandæ quæstioni, si gravis foret dubitandi ratio. Quum constaret eum ita baptizatum, vix ulla fuisset ei species tituli ad Pontificatum, si ipse Baptismus foret dubii valoris; nec omisissent ejus adversarii id objicere. Quod citatur testimonium Cornelii nullam injicit dubitationem de Baptismi valore, sed vix *suscepisse* Baptismum innuit, animo scilicet libenti, qui nonnisi mortis metu ad eum petendum motus est : « Dum jamjam moriturus creditur. » Ei autem præcipue exprobrat quod sanitati restitutus ritus omissos supplendos haud curaverit, et chrismate liniri neglexerit : « Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent : neque ab Episcopo consignatus est. »[1]

110. *Obj.* 7. Canones dicti apostolici, qui priorum sæculorum referunt ritus et doctrinam, deponendos jubent Episcopos et presbyteros trinam immersionem non servantes.[2] Constantinopolitanum I. Concilium Eunomianos, trina immersione haud ablutos, iterum baptizari jubet,[3] Pelagius II. Bonosianos eadem de causa baptismalibus aquis iterum ablui vult; « Evangelicum vero præceptum, ipso Deo et Domino Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere. »[4]

111. *Resp.* Vis illorum decretorum in numero immersionum ponitur, quatenus tribus personis divinis respondent. Canon ille pseudo-apostolicus eos percellit qui unica immersione in mortis Domini memoriam utebantur : « Si quis Episcopus aut presbyter in una initiatione non tres immersiones, sed unam dumtaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus : In mortem meam baptizate; sed, profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Eunomiani pari ratione vitiabant Baptismum : Eunomius enim, uti refert Theodoretus, dicebat « non oportere ter illum immergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem »[5] Bonosiani « baptizabant solummodo in mortem Christi, » uti refert Pelagius. De ritu immersionis, uti patet, non agebatur in illis decretis, quum illa ab omnibus in solemni Baptismo adhiberetur.

112. *Obj.* 8. Qui obtinuit usus per duodecim saltem sæcula per totam Christi Ecclesiam, quique adhuc apud Orientales servatur, est optimum argumentum ritus a Christo instituti.

113. *Resp.* Usus ille optime probat immersionem esse baptizandi modum validum et legitimum; sed exempla Baptismi aliis rationibus collati, quæ passim occurrunt, etiam primis sæculis, quæque per plura abhinc sæcula fere sola obtinuerunt, ostendunt mergendi ritum ad essentiam haud pertinere. Orientales aspersione aliquando uti, ex testimonio Fausti Naironi Banensis Maronitæ constat, qui de Chaldæis id diserte affirmat.[6] Christi promissio, se baptizantibus adfuturum ad finem usque mundi, non sinit ut existimemus modos baptizandi solemniter adhibitos esse et probatos per totam Ecclesiam, qui nullius sunt valoris.

114. *Obj.* 9. Saltem tutius foret mergendo baptizare, quum in re sacramentaria, fatentibus Catholicis, tutior omnino anteferenda sit sententia, dum de Sacramenti valore agitur.

115. *Resp.* Tutissimum est receptum

(1) Apud Euseb. hist. Eccl. l. vi. c. 43.
(2) Canon v.
(3) Canon vii.
(4) Rescripto ad Gaudentium.
(5) L. iv. hær. fab. c. iii.
(6) Euoplia, Romæ 1694.

et probatum Ecclesiæ morem sequi; nec licet singulis suo arbitrio aliquid innovare. Qui mergeret baptizandos contra disciplinam vigentem, reus violati ordinis habendus foret, et suspicionem haud levem erroris contra fidem præberet, quippe qui veterem ritum affectando, videretur dubitare de doctrina quam Romana tenet Ecclesia de Baptismo, juxta quam valet qui infusione vel aspersione confertur.

Animadversiones.

116. Quæ obtinet apud Baptistas in his regionibus consuetudo in fluminibus et rivulis suos immergendi, quamvis Apostolicæ ætatis exempla quædam jactent, probanda non est: constat enim necessitate primorum illorum temporum, in quibus deerant Christianis sacra ædificia, cessante, ad consulendum pudori, et Sacramenti reverentiæ baptisteria erecta fuisse, in quibus administrabatur.

117. Illa quam sectarii plurimi suis relinquunt libertatem Baptismum suscipiendi ea quam voluerint ratione, recto rerum ordini repugnat, et errori patrocinatur, quum illi qui immersionem petunt, eam solam valere existiment. Utraque de causa, scilicet ut ordinem servet, et præsertim ad errorem eliminandum, ne quis sibi de valore Baptismi, quacumque ex probatis rationibus collati, dubitare licere existimet, Ecclesia suis ministris injungit ut receptam ubique disciplinam omnino sequantur.

118. Quamvis valeat infusione vel aspersione Baptismus, aliquando dubius evadit ex levi ratione qua baptizandos aspergunt sectarum ministri, præsertim Presbyteriani vel Methodistæ. Magna quidem aquæ copia non requiritur, sed necesse est ut quædam ablutio fiat: ideo pellem contingere debet et fluere. Hinc fit ut conversis ad fidem plerumque repetatur *sub conditione*, dicendo: « Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Id fit passim in Anglia, Galliis, Germania, et etiam Romæ, testante Perroneo. [1] Quod si ex certo testimonio constet ablutionem rite factam verbis prolatis, cavendum ne iteretur: nefas enim est Baptismum semel rite a quocumque collatum iterare.

119. Quum Baptistarum mos nullum de aquæ copia dubitandi locum relinquat, et debitam proferant formulam, nonnullis verbis præmissis quæ eam non vitiant: « Ut obediam Domino Jesu Christo, » vel « Ut tuo mandato obediam; » ratio dubitandi de valore Baptismi ab iis collati, desumitur ex separatione ablutionis a forma: hæc enim integra profertur ante immersionem; vel ex intentionis defectu, quod scilicet credant Baptismum eumdem esse ac illum quo Joannes Christum abluit. Cæterum neutra ex parte videtur satis gravis ratio dubitandi: nam moralis apparet unio inter formam et materiam, quum verbis vix prolatis immersio fiat; et intentio enuntiatur faciendi quod jussit Christus, quamvis errore credatur idem esse ac illud quod fecit Joannes. Ergo conversis ab illa secta, qui omnes in adulta ætate Baptismum susceperunt, ideoque certum ferre possunt testimonium de eo suscepto, non videtur, nequidem conditione adjecta, iterandus Baptismus. Cæterum arcta omnino debet esse formæ cum materia conjunctio, qua de causa rem sapientiorum judicio relinquimus.

120. Quum de *forma* Baptismi apud nos controversia haud moveatur, de ea agendum non duximus. Omnes qui Sacramentum hoc agnoscunt, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti

(1) Tract. de Bapt. c. v. n. 133. Nota.

esse ministrandum fatentur. [1] Unitarii in nomine Jesu aliquando baptizant, sed plerumque ritum hunc prorsus omittunt. Baptizantis actus necessario exprimendus est, ideoque integra est formula : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » [2] Utrum aliquando solo nomine Jesu invocato Baptismus collatus fuerit, inter eruditos scriptores disceptatum est, plerisque censenti us Baptismum a Jesu institutum iis vocibus in Apostolorum Actis designari : quod nobis omnino videtur. [3] S. Bernardo visus est valere Baptismus in nomine Dei et sanctæ et veræ Crucis collatus, [4] sed pace ejus aliter sentire placet.

121. Perpetuum Ecclesiæ morem Patres testantur. S. Justinus M. ait : « In nomine rerum cunctarum Parentis, et Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti in aqua tunc lavantur. » [5] Tertullianus : « Lex tinguendi imposita est, et forma præscripta : « Ite, » inquit, « docete nationes, » tinguentes eas in nomen Patris, et » Filii, et Spiritus sancti. » [6] S. Basilius : « Sicut enim credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » [7] Hac regula discreverunt Concilia inter Baptismum valide ab hæreticis administratum, et eum qui irritus foret, formæ defectu, scilicet omissa trium personarum distincta invocatione.[8] Vehementer tamen falluntur qui discrimen ex fide Trinitatis repetendum censent : [9] nam mentis error, seu pravum dogma non afficit baptizantis actum, nisi formæ mutationem inducat.

CAPUT III.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

122. Ablutio aqua facta, invocatis tribus personis divinis, vim habet ex Christi auctoris sui meritis derivatam, qua peccatum tollitur, et gratia confertur iis qui obicem, prava sua voluntate, non objiciunt. [10] Ita docet Concilium Tridentinum : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus : quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem : qui non secundum carnem ambulant, sed, veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes : innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptizatis con-

(1) « The outward element to be used in this ordinance is water, wherein the party is to be baptized, in the name of the Father, and of the Son, and of the Holy Spirit. » Baptist Confession of Faith, ch. xxx.

(2) Vide Prop. 27 damnatam ab Alexandro VIII. anno 1690.

(3) Vide Drouenii dissert. contra Orsi in appendice lib. de Bapt.

(4) Ep. cccxl. ad Henric. archidiac.

(5) Apol. i. pro Christianis, n. 61.

(6) L. de Baptismo, c. xiii.

(7) L. de Spiritu sancto, c. xii.

(8) Conc. Arel. can. viii.

(9) Burnet, Analysis, p. 238.

(10) Hæc Sacramenti notio Oxoniensibus plane arridet · de Ecclesia enim loquentes, quæ dispensat, Sacramenta intelligunt ; « The notion of the church as the storehouse and direct channel of grace, as a divine Ordinance, ... which conveys secret strength and life to every one who shares in it, unless there be some actual moral impediment in his own mind, — this is a doctrine which as yet is but faintly understood among us. « Oxford Tracts, vol. ii. Advertissement.

cupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, et sentit : quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet : quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. » [1]

123. Fuerunt inter veteres hæreticos qui omnem vim Baptismo denegarent. Manichæi, Messaliani, aliique variis erroribus de eo laborabant. Lutherus fidei totum tribuens, Baptismi vim necessario sustulit. Calvinus pariter eum habet veluti signum tantum ac documentum purgationis, virtutem tollendi peccatum ei denegans : « Baptismus, » inquit, « signum est initiationis, quo in Ecclesiæ cooptamur societatem, ut Christo insiti inter filios Dei censeamur. . . . « A Domino nobis proponitur, ut symbolum sit nostræ purgationis ac documentum : vel (ut melius explicem quod volo) instar signati cujusdam diplomatis, quo nobis confirmet, peccata nostra omnia sic deleta, inducta, obliterata esse, ne unquam in conspectum suum veniant, ne commemorentur, ne imputentur. » [2] Amplissima hæc verba eo redeunt ut non imputentur quæ vere manent peccata : « Manet vere peccatum in nobis, » inquit, « neque per Baptismum statim uno die extinguitur : sed quia deletur reatus, imputatione nullum est. » [3] Ab hisce placitis non recesserunt Presbyteriani hodierni : [4] quibus pro more concinunt Baptistæ. Zuinglius Baptismum dixit merum esse symbolum externum, cujus vis ad salutem nulla sit. [5] Anglicani ad Catholicam doctrinam aliquatenus accedunt, Baptismum signum regenerationis, et instrumentum quo in Ecclesiam cooptantur dicentes : sed nonnisi benigniori Oxoniensium interpretatione possunt eorum verba ad sanum reduci sensum. [6] Apud Unitarios et turbam sectariorum jam omnis evanuit de virtute Baptismi notio.

Propositio.

In Baptismo gratia Jesu Christi Domini nostri confertur, per quam tollitur totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, et Deo renascimur.

124. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christus Dominus, de Baptismo loquens, dixit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. » [7] Nova ergo nativitas, qua regno cœlesti adipiscendo quisque fiat idoneus, contingit aqua ; Spiritu sancto hominem filium Dei constituente. Tollitur idcirco peccatum,

(1) Sess. v. Can. v. in decreto de pec. orig.

(2) Inst. l. iv. c. xv. n. i.

(3) In antidoto Conc. Trid. ad Sess. v.

(4) Dicunt Baptismum esse suscipienti : « a sign and seal of the covenant of grace, of his ingrafting into Christ, of regeneration, of the remission of sins, and of his giving up unto God, through Jesus Christ, to walk in newness of life. » Presbyterian Confession of faith, ch. xxxviii. n. i.

(5) Lib. de vera et falsa Relig.

(6) Queruntur Oxonienses de uis : « We have almost embraced the doctrine, that God conveys grace only through the instrumentality of the mental energies, that is, through faith, prayer, actual spiritual contemplations, or (what is called) communion with God, in contradiction to the primitive view, according to which the church and her Sacraments are the ordained and direct visible means of conveying to the soul what is in itself supernatural and unseen. . . . And does not this account for the prevailing indisposition to admit that Baptism conveys regeneration ? » Oxford tracts. Advertisement to vol. ii.

(7) Joan. iii. 5.

inquinatus enim nemo in regnum illud intrabit.

125. Petrus a Judæis interrogatus, quid sibi faciendum esset ut veniam Christi mortis impetrarent : « Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus sancti. » [1] Baptismus igitur, Christi auctoritate pœnitentibus collatus, in remissionem peccatorum prodest, imo ad donum Spiritu sancti assequendum : divinus scilicet Spiritus remittit ipse baptizatis hominibus peccata, eosque Deo gratos, suo dono auctos, efficit.

126. Ananias divinitus missus ut Saulum baptizaret, peccatorum veniam ablutioni tribuit; sic enim Saulum allocutus refertur : « Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua. » [2] Ergo Baptismo abluuntur peccata.

127. Paulus ipse Baptismo tribuit peccatorum ablutionem, una cum sanctitate et justitia; recensitis enim vitiis quibus inquinati olim fuerant Corinthii, subjungit : « Et hæc quidem fuistis : sed abluti estis sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. » [3] Ablutio de qua loquitur ad Baptismum refertur, quo abluuntur peccata, virtute et meritis Christi; Spiritu sancto, suæ gratiæ dono, animam sanctam et justam efficiente.

128. Ad Galatas Paulus scribit : « Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. » [4] Baptismo Christum induimus, meritis scilicet ejus cooperimur, et filii Dei efficimur, ejus causa ad tantam dignitatem evecti.

129. Ephesios ita hortatur : « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. » [5] Lavacro aquæ in verbo, Baptismo scilicet, mundatur Ecclesia, et fit gloriosa, sancta, et immaculata. Tolluntur ergo Baptismo peccata, adeo ut baptizati e lavacro prodeant, omni macula immunes.

130. Ad Titum scribit, Salvatoris nostri Dei commendans clementiam : « secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti*, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum; ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. » [6] Lavacrum de quo loquitur Apostolus Baptismus est, nec enim aliud norunt Christi discipuli. Eo regeneramur et renovamur, Spiritu sancto in nos effuso, quam gratiam adipiscimur, Christi Jesu Salvatoris nostri intuitu. Justi igitur efficimur, et hæredes vitæ æternæ. Verbis clarioribus Baptismi effectus enuntiari non possent.

131. *Probatur* 2. *Patrum testimoniis.* In Barnabæ epistola, quam jam laudavimus, dicitur : « Descendimus quidem in aquam pleni peccatis ac sordibus, inde autem emergimus, fructum afferentes in corde, timorem et spem in Jesum habentes ex spiritu. » [7]

132. S. Justinus de Baptizandis ait : « Eo ducuntur a nobis, ubi aqua est : et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. » [8]

(1) Act. ii. 38. (2) Ibid. xxii. 16.
(3) I. Cor. vi. 11.
(4) Gal. iii. 23. (5) Ephes. v. 25. (6) Tit. iii. 5.
7. Ep. §. xi. n. 12. (8) Apol. i. n. 61.

133. S. Irenæus ait : « Potestatem regenerationis (in Deum) demandans discipulis, dicebat eis : « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos » in nomine Patris, et Filii, et Spiritu » sancti. » [1]

134. S. Tertullianus ait : « Felix Sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. » . . . . . « Quid ergo ? » ait inferius, « nonne mirandum et lavacro dilui mortem ? Atquin eo magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non creditur : qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem ? Nos quoque miramur, sed quia credimus : cæterum incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. » . . . . . « Ipsius Baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritalis effectus delictis liberamur. » [2]

135. Origenes Christum novam nativitatem seu regenerationem introduxisse ait : « Mittens etenim ad hoc opus discipulos suos, non dixit tantum : « Ite, baptizate omnes gentes ; » sed ait : « Ite, docete omnes gentes ; » baptizantes eos in nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti. » Sciens igitur utrumque esse in culpa, utrique remedium dedit, ut generatio mortalis regenerationę Baptismi mutaretur, et impietatis doctrinam doctrina pietatis excluderet. » [3]

136. S Cyprianus, ad Donatum scribens, mutationem quæ Baptismo ei contigit refert. Quibus antea tenebatur vitiis indicatis, ait : « Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit ; postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patère clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium vixisset, Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus sanctus animaret. » [4]

137. Clemens Alexandrinus ait : « βαπτιζόμενοι, φωτιζόμεθα· φωτιζόμενοι υἱοὶ ποιούμεθα· υἱοποιούμενοι, τελειούμεθα· τελειούμενοι, ἀπαθανατιζόμεθα. Baptizati, illuminamur : illuminati, in filios adoptamur : adoptati, perficimur : perfecti, immortales reddimur. » Pergit id probare et explicare : « Ego, » inquit, « dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes. » Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum et lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus. Gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur. Illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam Deum perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. » [5]

138. S. Gregorius Nazianzenus : « Hæc Baptismi gratia et facultas est non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones vel maculas quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens. » [6]

139. S. Ambrosius Baptismi typum qui in arca præcessit explicans, ait : « Vides aquam, vides lignum, columbam aspicis, et dubitas de mysterio ? Aqua est ergo qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est in quo

(1) L. iii. adv. hær. c. xix.
(2) Lib. de Baptismo.
(3) L. v. in ep. ad Rom. n. 2.
(4) L. ii. ep. 11. ed. Basil. an. MDXXI.
(5) Pædag. l. i. c. vi.
(6) Orat. xl.

suffixus est Dominus Jesus, cum pateretur pro nobis. Columba est in cujus specie descendit Spiritus sanctus, sicut didicisti in novo Testamento, qui tibi pacem animæ tranquillitatemque mentis inspirat. » [1]

140. S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Quoniam non intellexit Nicodemus quid renasci desuper significet, apertius totum mysterium, et breviter sibi exponit. Regenerationem enim, quæ per Spiritum sanctum fit, nasci desuper Dominus appellavit : ut etiam ex hoc disceremus, idcirco Dei nos fieri participes, quoniam spiritum qui substantialiter ex Deo procedit per Baptismum acquirimus, quo in pristinam pulchritudinem reformati, et ad novam vitam renati, a Deo in filios adoptamur. » [2]

141. S. Hieronymus colloquium cum quodam habitum refert, in quo disputabatur utrum qui post Baptismum duxerat uxorem, quum antea etiam uxoratus fuisset, bigamus habendus foret, adeo ut Apostoli vetito comprehenderetur, ne bigamus fieret Episcopus. De Baptismo ex utraque parte convenit, eo hominem novum fieri, omnibus deletis delictis : « Si Baptismus novum hominem facit, et ex toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reservatur, non potest novo imputari, quod in veteri quondam fuit. » . . . . . « Omnia (inquit) nobis in Baptismate condonata sunt crimina : nec post indulgentiam, judicis est metuenda severitas, dicente Apostolo : « Et hæc » quidem fuistis, sed abluti estis : » sed sanctificati estis, sed justifi- » cati estis in nomine Domini Jesu » Christi, et in Spiritu Dei nostri. » Omnia peccata donata sunt, bene et fideliter. [3]

Objectiones diluuntur.

142. *Obj.* 1. Testimonia allata non probant aquæ vim inesse : « non enim significare voluit ille *(Paulus)* ablutionem et salutem nostram aqua perfici, aut aquam purgandi, regenerandi, renovandi virtutem in se continere : neque hic *(Petrus)* salutis causam, sed duntaxat talium donorum cognitionem et certitudinem in hoc Sacramento percipi : quod verbis ipsis satis evidenter explicatur. Nam verbum vitæ et Baptismum aquæ simul connectit Paulus : ac si diceret, per Evangelium nobis nostræ ablutionis et sanctificationis nuntium afferri, per Baptismum hujusmodi nuntium obsignari.» Ita Calvinus.[4]

143. *Resp.* Verba Apostolorum adeo sunt clara ut Sacramenti virtutem plane enuntient. Veteres omnes scriptores appellamus, qui Baptismum illam habere vim, ex Christi Domini et Apostolorum doctrina, intellexerunt. Futile est quod objicit Calvinus de verbo vitæ : nam Sacramentum nonnisi verbo et ablutione perficitur, ideoque utrumque optimo jure ab Apostolo connectitur. Verbo autem illo haud nuntius tantum affertur sanctificationis, sed aqua determinatur ad eam impertiendam, instrumentum facta Spiritus sancti. Optime Augustinus ait : « Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua ? accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » [5]

144. *Obj.* 2. Non ipse Baptismus quid valet, sed fides conscientiaque bona, juxta illud Petri : « Conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. » [6] « Subdit continuo Petrus, Baptisma illud non esse depositionem sordium carnis,

(1) L. de his qui initiantur c. iii.

(2) In Joan. l. II. c. xlii.

3) Hieronymus Oceano fol. 145. tom. iii. edit. Basil. an. MDXVI.

(4) Inst. l. iv. n. 2.

(5) Tract. lxxx. in Joan.

(6) Pet. iii. 21.

sed conscientiam bonam apud Deum, quæ ex fide est. » [1] Ita Calvinus.

145. *Resp.* Valet ipse Baptismus, utpote a Christo Domino tamquam salutis subsidium institutus, in remissionem peccatorum : sed requiruntur quædam animi affectiones, seu dispositiones quibus tollantur obices. Fides, pœnitentia, propositum Dei mandata servandi requiruntur, ut adultus gratiæ lavacri percipiendæ sit idoneus. Equidem Petrus ait : « Salvos vos facit Baptisma, » et Christus salutem credenti ea conditione promisit ut Baptismum susciperet : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » [2]

146. *Obj.* 3. Quis renascitur Deo, quando Spiritus voluerit, quin aquæ tanta insit virtus ut ea adhibita nascatur necessario? Sic Christus nativitatem comparavit vento, cujus origo et directio est incerta : « Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. » [3] Igitur nativitas illa est animi conversio, gratia Spiritus divini effecta, quo ipse voluerit tempore, et quibuslibet in rerum adjunctis : cujus indicium datur dum Ecclesiæ visibili aggregari quis vult Baptismi susceptione.

147. *Resp.* Aquam et Spiritum sanctum simul conjunxit Christus, de nova nativitate loquens, quæ aqua fit tamquam instrumento, Spiritu effectore. Non constat de vento intelligenda esse quæ de Spiritu subjungit : videntur enim potius de ipso divino Spiritu, cujus motus haud facile ab homine discernuntur, explicanda. Cæterum damus Spiritum sanctum quo voluerit tempore hominem sua gratia tangere, sicque eum ad Baptismum parare, fidem sanctumque propositum largiendo : sed placuit Christo Spiritus efficaciam, qua homo Dei filius constituitur, huic adnectere Sacramento, uti ex ejus verbis liquet.

148. *Obj.* 4. Simon magus « credidit, et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo; » attamen numquam Deo natus est : ei quippe dixit Petrus : « In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. » [4]

149. *Resp.* Nihil vetat credere Simonem Deo Baptismo natum fuisse : potuit enim deinceps a fidei simplicitate, et conscientia recta excidere ; uti de aliis testatur Apostolus : « bonam conscientiam . . . quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt. » [5] Quod si cui videatur eum animo haud sincero egisse, dum baptizaretur, pravus animi affectus obstitit ne renasceretur, quamvis regenerationis susceperit Sacramentum.

150. *Obj.* 5. Injuriam Spiritui sancto infert, qui aquæ vim nativitatis divinæ tribuit. A Deo ad infirma et egena elementa homines, superstitiosa virtutis aquæ insitæ notione, abducuntur.

151. *Resp.* Nulla vis tribuitur aquæ, quæ a Christi voluntate et merito non derivetur. Nulla est superstitionis umbra eam agnoscere virtutem, quam Deus ipse rebus creatis indidit, instrumenta ea faciens quibus de donis nobis collatis certiores efficiamur. Ejus potestatem et munificentiam in aquæ Sacramento suspicimus et adoramus.

152. *Obj.* 6. « Non aliam nobis purificationem Baptismus pollicetur, quam per aspersionem sanguinis Christi, qui per aquam, propter mundandi abluendique similitudinem, figuratur. » [6] Ita Calvinus.

153. *Resp.* Utique sanguine Christi mundities omnis comparata nobis est, nec aquæ inest virtus, nisi tamquam instrumento quo uti illi placuit ad eam

(1) Calvinus, Inst. l. iv. c. xv. n. 2.
(2) Marc. xvi. 16.
(3) Joan. iii. 8.
(4) Act. viii. 23.
(5) I. Tim. i. 19.
(6) Inst. l. iv. c. xv. n. 2.

significandam et efficiendam. Fallitur igitur qui putat nos a Christi redemptione abstrahi, dum in elemento visibili quam ipse tribuit virtutem agnoscimus.

154. *Obj.* 7. Magica quædam vis Baptismo tribuitur, dum eo homines renasci dicuntur, quum potius regeneratio divino decreto, quo electi prædestinantur, tribuenda sit, proposito scilicet Dei secundum consilium voluntatis suæ.

155. *Resp.* Nulla vis magica, sed virtus cœlitus indita Baptismo agnoscitur; Christus scilicet, qui suo nos redemit sanguine, voluit nos vita et gratia donari, dum aqua ablueremur, tribus divinis personis invocatis. [1] Regeneratio hæc divino proposito tribuenda est, non quidem absoluto illo decreto quod statuit Calvinus, quo homines in interitum. vel vitam, summo Dei arbitrio, nulla habita meritorum ratione, destinentur; sed benefico consilio, quo gratiæ dona omnibus in Baptismo largiri decrevit, si obex non apponeretur. Tota illius novæ nativitatis gloria Deo danda est, cujus misericordiam erga baptizatos mirari, justitiam erga alios, qui tanto carent beneficio, adorare oportet.

Animadversiones.

156. Omnia quæ ad Sacramentum Novi Testamenti necessaria sunt, in Baptismo reperiuntur, externus scilicet ritus, divinitus institutus, cui gratia adnectitur. Hac tamen sua culpa privatur, qui absque fide et dolore de peccatis, cum vitæ novæ proposito, Sacramentum suscipit. Ideo consuevit in veteri Ecclesia *Catechumenatus* haberi: candidati scilicet per tempus diuturnum in pietatis exercitiis occupabantur, edocebantur munera christiana, et virtutibus sedulo navabant operam. Aliquibus in locis peccatorum peragebant confessionem, quæ tamen consuetudo non ubique obtinuit; nec impræsentiarum est suadenda, ne difficultates ingressuris Ecclesiam multiplicentur, vel falsa inducatur sententia peccata ante Baptismum admissa Ecclesiæ potestati subjacere. Cæterum explorandus est candidatorum animus, ne imparati tantum Sacramentum suscipiant. Quæ olim facta sunt juvabit præ oculis habere, ut majus accendatur studium ad animum rite parandum. Audiatur Tertullianus : « Ingressuros Baptismum, orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus, et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam Baptismum Joannis : Tinguebantur, inquit, confitentes delicta sua. Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras. Simul etiam et de pristinis satisfacimus conflictatione carnis et spiritus, et subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus. » [2]

157. Qui absque debita animi dispositione baptizatur, characterem quidem sacramentalem, de quo postea dicemus, recipit, sed gratia qua anima Deo sit cara, vacuus manet; immo sacrilegii crimine adstringitur. Hoc ut luat debet illud deinceps confiteri et plorare, veniam et gratiam in Sacramento Pœnitentiæ tandem recepturus.

CAPUT IV.

DE JOANNIS BAPTISMO.

158. Licet de Sacramentis quæ Christus Dominus instituit nobis sit disserendum, de Baptismo quem Joannes

(1) Utrum physice, tamquam Dei instrumentum, aqua virtutem abluendi animam habeat, uti discipuli S. Thomæ tenent, vel *moraliter* tantum, quatenus ea occasione Deus animam abluit, salva fide, inter Theologos quæritur; res tamen eodem redit : tota enim virtus a Deo derivatur.

(2) L. de Baptismo.

contulit aliqua opus est dicere : hunc scilicet cum Christi Baptismo confuderunt plures. Sæculo quinto Petilianus, in Africa Episcopus, qui Donatistis accensebatur, eumdem ritum Christo et Joanni communem censuit. Lutherus magnum inter utrumque agnovit discrimen ; [1] sed Calvinus nullum, præterquam « quod in eum qui venturus erat, Joannes baptizabat : Apostoli in eum, qui jam se exhibuerat. » [2] « Quo etiam, » dixerat supra, « certissimum fit, idem fuisse prorsus Joannis ministerium, quod Apostolis postea delegatum est. Non enim alium Baptismum faciunt diversæ manus quibus administratur ; sed eumdem esse eadem doctrina ostendit. » [3] *Baptistæ* hodierni hoc laborant errore.

159. Concilium Tridentinum canonem hunc edidit : « Si quis dixerit Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi ; anathema sit. » [4]

Propositio.

Baptismus Joannis non habuit eamdem vim ac Christi Baptismus.

160. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Joannes ipse profitetur : « Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. » [5] Liquet inde Baptismi utriusque discrimen, a virtute scilicet et effectu petitum : nullam enim vim suæ ablutioni inesse agnovit Baptista : ea utens in indicium et occasionem pœnitentiæ, qua cor mundaretur : sed Spiritum sanctum Christi Baptismo dandum prædixit, quippe quo, Christo ipso docente, ex aqua et Spiritu sancto quis renasceretur.

161. Liquet etiam Christi Baptismum ab illo quem administravit Joannes diversum esse, et vis longe majoris, ex eo quod quotquot in Christum crediderint, baptizati fuerint, nulla habita ratione Baptismi quem plurimi a Joanne receperant. « Egrediebantur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab eo. » [6] Attamen singulis qui salutem per Christum quærebant, et delictorum veniam, injunxit Petrus, ut baptizarentur Christi Baptismate : « Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus sancti. » [7]

162. Narrat sacer scriptor aliquos qui Joannis Baptisma receperant, Paulo jubente, iterum Christi nomine baptizatos esse ; « Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos, dixitque ad eos : Si Spiritum sanctum accepistis credentes ? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis ? Qui dixerunt : In Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens : In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. » [8] Discrimen utriusque Baptismatis hic maxime patet, quum Spiritus sanctus non invocaretur a Joanne, nec Jesu discipulus efficeretur qui Baptisma Præcursoris susceperat, quamvis ad eum expectandum excitaretur. Hinc factum ut nova indigeret ablutione, qua Spiritus sancti invocatione, una cum Patre, et Filio, meritorum Jesu fieret particeps.

163. *Probatur* 2. *ex Patribus*. Tertul-

(1) Disp. de Bapt. legis, Joannis, et Christi anno 1520.
(2) Inst. l. iv. c. xv. n. 7.
(3) Ibidem.
(4) Sess. vii. can. 1. de Bapt.
(5) Marc. i. 8. (6) Ibidem 5.
(7) Act. ii. 38.
(8) Act. xix. 1.

lianus : « Baptismus ab Joanne denuntiatus jam tunc habuit quæstionem, ab ipso quidem Domino propositam Pharisæis, cœlestisne is Baptismus esset, an vero terrenus? De quo illi non valuerunt constanter respondere, utpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porro, quantula fide sumus, tantulo et intellectu, possumus æstimare, divinum quidem eum Baptismum fuisse, mandato tamen et non potestate, quod et Joannem a Domino missum legimus in hoc munus, cæterum humanum conditione. Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate. Denique legis doctores et Pharisæi, qui credere noluerunt, nec pœnitentiam egere. Quod si pœnitentia humanum est, et Baptismus ipsius ejusdem conditionis fuerit necesse est : aut daret et Spiritum sanctum et remissionem delictorum, si cœlestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget nisi Deus solus. »[1]

164. Origenes ait : « Quin et hoc insuper notandum, quod Joannis Baptismus Jesu Baptismo, quod dabatur per discipulos ejus, inferior erat. Qui ergo in Actis baptizati erant in Joannis Baptismo, et neque, an Spiritus sanctus esset, audierant, denuo ab Apostolo baptizantur, quia regeneratio non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat, atque etiam regenerationis quod dicitur lavacrum, quod fiebat cum renovatione Spiritus. — το γαρ της ἀναγεννησεως ὑ παρα τῳ Ἰωαννῃ, ἀλλα παρα τῳ Ἰησυ δια των μαθητων αὐτυ ἐγινετο, και παλιγγενεσιας ὀνομαζομενον λουτρον, μετα ἀνακαινωσεως γινομενον πνευματος.[2]

165. S. Basilius M. : « Baptisma illud (*Joannis*) vim habebat introducendi : hoc (*Christi*) perficiendi. Illud erat secessus a peccato : hoc conjunctio est cum Deo. »[3]

166. S. Chrysostomus : « Spiritus sancti gratia in Christi Baptismate est : Joannes vero Baptisma hac donatione privatur. »[4]

167. S. Hieronymus : « Audi quid Scripturæ doceant : Joannis Baptisma non tam peccata dimisit, quam Baptisma pœnitentiæ fuit in remissionem peccatorum, id est, futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura. »[5] Patrum hac in re consensus est in confesso : Calvinus enim ait : « Neminem perturbet, quod alterum ab altero discernere veteres contendunt. »[6]

168 S. Cyrillus Alexandrinus præstantiam Baptismi Christi agnoscit : « Absoluta Nicodemi colloquutione, aliud jam utilissimum Evangelista enarrat. Videbat enim Spiritus gratia illuminatus quam necessarium esset ea narrare, quibus quantum Christi Baptismus Joannis Baptismo præstaret, aperiretur . . . . . Baptismum suum, quum esset imperfectus, introductorium ad perfectionem fuisse. Nam veluti lex Mosaica futurarum rerum et spiritalis cultus præparatio quædam fuit, occultam veritatem parturiens : sic Baptismus Joannis ad Baptismum Christi collocatus, præparationis vim obtinebat. »[7]

169. Accedit ratio theologica. Joannis Baptisma nulla verborum formula administratum noscitur, nec gratiam imperticbatur, nec Trinitatis invocationem seu fidem exigebat. Baptisma Christi e contra Trinitatis nomine confertur, et gratiæ instrumentum est, novæ scilicet nativitatis. Hoc igitur ab illo differt re et virtute.

(1) De Baptismo c. x.
(2) Comment. in Joan. t. vi. n. 17. Vide et Com. in ep. ad Rom. l. v n. 8. (3) Exhort. ad Bapt.
(4) Hom. xi. in c. iii. Matt.
(5) Dialog. adv. Lucifer. (6) Inst. l. iv. c. xv. n. 7.
(7) In Joan. l. ii. c. lvii.

Objectiones diluuntur.

170. *Obj.* 1. « In unam doctrinam Joannes et Apostoli consenserunt : utrique in pœnitentiam, utrique in remissionem peccatorum, utrique in nomen Christi, a quo pœnitentia et peccatorum remissio esset, baptizarunt. »[1] Ita Calvinus.

171. *Resp.* Joannes baptizavit in pœnitentiam, qua peccatorum remissio impetraretur. Ideo refertur « prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. »[2] Christi Baptismus, quem administrarunt Apostoli, fuit in remissionem peccatorum, adeo ut peccata remitteret pœnitentibus, juxta illud Petri : « Pœnitentiam agite (inquit) et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum. »[3] Ritus Præcursoris excitabat homines ad pœnitentiam; ideoque eos hortabatur Joannes ut dignos fructus pœnitentiæ facerent, « Joannes, » inquit Paulus, « baptizavit baptismo pœnitentiæ populum. »[4] Baptismus Christi nonnisi pœnitentibus administrandus est, quoties scilicet de iis qui propria voluntate peccarunt, agitur. Est igitur discrimen manifestum, ut de adoptione in filios Dei impræsentiarum sileamus, sicut et de trium personarum invocatione.

172. *Obj.* 2. Iterum baptizati non sunt illi de quibus loquitur Lucas : « Ego, » inquit Calvinus, « concedo fuisse illud verum Joannis baptisma, et unum idemque cum Christi Baptismate : sed rebaptizatos nego. Quid igitur sibi volunt verba : « baptizati sunt in nomine » Jesu? » Quidam interpretantur, tantum sincera doctrina eruditos a Paulo fuisse : sed simplicius intelligere malim, baptismum Spiritus sancti, hoc est, gratias Spiritus visibiles per manuum impositionem datas : quas Baptismi nomine significari non novum est. »[5]

173. *Resp.* Clarissimæ sacri scriptoris relationi vim infert manifestam, qui negat Christi Baptismum collatum iis qui jam a Joanne baptizati fuerant, prout in loco de quo agitur narratur. Equidem contra obvium *baptizandi* sensum, qui est aqua abluere, pro eruditione et institutione sincera explicatur a nonnullis, quos sequi Calvinum ipsum puduit. Quod autem ad manuum impositionem velit vocem illam referre, pugnat cum orationis serie; nam nulla ratio sinit ut vocem alio excipiamus sensu, quam quo pluries in contextu sumitur, quando nullum datur indicium transitus ad sensum translatum. Præterea sacer scriptor pergit referre manibus impositis Spiritus sancti præsentiam manifestis patuisse argumentis : « His auditis, » dixerat, « baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. »[6] Ex ipsa orationis simplicitate liquet manuum impositionem diversam esse a Baptismo de quo mox fuerat sermo, sicut et ex locis omnibus *parallelis*, uti aiunt, constat *baptizari in nomine Jesu* referri ad aqua Baptismum quem Jesus instituit. Frustra laborat Calvinus in re adeo manifesta.

174. *Obj.* 3. Si detur baptizatos a Joanne iterum fuisse, Paulo jubente, baptizatos, id factum censendum est, quod « in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum, »[7] baptizaverit Joannes. Oportebat autem eos iterum baptizare in cultum Domini Jesu, quem hactenus ignorabant : ritus quippe baptizandi a Judæis adhiberi consuevit ut initiarentur homines, et cultum susciperent.

175. *Resp.* Ea ratio a sacro scriptore non indicatur : quamvis enim Paulus dicatur ea protulisse verba, eo consilio

(1) Inst. l. iv. c. xv. n. 7. (2) Marc. i. 4.
(3) Act. ii. 38. (4) Ibid. xix. 4.
(5) Inst. l. iv. c. xv. n. 18.
(6) Act. xix. 5. 6. (7) Ibid. 5.

prolata manifesto sunt ut hominibus illis ostenderet Joannis ritum Christi Baptismo eos præparasse, quum Baptista Salvatorem mox venturum prædiceret. Petrus autem unumquemque baptizandum in remissionem peccatorum dixit. Igitur non habendus est Christi Baptismus veluti merus initiationis ritus, sed lavacrum quo abluuntur peccata, et homines renascuntur Deo. Quod ad Judæorum mores attinet, dicuntur quidem consuevisse Ethnicos ad sua sacra excipere, abluto prius aqua corpore : sed Baptismi Christi ratio et vis ab ejus voluntate petenda est. Optime Augustinus animadvertit : « Baptizatos a Paulo eos qui jam baptismo Joannis baptizati fuissent legimus in Actibus Apostolorum, non ob aliud, nisi quia baptismus Joannis non fuit Christi Baptismus. » [1]

176. *Obj.* 4. Baptizato Christo, cœlestia data sunt indicia ritum illum Deo maxime probatum, Spiritu ipso sancto in Christi caput, columbæ specie, illapso. Ergo ritu eodem omnes Christi discipuli abluendi sunt.

177. *Resp.* Utique Deo probatus est baptismus quem contulit Joannes, quamvis quæ data sunt signa cœlestia, Christo Dei Filio testando idonea sint, potius quam ritus efficaciæ demonstrandæ. In exemplum aliorum Christus eum suscepit, ut Judæi Joannem agnoscerent divinitus missum, eique ad pœnitentiam hortanti obaudirent. Nobis baptismo Joannis opus non est : ritus enim prævius fuit, qui adveniente Salvatore desiit ; baptizandi tamen sumus, ut Christo obtemperemus jubenti. Igitur quem instituit Baptismus suscipiendus est, non quem ipse suscepit.

178. *Obj.* 5. Apollo, referente Luca, « erat edoctus viam Domini ; et fervens Spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis. » [2] Non aliud videntur suscepisse Apostoli : « His nimirum, » animadvertit Rosenmüller, « iterato Baptismate non erat opus qui statim ab initio edocti erant, *Jesum* esse Messiam. » [3]

179. *Resp.* Id notat Lucas, ut ostendat scire oportere insuper Jesu Baptisma ; quapropter subjungit : « Quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini. » Igitur dubitandum non est eum deinceps baptizatum, id enim deinceps refert sacer scriptor de aliis qui baptisma Joannis tantum susceperunt. Apostolos baptizatos fuisse Christi Sacramento temere negatur, ob Scripturarum silentium, quum numquam id sibi proposuerint auctores sacri ut res omnes gestas referrent. Constat Paulum, licet divinitus vocatum, Baptismo opus habuisse, quare dubitandum non est cæteros pariter sacris undis mundatos. Ratio autem quam adsignat Rosenmüller futilis est, et nullo testimonio nixa. Liquet universis hominibus legem a Christo impositam, et a Petro promulgatam, nullo facto discrimine eorum qui notitia hujusmodi imbuti a Joanne baptizati fuissent, et aliorum qui ea caruerunt.

180. *Obj.* 6. Tertullianus ait : « Neque quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tyberi tinxit. » [4]

181. *Resp.* Tertullianus magnum ponit discrimen inter Joannis baptismum, et eum quem, Christi auctoritate, Apostoli contulerunt, uti ex testimonio ejus jam laudato liquet. Verbis quæ objiciuntur aquam omnem idoneam esse Sacramento docet : « Nulla distinctio est mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur : neque

(1) L. v. de Bapt. c. ix.
(2) Act. xvii. 25.
(3) In Act. xix. 5.
(4) L. de Baptismo c. iv.

quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tyberi tinxit : nisi et ille spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis aut minus retulit. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. »

CAPUT V.

DE BAPTISMI NECESSITATE.

182. Pelagiani Baptismum necessarium esse fatebantur ad regnum cœlorum assequendum, ad beatitudinem scilicet et gloriam cœlestem : quum autem peccatum originis negarent, eum necessarium non putabant ad maculam aliquam tollendam, vel ad beatitudinem quamdam extra cœlorum regnum. Inter decimi sexti sæculi novatores Bucerus docuit prædestinatos adipisci salutem, sive Baptismum susceperint, vel eo careant. [1] Calvinus ait : « Jam explodendum esse eorum commentum palam est, qui omnes non baptizatos æternæ morti adjudicant. Clara est Domini promissio : Quicumque in Filium credidit, non visurum mortem, nec in judicium venturum, sed transiisse a morte in vitam (Joan. 5, 24) : nondum baptizatum nullibi damnasse comperitur. Quod in eam a me partem accipi nolo, perinde ac si Baptismum contemni impune posse innuerem (quo contemptu violatum iri Domini fœdus affirmo : tantum abest, ut excusare sustineam) : tantum evincere sufficit, non esse adeo necessarium, ut periisse protinus existimetur cui ejus obtinendi adempta fuerit facultas. » [2] Patrem suum sequuntur Presbyteriani hodierni. [3] Unitarii nullam Baptismi vel necessitatem, vel fructum agnoscunt, sed eum habent veluti symbolum quoddam professionis christianæ in primordiis Ecclesiæ usurpatum. Baptismi necessitatem absolutam non admittunt Baptistæ, nec enim a salute excludunt eos qui fidei non sunt, ratione ætatis, capaces, nec infantibus eum administrant. Eum tamen vocant una cum cœna Christi institutum et mandatum. [4] Ex tot erroribus derivata est illa Baptismi negligentia, in his regionibus plerisque sectariis communis. Episcopales *præcepti* necessitatem, non *medii* admittunt : [5] quin diffiteantur in veteri Ecclesia necessitatem medii agnitam.

183. Necessitatem Baptismi omnes agnoscunt Catholici : doctores autem Scholastici duplicem illam quam mox indicavimus, distinguere solent necessitatem, *præcepti* scilicet et *medii*. Illa oritur ex lege quam servare oportet, quam tamen si quis absque sua culpa ignoraverit, vel non impleverit, impedimento aliquo detentus, non ideo periclitabitur salute. Necessitas autem *medii* tanta est, ut, seu culpa seu forte aliqua res deficiat, salus obtineri nequeat. Baptismum hac ratione necessarium esse censent.

184. Concilium Tridentinum simpliciter definivit Baptismum esse ad salutem necessarium, errorem contrarium proscribendo : « Si quis dixerit Bapti-

(1) In c. iii. Mat.

(2) Inst. l. iv. c. xvi. n. 26.

(3) « Although it be a great sin to contemn or neglect this ordinance, yet grace and salvation are not so inseparably annexed unto it, as that no person can be regenerated or saved without it. » Presbyterian confession of faith, ch. xxviii. 5.

(4) « Baptism and the Lord's Supper are ordinances of positive and sovereign institution, appointed by the Lord Jesus, the only Lawgiver, to be continued in his church to the end of the world. » Baptist confession of faith, ch. xxix.

(5) Burnet's Analysis, Art. xxvii. p. 474.

smum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit. »[1]

Propositio.

Baptismus est necessarius ad salutem.

185. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christus Nicodemo dixit absque nova nativitate neminem posse regnum Dei ingredi; eamque contingere nemini nisi aqua et Spiritu sancto : « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. »[2] Conditio igitur est a Christo statuta, qua non impleta, regni cœlestis non patet introitus. Verbis perspicuis, singulos homines complectentibus, enuntiatur illa gloriæ assequendæ conditio.

186. Apostolos mittens Christus Baptismum omnibus jussit administrari : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos. »[3] Ergo tenentur omnes Baptismum suscipere. Eam conditionem esse salutis significavit : « qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. »[4] Frustra igitur sibi blanditur quisque de fide, nisi Baptismum suscipiat. Hoc adultis, quibus prædicatum fuerit Evangelium, Baptismum ad salutem necessarium esse manifesto probat. Ad infantes quod pertinet, quum fides et Baptismus salutis conditiones statuantur, fidem autem ob ætatem ipsi nequeant habere, Baptismum saltem illis esse necessarium haud temere concluditur, ne omni ad salutem conditione carere videantur.

187. *Probatur* 2. *ex Patrum traditione.* Irenæus de lavacro et Spiritus gratia dicit : « Utraque necessaria, cum utraque proficiant in vitam Dei. »[5]

188. Tertullianus ait : « Fuerit salus retroper fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem : at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege. Lex enim tinguendi imposita est, et forma præscripta : « Ite, » inquit « docete nationes, » tinguentes eas in nomen Patris, et Fi» lii, et Spiritus sancti. » Huic legi collata definitio illa : « Nisi quis renatus » fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit » in regnum cœlorum; » obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur. »[6] Excusat Baptismi a laico administrationem ob periclitantis conditionem : « Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis : quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod potuit. »[7]

189. S. Cyrillus Hierosolymitanus ait : « Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos martyres, qui sine aqua regno cœlesti potiuntur. »[8]

190. S. Ambrosius circumcisionis mysterium in Baptismate impleri docet : « Et domesticus, ut alienigena, et justus et peccator circumcidatur remissione peccatorum, ut peccatum non operetur amplius, quia nemo ascendit in regnum cœlorum, nisi per Sacramentum Baptismatis. » Inferius de peccatore dicit : « Mentis suæ adscribere debet infantiæ, quod incautus fuit et intemperans, vel remissionem peccatorum nec acquisivit : « Nisi enim quis » renatus fuerit ex aqua et Spiritu san» cto, non potest introire in regnum » Dei. » Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate. »[9]

191. S. Augustinus majorum suorum

(1) Sess. vii. Can. v. de Baptismo.
(2) Joan. iii. 5. (3) Mat. xxviii. 19.
(4) Marc. xvi. 16.
(5) L. iii. adv. hær. c. xix.
(6) L. de Baptismo c. xiii.
(7) Ibidem c. xvii.
(8) Catech. iii.
(9) L. de his qui initiantur c. xi.

fidem enuntians, dicit : « Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus. » [1]

192 .*Probatur* 3. *ex perpetua consuetudine Ecclesiæ*. Verbis præclari vindicis hujus Sacramenti Augustini, argumentum proponere juvat : « Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, profecto et contra Apostolicam prædicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse. » [2]

193. *Probatur* 4. *Conciliorum auctoritate*. Pelagianos in pluribus Conciliis quinto sæculo damnatos constat, Summis Pontificibus probantibus, ob necessitatem denegatam baptizandi parvulos in remissionem peccatorum, et salutem. Concilium Carthaginense, anno 416 habitum, de eis ait : « Parvulos etiam propter salutem quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant. » [3]

Objectiones solvuntur.

194. *Obj.* 1. Illud apud Joannem testimonium ad Baptismum non refertur. « In eo falluntur, » inquit Calvinus, « quod baptismi mentionem fieri hoc loco putant, quia aquæ nomen audiunt. Postquam enim naturæ corruptionem Nicodemo exposuit Christus, ac renasci oportere docuit : quia ille renascentiam corporalem somniabat, modum hic indicat quo regenerat nos Deus, nempe per aquam et Spiritum : quasi diceret, per Spiritum, qui purgando et irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur. Aquam ergo et Spiritum simpliciter accipio pro Spiritu, qui aqua est. Neque hæc nova est locutio : prorsus enim cum illa quæ tertio Matthæi capite habetur convenit : « Qui sequitur » me, ille est qui baptizat in Spiritu san- » cto et igni. » Quemadmodum ergo Spiritu sancto et igni baptizare, est Spiritum sanctum conferre, qui in regeneratione ignis officium naturamque habet : ita renasci aqua et Spiritu nihil aliud est, quam vim illam Spiritus recipere, quæ in anima facit quod aqua in corpore. » [4]

195. *Resp.* Hæc ingeniose dicuntur, sed contra obvium textus sensum : nam ea protulit Christus, explicans Nicodemo quomodo renasci oporteret; interrogaverat scilicet hic : « Quomodo potest homo nasci, cum sit senex ? » [5] Locus igitur non erat figuræ, nisi quæ ex communi usu vel ex sermonis contextu omnino pateret. Præterea si Spiritus effectus designandus foret, Spiritus prius nominaretur, sicut quando Spiritus et ignis nominantur : nec aqua veluti res quædam præcipua priorem occuparet locum. Licet igitur Calvini ipsius verbis, alio prorsus consilio prolatis, in rem nostram uti : « Non enim nos ex Spiritu et aqua, sed ex aqua et Spiritu regenerandos docet Christus. » [6] Aqua merito primo in loco ponitur, eo quod res sit Sacramenti, cui Spiritus adjungitur, qui virtutem suam aquæ adjiciens, facit ut homines denuo nascantur.

196. *Obj.* 2. Etsi ad Baptismum illa Christi verba referantur, non absolutam necessitatem probant : quamvis enim aqua regenerationis signum adhibenda sit, tamen ipsa regeneratio, quæ fit divino Spiritu, hominem regno idoneum efficit. « Omissis cavillis, » inquit Calvinus, « tenenda simplex est inter-

(1) Lib. iii. de anima et ejus origine c. ix.
(2) Ep. clxvi. alias xxviii. ad Hieronym. c. vii.
(3) Epist. synodica ad Innoc. I. quæ inter Augustinianas clxxv. alias ix. Vide Conc. Milevit eodem anno. (4) Instit. l. iv. c. xvi. n. 25.
(5) Joan. iii. 4. (6) Instit. l. iv. c. xvi. n. 27.

pretatio quam attuli, neminem, donec renovatus fuerit aqua viva, hoc est, Spiritu, posse ingredi in regnum Dei. »[1]

197. *Resp.* Omnimodam necessitatem novæ nativitatis tradiderat Christus, eamque ex aqua et Spiritu sancto necessario pendere deinceps docuit. Gratis igitur, imo contra Christi Domini auctoritatem, nativitas fingitur Spiritu absque aqua effecta. Verba autem universos respiciunt, quos proinde Baptismo oportet renasci.

198 *Obj.* 3. Illis verbis Christus innuit neminem posse in visibilem Ecclesiam ingredi, nisi Baptismo : regnum enim cœlorum in novo Testamento hanc sæpius designat. Non ideo tamen ab electorum cœtu excluduntur omnes haud baptizati, uti fatentur Catholici, catechumenos morte præreptos non omni spe salutis carere dicentes.

199. *Resp.* Regnum cœlorum aliquando Ecclesiam quæ in terris est designat, sed et regnum cœleste, in quo Deus se suis manifestat. De hoc agi liquet : Nicodemus enim eum divinitus datum magistrum agnoscens, de sua salute solicitus, quid sibi faciendum foret quæsiisse censendus est. Præterea visibilis Ecclesia ideo statuta est ut homines regno cœlesti fierent idonei, ideoque ejus membra fiant necesse est qui cœli gaudia comparare velint. Hinc salvandos Ecclesiæ additos in dies testatur Evangelista, res gestas Apostolorum narrans : « Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in id ipsum. » Vel ut clarius habet textus receptus : Ὁ δὲ κύριος προστίθει τοὺς σῳζομένους καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ. Catechumeni autem qui sincero desiderio Baptismum petunt, ad Ecclesiam voto et animo pertinent, ideoque non sunt a spe salutis alieni.

200. *Obj.* 4. Exceptionem admittunt Catholici quoad eos qui martyrium subierunt, vel qui Baptismum, quem cupiunt, nequeunt suscipere. Ergo verba illa non probant omnimodam necessitatem.

201. *Resp.* Universalis est sententia nec exceptionem pati dicenda est : nam merito censentur ex aqua nasci qui animo cupiunt ablui, vel qui sanguinem fundunt in testimonium Jesu, cujus lege jubetur ut Baptismus suscipiatur. Cæterum si exceptionem placeat eam vocare, fit Christo auctore, et testimonii vis in cæteris omnibus agnoscitur.

202. *Obj.* 5. Christus ad prædicandum mittens Apostolos, jussit quidem ut baptizarent, hoc ritu homines visibili Ecclesiæ adscituri : non tamen interitum minatus est iis qui Baptismum haud susciperent, dummodo crederent.

203. *Resp.* Christus Baptismum cum fide ad salutem exegit : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : » haud credenti minatus est interitum : « qui vero non crediderit, condemnabitur ; » siluit autem de Baptismi incuria, quia qui non crediderit, non esset petiturus Baptismum. Opus non erat ut de iis ageret, qui credentes differrent vel negligerent hunc ritum, quum jam indicasset eum ad salutem requiri.

204. *Obj.* 6. Conditio illa salutis universos homines obligans, etiam qui de ea nunquam audierunt, sed nec audire potuerunt, infantes scilicet, temere statuitur, quum nullo claro Scripturæ testimonio nitatur, et aliena sit a divina pietate.

205. *Resp.* Non temere illam declaramus salutis conditionem, sed Christo auctore, cujus verba de Baptismi necessitate tota retro intellexit antiquitas. Quum homines nullum jus habeant ad gloriam supernaturalem, et peccato primorum parentum filii sint iræ, penes Christum erat eam statuere conditio-

(1) Instit. l. iv. c. xvi. n. 25.

nem, licet plurimi eam implere nequeant : nulla enim eis fit injuria dum bono privantur indebito.

206. *Obj.* 7. Abhorret animus dum cogitatur universos qui Baptismum haud susceperunt cruciatibus æternis puniri, tum parvulos nulla sui culpa, tum cæteros quibus divina Baptismi institutio certo innotuit. Id autem omnino dicendum, si salus absque Baptismo comparari nequeat : Scriptura enim nullum alium locum præter gehennam et regnum cœlorum tradit. Idcirco Augustinus ait : « Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque cœlorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque quolibet, quasi medium locum : hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit. »[1] S. Fulgentius quoque scribit : « Firmissime tene et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine Sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. »[2]

207. *Resp.* Fides Catholica aliud non exigit quam ut credamus neminem posse regnum cœleste ingredi, beatitudine scilicet aliqua supernaturali frui, nisi baptizatus fuerit, saltem animi voto. Qui adulta in ætate discesserint, vel rei sunt Baptismatis sua culpa neglecti, vel alia peccata luere debent. Nemo ob solum Baptismatis defectum qui absque culpa contigit, cruciandus censetur : nam parvuli Baptismate carentes, juxta receptam sententiam, nulla supplicia patiuntur. Hæc placuit sententia D. Thomæ Aquinati, qui Augustini fidelissimus discipulus, ejus verba ita interpretatus est, ut Pelagianum errorem de beatitudine supernaturali excluderet, quin cruciatus ullos manere infantes censeret. « Dicendum, » inquit, « quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ et cruciatus, vel si quid simile in dictis sanctorum Patrum inveniatur, est large accipiendum pro pœna, ita ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi. »[3] Liceat nobis benigniorem hanc rationem Patrum dicta explicandi sequi. Id fidenter dicimus ex dogmate catholico non necessario inferri cruciandos esse parvulos Baptismo carentes, cum id fere omnes Theologi per tot sæcula denegent, Ecclesia haud contradicente. Cæterum cum Augustino dicimus : « Nulla igitur ex nostro arbitrio præter Baptismum Christi, salus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis præferenda. »[4]

Animadversiones.

208. Baptismum ad salutem esse necessarium ex fidei doctrina novimus : quin cogamur credere omnes suppliciis cruciari æternis qui absque Baptismo e vivis discesserint. *Baptismo sanguinis* expiari dicuntur omnes qui fidei causa, Deum super omnia diligentes, mortem obeunt, qui et votum habent Baptismi suscipiendi, vel *explicitum*, si de eo audierint, vel *implicitum*, si de eo non fuerint edocti. Infantes autem fidei causa interfecti eadem ratione palmam acquirere et regnum haud immerito creduntur : æquum enim est et Christi consonum promissionibus, ut qui propter ipsum vitam amittunt, licet haud suæ voluntatis actu, eam cum gloria sempiterna inveniant. Ita de innocenti-

(1) L. de origine animæ c. ix.
(2) De fide ad Petrum, c. xxvii.
(3) Qu. 5. de malo art. 2. ad i.
(4) L. i. de pecc. merit. et remiss. c. xxiii.

bus ab Herode occisis censet Ecclesia; quod de omnibus infantibus propter Christum interfectis sentiendum pariter videtur. *Implicitum* votum Baptismi ab insignibus theologis censetur posse haberi ab iis qui fidei præcones audiendi nullam unquam habuerunt facultatem, quique ex interiori gratiæ motu ad Deum, creatorem et rerum arbitrum, toto corde se converterint, illi in omnibus placere cupientes.

209. Quæ sit conditio parvulorum absque Baptismo decedentium fide non constat. S. Thomas Aquinas, cum theologorum turba, censet eos nullam pati pœnam sensus, sed tantum Dei visione non frui; nam quum perversa voluntate non fuerint ad creaturas contra Dei legem conversi, æquum non videtur ut cruciatus inde patiantur. « Ideo, » inquit, « peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ. » [1] Quum eam suo actu parvuli non amiserint, non putat illis inde dolendi esse occasionem : « nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinæ. » [2] Fuerunt qui beatitudine quadam naturali eos donandos opinarentur; sed nobis de eorum conditione nihil divinando conjicere placet.

CAPUT VI.

DE INFANTIUM BAPTISMO.

210. Ex illa quam probavimus Baptismi necessitate facile deducitur eum omnibus, etiam parvulis, administrari posse : quod ecclesiastica probat consuetudo. Attamen sæculo duodecimo plurimi hanc impugnarunt, Petrobusiani scilicet, Henriciani, Waldenses, aliique varie nuncupati. Sæculo decimo sexto, post turbas Lutheri, Nicolaus Storckius, Balthasar Pacimontanus, et Thomas Munzerus contenderunt nihil valere infantium Baptismum, ideoque iterato baptizarunt in adulta ætate qui in infantia baptizati fuerant : quapropter *Anabaptistæ* dicti sunt. Qui apud nos Baptistæ audiunt in eo errore cum illis conveniunt, alioquin plurimis capitibus discrepantes. Episcopales, Presbyteriani, et Methodistæ parvulos baptizari posse fatentur; sed plurimi negligunt eos afferre baptizandos, præsertim in provinciis Occidentalibus.

211. Plures edidit Concilium Tridentinum canones, veterum Conciliorum decretis admodum consonos, ut Anabaptistarum profligaret errores. « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit. » [3] Si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit. » « Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ; anathema sit. » « Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se

(1) Quæst. v. de malo art. 2. in corp.
(2) 2 dist. 33. quæst. 2. art. 2.
Sess. v. Can. iv.

nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit. » [1]

Propositio.

Infantes baptizari possunt et debent.

212. *Probatur* 1. *ex Scriptura.* Christus dixit : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. » [2] Conditionem ad salutem assequendam necessariam his verbis statutam ostendimus; parvulos autem omnes a salute excludere, nullo iis dato subsidio quo eam assequantur, a divina pietate est alienum : quum Christus infantes magna benignitate complexus fuerit, regnumque cœlorum nonnisi hujusmodi tribuendum dixerit : « Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum. » [3]

213. Præterea Evangelium lætus est nuntius omni creaturæ : bona scilicet universis hominibus offert; et baptizandi data est facultas, nullo apposito limite : ergo omnes censendi sunt Baptismi et salutis capaces, qui sua culpa sese indignos haud præbuerint. Infantes autem nullum obicem objicere valent.

214. Postquam Petrus hortatus est Judæos ut baptismum susciperent in remissionem peccatorum, rationem adsignans addidit : « Vobis enim est repromissio et filiis vestris. » [4] Nulla occurrit ratio cur infantes excludantur ab hujus promissionis beneficio, vel eo gaudeant absque Baptismo, qui gratiæ et salutis est subsidium.

215. Pluries refertur Apostolos integras baptizasse familias, nullo ætatis discrimine indicato. De Lydia, purpuraria, dicitur : « Cum autem baptizata esset, et domus ejus. » [5] Carceris custos « baptizatus est ipse, et omnis domus ejus. » [6] « Baptizavi autem, » inquit Paulus, « et Stephanæ domum. » [7]

216. Tradit Paulus circumcisionis locum Baptisma Christi tenere : eo scilicet ritu fœdus inibatur cum Abrahæ posteris, hoc quisque christiani fœderis fit particeps : « In quo » *(Christo)* « et circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi : consepulti ei in Baptismo. » [8] Æquum igitur est parvulos habere Baptismi capaces, sicut circumcisionis, ne dicantur pejori conditione sub novo fœdere, quam sub veteri.

217. *Probatur* 2. *ex perpetua Ecclesiæ consuetudine.* S. Irenæus dicit regenerationis potestatem Apostolis demandatam illis Christi verbis de munere baptizandi, et alibi infantes in Christo renasci affirmat : « Dominus omnes venit per semetipsum salvare : omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos, juvenes et seniores. Ideo per omnem venit ætatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes : in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes ætatem. » [9]

218. Origenes ait : « Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit etiam parvulis Baptismum dare. Sciebant enim illi quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam et Spiritum ablui deberent. » [10] « Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum? Quorum

(1) Sess. vii. de Bapt. Can. xii. xiii. xiv.
(2) Joan. iii. 5.
(3) Matth. xix. 14. παιδία a Matthæo et Marco, βρέφη a Luca vocantur, Luc. xviii. 15. Tenella eorum ætas indicatur.
(4) Act. ii. 39. (5) Ibid. xvi. 15.
(6) Ibid. 33. (7) I. Cor. i. 16.
(8) Col. ii. 11.
(9) L. ii. adv. hær. c. xx. alias xxxix.
(10) L. v. in ep. ad Rom. n. 9. p. 264, ed. Wirceb.

peccatorum? vel quo tempore peccaverunt? aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere, nisi juxta illum sensum de quo ante diximus: « Nullus mundus a sorde, nec » si unius diei quidem fuerit vita ejus » super terram? » Et quia per Baptismi Sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli.« Nisi » enim « quis renatus fue- » rit ex aqua et Spiritu, non poterit » intrare in regnum cœlorum. » [1]

219. S. Cyprianus sententiam Concilii Carthaginensis, cui sexaginta sex Episcopi interfuerant anno 253, litteris ad Fidum, qui eos consuluerat, exposuit: « Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum qui natus est, baptizandum et sanctificandum non putares: longe aliud in Concilio nostro omnibus visum est; in hoc enim quod tu putabas esse faciendum nemo consensit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam. » [2] Liquet inde pro re explorata apud omnes haberi, infantes posse et debere baptizari, adeo ut paucorum dierum dilatio nemini probaretur.

220. S. Joannes Chrysostomus Græcorum consuetudinem testatur: « Etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant. » [3]

221. S. Ambrosius de circumcisione agens, quam Baptismi typum esse declarat, ait: « Nec senex proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, et ideo omnis ætas Sacramento idonea. » Hæc certe ratio Baptismo infantium suffragatur.

222. S. Siricius Papa: « Sicut ergo sacram Paschalem reverentiam in nullo discimus esse minuendam, ita infantibus qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel his quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda Baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo et regnum perdat et vitam. » [4]

223. S. Augustinus noscitur parvulorum Baptismatis necessitatem ad peccatum originis tollendum contra Pelagianos propugnasse, qui baptizandos haud negabant, quin maculam peccati agnoscerent. « Porro, » inquit ipse, « quia parvulos baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universæ Ecclesiæ, procul dubio per Dominum, et Apostolos traditam, venire non possunt; concedant oportet eos egere illis beneficiis Mediatoris, ut abluti per Sacramentum charitatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo, ut in illo vivi, ut salvi, ut redempti, ut illuminati fiant. » [5] Absque fide eos salutem assequi, quum per ætatem eam habere nequeant, docet: « Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem, quod latro potuit: quin etiam flendo et vagiendo, cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysti-

(1) Hom. xiv.
(2) Ep. lix. ad Fidum, alias l. iii. ep. viii.
(3) Hom. ad Neophytos.
(4) Ep. ad Himerium Tarracon, c. ii.
(5) L. i. de pec. mer. et rem. c. xxvi.

cis vocibus obstrepunt; et tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et si quisquam in hac re auctoritatem divinam quærat : quamquam quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur, tamen veraciter conjicere possumus quid valeat in parvulis Baptismi Sacramentum ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit. » [1]

224. *Probatur* 3. *judicio et auctoritate Conciliorum.* Carthaginense, seu Milevitanum II., utroque enim nomine designatur, anno 418, hunc tulit canonem : « Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari; sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur . . . . anathema sit. » [2] Decreta hujus Concilii et alterius in eadem Pelagianorum causa, Summo Pontifici probata, per totam Ecclesiam vim obtinuerunt.

Objectiones diluuntur.

225. *Obj.* 1. Pædobaptismus absque ulla Scripturarum auctoritate inductus est, tertio a Christo sæculo. Christus jussit discipulos faciendos antequam baptizarentur : μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς. « Docete omnes gentes, baptizantes eos. » [3] Fidem baptismo præire oportere innuit : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. » [4]

226. *Resp.* Episcopi cum Cypriano non novum induxerunt usum, sed veterem traditionem contra cujusdam nova consilia propugnaverunt. Fatemur Scripturam tot verbis haud commendare parvulorum Baptisma; sed Sacramentum omnibus necessarium esse tradit, quum absque eo non pateat aditus ad cœlorum regnum; et Christi benignam erga parvulos voluntatem testatur : quæ non levia sunt argumenta eos esse Baptismo, et ideo saluti, idoneos. Præterea quæ viguit consuetudo tertio ineunte sæculo, tanto consensu probata, ab Apostolorum ætate derivata agnoscenda est : si enim postea inducta fuisset, vestigia aliqua originis ejus reperirentur. Ad mandatum quod pertinet prædicandi et docendi, eos respicit, qui per ætatem Evangelium audire, et fidem excipere possunt, qui nonnisi credentes et pœnitentiam agentes idonei sunt Baptismo suscipiendo. Cæterum baptizandi facultas, quamvis post docendi munus declarata, non necessario ad edoctos et credentes arctatur, quum vi sua omnes complectatur qui ablutione indigent.

227. *Obj.* 2. Christus Dominus nonnisi adultus baptizari voluit, nec ullum legitur exemplum, inter Apostolorum res gestas, infantis baptizati : quod enim de familiis integris baptizatis dicitur, intelligitur de iis qui per ætatem suscipere Baptismum possent. Gratis præterea asseritur fuisse in illis familiis parvulos. Sic de Centurione refertur, quod crediderit cum domo ejus tota; nec tamen inde inferre licet parvulos ejus filios, si quos habuerit, credidisse.

228. *Resp.* Christi Domini exemplum, si legem non statuerit, nos non obligat ad ea facienda in iisdem rerum adjunctis, quæ libera reliquit. Equidem baptismus pœnitentiæ quem administrabat Joannes adultis conferebatur, ut ritu ipso moniti ad dolorem, quo mundarentur corda, excitarentur. Christus innocens sanctusque eum suscepit, ut aliis esset exemplo, Joanni te-

(1) L. iv. de Bapt. c. xxiii.
(2) Can. ii.
(3) Matth. xxviii. 19.
(4) Marc. xvi. 16.

stimonium perhiberet, et aquas, sui corporis contactu, sublimi muneri mundandi animas pararet. Ætatem autem qua suscipiendus esset Baptismus quem ipse instituit, nullibi definiisse legitur: ideoque jure optimo infertur licere omnibus absque ætatis discrimine eum conferre. Quod Apostoli non legantur infantes baptizasse, non obstat: nam res eorum gestas paucas recensuerunt sacri scriptores. Cæterum haud temere conjicitur parvulos aliquos vocibus illis comprehendi, quæ integras respiciunt familias. Non *parallelus* est locus qui objicitur: credendi enim vox necessario intelligitur de iis qui per ætatem fidem concipere valent; baptizandi e contra vocabulum alienam actionem designat, nullumque limitem exigit. Quotquot ablutionis sunt capaces eo comprehenduntur.

229. *Obj.* 3. Quum quidam superstitione quadam ducti parvulos baptizandos offerrent Tertulliani ætate, eos vehementer redarguit. « Itaque, » inquit, « pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctatio Baptismi utilior est: præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones possunt, et proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: « Nolite illos prohibere ad me » venire? » Veniant ergo, dum adolescunt; veniant dum discunt; dum quo veniunt, docentur: fiant Christiani cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? Cautius agitur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur: norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. »[1]

230. *Resp.* Ex ipsis Tertulliani verbis liquet eum velle immutare consuetudinem, non tunc primum inductam, sed vigentem jam, et stabilitam, utpote ab Apostolorum ætate derivatam. Suo indulgens ingenio severiori, opinatus est præstare ut Baptismus differretur, donec edoceri possint baptizandi quantum suscepturi forent munus. Singularis hæc sententia non obtinuit, sed post medium sæculum adeo immota perstitit vetus consuetudo, ut ne quidem octo dierum dilatio opportuna Episcoporum Concilio visa sit. Equidem quas objecit difficultates non ejusmodi sunt, quas Pædobaptismi hodierni adversarii urgent: petebantur enim imprimis ex sponsorum periculo, parvulorum nomine pollicentium quod ipsi, morte forsan prærepti, non possent curare adimplendum, quodque mala puerorum indoles, sponsoribus superstitibus, et solicitis, posset frustrari: deinde ex Sacramenti divina præstantia. Novatores Baptismum vi carere e contra dicunt, nihil proinde divinum continere; et sponsorum munus negligunt. Quod autem de parvulorum Baptismate differendo arrisit Tertulliano, de virginibus et viduis etiam visum est, quas tamen nemo dixerit ex lege Christi haud idoneas Sacramento. Pergit ipse: « Non minore de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant, aut continentia corroborentur. Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem: fides integra secura est de salute. » Qui severiora placita de parvulis miratur, hæc quoque pari ratione probet oportet.

231. *Obj.* 4. Gregorius Nazianzenus infantes baptizandos esse haud censuit.[2]

232. *Resp.* Censuit omnino Gregorius infantes baptizandos esse, quamvis

(1) L. de Baptismo c. xviii.

(2) Orat. xl. in S. Baptisma.

opinaretur oportere expectare triennium, si nullum immineret periculum, ut aliqualem notitiam muneris haberent. « Infans tibi est? » ait in sanctum Baptisma disserens : « Ne occasionem improbitas arripiat : ab infantia sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecretur. » . . . . « Quid de iis dices qui adhuc tenera ætate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum urgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quam sine sigillo et initiatione abscedere. Atque hujus rei ratio nobis est circumcisio die octavo peragi solita, quæ Baptismi figuram quodammodo gerebat, atque iis qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur. » . . . . . « De reliquis ita censeo, ut triennio expectato, aut aliquanto breviori vel longiori temporis spatio, (nam tum et mystici quiddam audire et respondere possunt, ac si minus plene et exacte intelligunt, imbuuntur tamen et informantur,) ita demum per magni Baptismi Sacramentum et animos et corpora sanctificent. . . . . At propter inopinatos et repentinos periculorum impetus, quique nulla ope atque auxilio propulsari queant, lavacro communiri omnino conducibilius est. » Hæc visa sunt insigni illi Præsuli, cujus tamen consilium de triennii dilatione cæteris non arrisit; quapropter consuetudo antiqua constitit immutata. Quam autem longe distent ejus placita a Baptistarum errore nemo non videt.

233. *Obj.* 5. Baptizandi infantes consuetudo ex falsa sententia de Baptismi necessitate et efficacia orta est : duplicem idcirco errorem conjunctum habet, quod scilicet haud baptizati infantes in æternum pereant, baptizati vero cœlesti gloriæ sint idonei, ablutione illa potius quam Christi sanguine.

234. *Resp.* Consuetudo illa ab Apostolis derivata est, uti veteres scriptores testantur, et iis fulcitur principiis quæ ipsi prædicarunt. Necessarius quidem est Baptismus, uti Christo docente didicimus, et efficax etiam, quia eo quisque renascitur, quum lavacrum sit regenerationis. Parvulos absque Baptismo decedentes ad salutem haud pervenire cum tota antiquitate christiana fateri cogimur, quin eos in æternum cruciandos credere jubeamur. Ex sanguine Christi derivari profitemur Baptismi virtutem, quam instrumentum tantum, non causam sanctitatis munerum, quibus augentur baptizati, agnoscimus.

Animadversiones.

235. Licet Calvinus fateatur parvulos esse baptizandos, non nititur præcipue summa Baptismi necessitate, sed jure potius filiorum fidelium, quos parentum ergo ad fœdus divinum pertinere censet. « Quamobrem et Judæorum liberi, quod ejus fœderis hæredes facti ab impiorum liberis discernerentur, semen sanctum vocabantur, eadem etiamnum ratione sancti censentur Christianorum liberi, vel altero dumtaxat fideli parente geniti : et Apostoli testimonio differunt ab immundo idololatrarum semine. »[1] Totum hujus rei fructum explicat juxta sua placita Calvinus : « Siquidem Dei signum puero communicatum, velut impresso sigillo, promissionem pio parenti datam confirmat, ac ratum esse declarat quod Dominus non illi modo, sed semini ejus in Deum sit futurus. »[2] « Quare, » dicit postea, « nihil plus in Pædobaptismo præsentis efficaciæ requirendum est, quam ut fœdus cum illis a Domino percussum obfirmet et sanciat. »[3] Tota Calvini doctrina eo redit, ut electis tribuatur gratia, et ideo Baptismo obsignandi sunt filii fide-

(1) Inst. l. iv. c. xvi. n. 6.

(2) Ibidem n. 9. (3) Ibidem n. 24.

lium qui electi censentur; quum cæteris nihil prosit. Magistri in verba jurarunt Presbyteriani.[1]

236. Quod Apostolus sanctos dicat filios fidelium, licet alter parens infidelis fuerit, intelligendum est eos legitimos esse, et sanctitatis veluti candidatos. Rogatus fuerat sententiam de iis qui matrimonio cum infidelibus conjuncti erant, eosque monuit ne a conjugibus discederent, si hi vellent cum iis tranquillam degere vitam : « Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. »[2] Eximit Apostolus fidelibus scrupulum quo angebantur aliqui de juribus matrimonii erga ethnicos conjuges servandis, eaque docet sancta fieri et legitima, ex fidelis conjugis consortio, quo etiam sæpe contigit ut infidelis ad fidem traduceretur. Filios eorum legitimos et sanctos dicit, ex toro nuptiali procreatos et fidelis genitoris studio institutis sanctis imbuendos.

CAPUT VII.

DE MINISTRO BAPTISMI.

237. Baptismum collatum ab hæreticis nihil valere censuit Tertullianus, nisi placeat ejus verba de iis intelligere, qui, mysterio Trinitatis haud agnito, invocationem trium personarum baptizando negligebant. « Hæretici autem, » inquit, « nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est, idem, ideoque nec Baptismus unus quia non idem : quem quum rite non habeant, sine dubio non habent. »[3] Agrippinus, Carthaginensis Episcopus, ineunte tertio sæculo, iterum baptizandos censuit qui ab hæreticis baptizati fuerant; quæ invaluit in Africa consuetudo, et a S. Cypriano et collegis suis, in pluribus Conciliis, decretis firmata est, annis 255, et 256. Re ad Pontificem Romanum delata, S. Stephanus illas Conciliorum sanctiones, universalis Ecclesiæ moribus et traditioni adversas, vehementer improbavit, minatus Præsules illos sese abstenturum, Ecclesiæ scilicet communione privaturum, si in novitate tuenda perseverarent. Decreti ejus summa in S. Cypriani epistola ad Pompeium exhibetur his verbis : « Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam. »[4] Firmilianus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, eamdem ac Cyprianus sententiam tuitus est, acrioribus in Stephanum dicteriis prolatis. Sunt qui utriusque litteras hac de re supposititias habent, et Conciliorum acta, et totam controversiam in quæstionem vocant. Nobis tamen persuasum est Cyprianum, fidei studio, et hæresis odio, in eam sententiam per-

(1) « The infants of one or both believing parents are to be baptized. » « The efficacy of baptism is not tied to that moment of time wherein it is administered; yet notwithstanding, by the right use of this ordinance the grace promised is not only offered, but really exhibited and conferred by the Holy Ghost, to such (whether of age, or infants), as that grace belongeth unto, according to the counsel of God's own will in his appointed time. » Confession of Faith, ch. xxviii. n. 4. 6.

(2) I. Cor. vii. 12.

(3) Lib. de Baptismo. c. xv.

(4) Ep. lxxiv.

ductum fuisse, ut Baptismum ab hæreticis collatum non valere censeret, quamvis scripta ejus Donatistarum fraude vitiata fuisse non possimus non suspicari : licet enim pro humana conditione errore laboraret de re antea haud definita, vix nobis persuadere possumus sanctissimum et mansuetissimum Præsulem ea omnia scripsisse quæ illi in hac causa tribuuntur. Liceat igitur nobis cum Augustino dubitanter loqui, quoties de scriptis illis agitur : « illud Concilium, vel illa scripta, si vere ipsius sunt, et non, sicut aliqui putant, sub ejus nomine conscripta atque conficta. » [1] Res ad extrema fere devenit : « vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos schismatis malum oriretur. » [2] Id animadvertit Augustinus, qui glorioso Cypriani martyrio commemorato, id contigisse dicit, « ut si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur. » [3]

238. Quamquam Stephanus vetuerit ne Baptismus iteraretur, nulla fidei definitio ab ipso edita noscitur, adeo ut controversia nonnisi post ejus mortem fuerit sopita. « Nondum erat, » inquit Augustinus, « diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem, credo, ex Apostolica traditione venientem, sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. » [4] Hanc traditionem secuti Arelatensis Concilii, anno 314 habiti, Patres censuerunt : « De Afris quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, et si perviderint eum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur. » [5] Nicænum Concilium Catharos sola manuum impositione suscipiendos decrevit, « secus de Paulianistis, » [6] quia, uti certiores nos facit Innocentius I., « Paulianistæ in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti minime baptizabant. [7] » Hæc igitur norma est, juxta quam de valore Baptismi ab hæreticis collati judicandum erit. Decretis horum Conciliorum inhærens, censuit Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit. » [8]

239. Fidem Trinitatis non esse necessariam ad valorem Baptismi omnino tenendum est, quum Ecclesia semper agnoverit Baptismum, dummodo invocatio trium personarum facta sit consuetis verbis, qua omissa, vel vitiata verbis quæ sensum mutant, Baptismus non fit. Egregius est error Burneti, qui Baptismum nullum dicit, ubi Christianæ religionis essentia non servatur; e contra valere si fides articu-

(1) Ep. cviii. Argumenta quæ controversiæ et scriptorum authentiæ favent dilucide exposuit nuperrime vir doctissimus Joannes Baptista Palma, in opere cui titulus : « Prælectiones Historiæ Ecclesiasticæ » Romæ MDCCCXXVIII. Cap. XXVIII.

(2) Aug. l. v. de Bapt. contra Donatistas c. XXV.

(3) Ibidem L. i. c. XVIII.

(4) Ibidem Lib. II. c. VII.

(5) Can. VIII. (6) Can. XIX.

(7) Ep. XXII. ad Episcopos Macedoniæ.

(8) Sess. VII. can IV. de Baptismo.

lorum fundamentalium in secta vigeat.[1]

240. Quum a plerisque sectariis Baptismus valere censeatur, a quocumque fuerit collatus, saltem si fuerit *ordinatus*, necessarium non videtur principium illud explicatius propugnare, quod quidem totum ad Ecclesiæ traditionem et auctoritatem referendum est. Cæterum quædam difficultates solvendæ sunt, ne quis hac in re hæreat.

241. Mandatum baptizandi Apostolis quidem datum est; nec aliis nisi eorum successoribus legitimis, Episcopis scilicet catholicis, vel qui ab iis ad sacerdotium evecti sunt, licet illud aggredi munus extra necessitatem, adeo ut peccent hæretici præcones illud sibi usurpantes. Attamen valet Baptismus a quocumque collatus, quia ob ejus summam necessitatem Christus ita statuit, uti ex consuetudine et traditione Ecclesiæ didicimus. « Proinde, » uti animadvertit Augustinus, « quamvis hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat authoritas; ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat. »[2]

242. Quod ad canones dictos Apostolicos attinet, qui rejiciunt hæreticorum baptismum, Apostolos non habent auctores, et hac saltem ex parte nihil valent, quippe qui cum antiqua disciplina et doctrina pugnant. Patres autem nonnulli, ante Ecclesiæ definitionem, hæresis odio, baptismo ab iis collato repugnarunt, non satis perspectam habentes totius Ecclesiæ consuetudinem. Qui postea scripserunt, vel loquuntur de hæreticis qui *formam* verborum immutarunt, vel de effectibus, gratiæ scilicet donis, quæ prava voluntate hæresi adhærentibus non conferuntur, « quia, » ut ait Augustinus, « ejus effectus atque usus in liberatione a peccatis, et cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur. »[3]

243. Quæ gratia tribuitur infantibus ab hæreticis baptizatis, vi Baptismi, qui Christi est, conceditur. « Est quidem, » ipse loquitur Augustinus, « Christi Baptisma, quod ubique sanctum est, et quamvis apud hæreticos, vel schismaticos, ipsius tamen hæresis vel schismatis non est, et ideo nec ad ipsam Catholicam inde venientes oportet denuo baptizare. »[4] Adulti autem suæ voluntatis actu hæresi consentientes, et usurpationi ministerii, nullam gratiam consequuntur, quum pravus eorum animus obstet. Ideo quamvis Baptismus haud iterato suscipiendus sit, vehementer tamen doleant necesse est hæreseos quod inierunt consortio; et humili amplectantur animo ea quæ pœnitentibus offert remedia Christi Ecclesia. In ejus gremium olim recipiebantur, ejurata hæresi, manuum impositione quæ confirmandi ritum quodammodo imitabatur:[5] sicut etiamnum fit apud Græcos: apud nos vero recipiuntur post abjuratam hæresim, emissa fidei professione, et soluto excommunicationis vinculo, quo hæretici et eorum fautores obstringuntur. Hoc specialiter notavimus, ne quis sibi licere

(1) « Hence it follows that faith as to the essentials of christianity renders the baptism of the person receiving it valid. » Art. xix. p. 285.

(2) L. i. contra Cresconium c. xxxiii.

(3) L. vi. de Baptismo contra Donat.

(4) Ibidem, l. i. c. xix.

(5) Vide Trombellium de Confirm. dissert. iv. c. ii.

putet eos excipere ad Sacramentorum consortium, absque prævia absolutione a censuris, eo scilicet prætextu quod *formales* hæretici non fuerint : nam, quum Ecclesia non judicet de occultis, in foro externo nulla habetur ratio theologicæ illius distinctionis, sed omnes habentur hæretici qui in eorum communione versantur.[1] Iis igitur pace Ecclesiæ donatis Baptismi gratia datur, absque iteratione Sacramenti, adeo ut « idem ipse (*baptismus*) qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem; » uti de hæreticorum baptismo agens adnotat Augustinus.[2]

244. In Tridentino canone de valore Baptismi ab hæreticis collati verba illa, « cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, » cuiquam difficultatem facere possent. Cæterum « Pius V. definivit verum esse Baptisma, quo uterentur Calvinistæ adhibentes formam et materiam institutam a Christo, cum intentione generali faciendi quod Christus instituit; licet errarent in particulari interpretatione, et singulari intentione, ut alii fere omnes hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptismalis, vel circa aliquem ejus effectum : ob id baptizatos ab ipsis Calvinistis, non iterum tingendos sub conditione. » Verba sunt Concilii Ebroicensis relata a Benedicto XIV.[3]

245. Cur intentio baptizantis, vel aliud conficientis Sacramentum, requiratur, obvia est ratio, nempe ut actus sacramentalis sit, et Christi nomine perficiatur, secus a communibus actibus haud discernendus. Qui parvulum ablueret, dicendo ex pio animi affectu : « Abluo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; » quin de Baptismo cogitaret, haud censendus foret baptizasse. Cæterum satis gravis in scholis agitatur controversia, utrum valeat Baptismus a ministro collatus, qui exterius se gerens tamquam Christi et Ecclesiæ ministrum, interius sibi proponat adstantibus illudere, et quod Ecclesia facit facere haud velit. Ex Tridentina definitione contra Lutheri errorem, constat intentionem ministri requiri ut valeant Sacramenta; nec enim quæ irrisorie fiunt, et joco, possunt Christi nomine peracta haberi. Sed quando fraus non se prodit, et ex adjunctis, v. g. ex petitione fidelium, actus determinatur, adeo ut nomine Ecclesiæ agere serio videatur, sunt qui cum Juenino censent animum ejus et intentionem, quam dicunt *internam*, non posse Sacramentum frustrari. Equidem inter damnatas propositiones hæc reperitur : « Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : Non intendo facere, quod facit Ecclesia. »[4] Suam sententiam defendi tamen posse contendit Juenius, quia potest illa propositio de eo intelligi qui ita agit iis in rerum adjunctis in quibus se Ecclesiæ nomine agere non simulat. « Ea de causa, » inquit, « valide non baptizat, qui a nemine postulatus, domi cum expressa SS. Trinitatis invocatione infantem abluit, si intra se resolvat id quod fert propositio de qua agitur, Non in-

(1) Rejecta est illa distinctio, quatenus forum externum spectat, a supremæ Inquisitionis tribunali decreto 19 die Aprilis 1645, quo correptus est quidam, qui ea nixus distinctione quemdam e secta Calvini absolvisset, eo quod « ignarus hæresum et errorum Calvini non posset dici hæreticus formalis, sed tantum materialis. » Vide adnotationem P. Philippi a Carboneano in Theolog. P. Antoine, Tract. de virtutibus Theologicis c. iii. qu. vii.

(2) L. iii. de Bapt. contra Donatistas c. xiii.

(3) De Synodo Diœcesana, l. vii. c. vi. §. 9.

(4) Prop. xxviii. inter damnatas ab Alexandro VIII. anno 1690.

tendo facere quod facit Ecclesia. »[1] Cæterum dissimulare non possumus propositionem damnatam iis concipi verbis quæ sententiæ theologorum, qui *externam* tuentur intentionem, quæ scilicet actu se prodit, simillima sunt; cui proinde grave vulnus illatum Benedictus XIV. merito dicit.[2] Quum autem hæc insignes habeat vindices,[3] et, Summis Pontificibus consciis, sustineatur, nostrum non est eam improbare; ei scilicet gravissimæ rationes favent, sed auctoritatis pondus alio inclinat.

246. Episcopi, utpote Apostolorum successores, proprio suo jure sibi munus baptizandi vindicant : sed et presbyteri ad id exercendum, vi suæ ordinationis, sunt idonei, quamvis venia seu auctoritate Episcopi indigeant. « Dandi quidem *(Baptismum)* habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus : dehinc presbyteri et diaconi; non tamen sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. »[4] Ita Tertullianus. Diaconos baptizasse ab ipsis primordiis Ecclesiæ constat : Philippi enim ex primis septem diaconis opera, Samaritani et eunuchus salutari lavacro renati sunt. Cæterum, Gelasius Papa, mori jam inducto inhærens, de iis censuit : « Absque Episcopo, vel presbytero, baptizare non audeant.[5] Hinc diaconis jam non licet baptizare, nisi jubente Episcopo, vel parocho, ob magnam necessitatem vel Ecclesiæ utilitatem, uti monet S. Alphonsus de Ligorio. Quandocumque autem diaconis conceditur Baptismi administratio, solemni utuntur ritu.

247. Laici, urgente necessitate, licite baptizant, valide etiam extra necessitatem. Ita juxta Apostolicam traditionem docuit Tertullianus; quum enim Episcopis jus vindicasset, honoris causa, subjunxit : « alioquin etiam laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest. . . . . Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest. »[6] Monet tamen ne id extra necessitatem fiat : « Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis : quoniam reus erit perditi hominis si supersederit præstare quod potuit. »[7] Mulieribus negare videtur hanc facultatem;[8] sed intelligendus est extra necessitatis casum, illas scilicet plerumque minus decet munus hoc obire. Hieronymus ei concinit : « Baptizare, si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis. »[9] Concilium Eliberitanum censuit : « Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum. »[10] Quas dotes exigit Concilium in baptizante, scilicet ut lavacrum suum integrum haberet, nullo maculatus crimine quod pœnitentia luendum esset, et ut plus quam

(1) Diss. I. de Sacramentis in genere, qu. v. obj. 4. Drouen dicit « Non nostra, sed prava Lutheri doctrina, quam imprudenter Belgæ quidam theologi in hæreticarum provinciarum vicinia renovaverant, Romanæ inquisitionis decreto petita est. » De Re Sacramentaria l. I. c. iii. §. ii. prob. quinta.

(2) L. vii. de Synodo c. iv.

(3) Plurimos recenset Drouen in opere supra laudato : *De Re Sacramentaria*, l. i. c. iii. §. 2.

(4) Tertullianus Lib. de Baptismo c. xvii.

(5) Ep. ad Episcopos per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutos.

(6) Lib. de Baptismo c. xvii.

(7) Ibidem.

(8) Burnetus fatetur in antiqua Ecclesia mulieribus in necessitate baptizare permissum. Analysis article xxvii. p. 477.

(9) Contra Luciferianos.

(10) Can. xxxviii.

semel matrimonium non inierit, hujusmodi præ cæteris, qui forsan adessent, debere sacro munere fungi indicat, quin neget quemcumque, si talis præsto non foret, posse id facere, uti recte adnotat Albaspinæus. [1] Gelasius agnovit laicis id licere : « quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur. » [2] Imo Baptisma « a quocumque rite collatum proficit ad salutem, » uti docuit Nicolaus I. respondens ad consulta Bulgarorum, et constat ex Lateranensis IV. Concilii decreto, cui consonat Eugenii instructio : « Etiam paganus et hæreticus baptizare potest. » [3]

248. Antiquissimum esse morem agnovit Calvinus : « Quod autem multis abhinc sæculis adeoque ab ipso fere Ecclesiæ exordio, usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quam firma ratione defendi queat. » [4] Presbyteriani Calvinum sequi, quam totam antiquitatem venerandam maluerunt, et Baptismum æque ac cœnam nonnisi a ministris verbi divini rite ordinatis ministrari posse contendunt; [5] sibi de sua ordinatione ludentes. Episcopales in contrarias abeunt sententias. [6]

CAPUT VIII.

DE CHARACTERE.

249. Cum illa quam de Baptismo ab hæreticis collato controversia retulimus, connexa est alia de charactere baptizatis impresso; ideo quippe iterandus Baptismus non erat quia anima charactere quodam insignita erat, qui deleri non poterat. Quum anima partibus careat, charactere de quo loquimur « Spirituale quoddam signum, » intelligendum est, prout docet Eugenius, « a cæteris distinctivum et indelebile, » [7] scilicet quo baptizatus ab eo qui non recipit Baptismum, reipsa, et coram Deo distinguitur, quodque maneat, numquam delendum. Tribus Sacramentis characterem hunc imprimi docet Ecclesia, anathemate in contra dicentes lato : « Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit. » [8]

250. Character Baptismo impressus a Patribus Ecclesiæ prædicatur, utique juxta traditionem ab Apostolis derivatam. « Nemo te, » inquit S. Basilius, « quarum, nostrarum, an adversarii, partium sis, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præteferas, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? » [9] S. Augustinus confert Baptismi characterem cum nota corporibus militum olim inusta : « An forte minus hærent Sacramenta christiana quam corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur? » [10] Alio in loco dicit : « Habere et dare, et accipere Baptismi

(1) Cit. a Juenino Diss. ii. de Baptismo, qu. vi. c. ii. art. ii.

(2) Ep. ad universos Episcopos c. vii.

(3) Instr. ad Armenos in Conc. Flor.

(4) In Antidoto adv. Conc. Trid. Sess. vii. can. x.

(5) Confession of faith, ch. xxvii. n. iv. « neither of which may be dispensed by any, but by a minister of the word lawfully ordained. »

(6) Vide A dictionary of the Church, by Rev. Wm. Staunton, New York, 1839, art. *Lay Bapt.*

(7) Decreta ad Armenos.

(8) Sess. vii. can. ix.

(9) Hom. xiii. in S. Baptisma.

(10) L. ii. contra epist. Parmeniani c. xiii.

Sacramentum. » « Satis eluxit pastoribus Ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea, plenarii Concilii authoritate, originalis consuetudo firmata est, etiam ovem quæ foris errabat, et Dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius quam improbari : quandoquidem ipsum characterem multi et lupi et lupis infigunt. »[1]

251. Hujus characteris insigne argumentum est perpetua Ecclesiæ consuetudo, pluribus Conciliorum decretis firmata, juxta quam Baptismus numquam iteratur : nulla enim alia idonea hujus consuetudinis ratio adsignari potest, quum videretur oportere iterum abluere qui peccati sordibus se inquinaverat. Dicit Burnetus, Anglicanus, ideo non iterari Baptismum, quia semel Deo dicatus homo, debet semper eadem conditione æstimari, donec totali apostasia defecerit.[2] Sed si valeat ratio, saltem iterum baptizandus foret qui ad Mahumetanos, vel Ethnicos defecisset, et deinceps facti pœnitens, consortium Christianorum et jura peteret : quem tamen nefas est undis lavacri tingere.

252. Patet igitur temere et falso characteris notionem ab Innocentio III., primum excogitatam dici : nec enim rem novam tradidit, sed notissimam Ecclesiæ doctrinam singulari accommodavit casui. Quærebatur utrum qui in amentia, aut lethargo correpti, abluti fuerint ritu baptismali, habendi essent baptizati. Respondit nihil valere ritum si præviam non habuerint voluntatem Baptismi suscipiendi, dum sui essent compotes; valere si jam desideraverint Baptismum : « Tunc ergo, » inquit, « characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem. »[3] Ex quo colligitur baptizandos non esse, etiam in mortis discrimine, eos qui nullum suæ voluntatis indicium præbere possunt, si contraria voluntas ex prævia eorum agendi et loquendi ratione colligatur : baptizandos e contra eos, quorum prævia voluntas fuerit declarata. Quoties autem de voluntate non constat, ex indiciis verosimile judicium efficitur, et benignior plerumque in extremo vitæ periculo anteferenda est sententia, ut quantum possumus periclitanti salute subveniamus. Qui autem nullo vitæ suæ tempore fuerunt sui compotes, infantium instar habentur, ideoque recte abluuntur aqua, ut sanguine Christi ab originis labe mundentur.

CAPUT IX.

DE CÆREMONIIS.

253. Tota Baptismi essentia in actu baptizantis sita est, ablutione scilicet facta in nomine trium personarum divinarum. Attamen consueverunt plurimi adhiberi ritus prævii, nonnulli etiam postea, qui magnæ sunt antiquitatis, et plurima præbent adstantibus documenta.

254. Tertulliani ætate, Paschatis et Pentecostes tempora solemni Baptismi administrationi dicata sunt, quem morem ab Apostolis derivatum esse Leo Magnus testatus est. « Diem Baptismo solemniorem, » inquit Tertullianus, « Pascha præstat; cum et passio Domini, in quam tinguimur, adimpleta est. » . . « Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium

(1) L. vi. de Baptismo contra Donat. c. i.
(2) Analysis Art. xxv. p. 417.
(3) Cap. Majores, l. iii. Decret. tit. xlii.

est. . . . . Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo : si de solemnitate interest, de gratia nihil refert. » [1] Orientales in Epiphania etiam solemniter baptizabant. Morem hunc in adultorum Baptismate retineri, vel saltem non omnino prætermitti, præcipue in metropolitanis aut cathedralibus Ecclesiis, cupit Rituale Romanum.

255. Ubique ab initio Baptismus administrabatur, sed fide jam diffusa, erecta sunt Baptisteria prope Ecclesias cathedrales ; postea etiam prope parochiales, ut ibi Baptismus conferretur. Romæ prope Ecclesiam Lateranensem Baptisterium adhuc extat. Monet Rituale Romanum : « necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet. »

256. Aqua ab antiquissimis temporibus solemni ritu consuevit consecrari, ut sanctitas Sacramenti, et gratia significaretur. « Consecramus, » inquit Basilius, « aquam Baptismatis et oleum unctionis, præterea ipsum qui Baptismum accipit : ex quibus scriptis ? nonne a tacita secretaque traditione ? » [2] Hinc Augustinus contra Donatistas vindicans Sacramenta quæ ab improbis ministris contigerit ministrari, ait : « Quomodo aquam mundat et sanctificat homicida ? Quomodo benedicunt oleum tenebræ ? Si autem Deus adest Sacramentis et verbis suis, per quales-libet administrentur, et Sacramenta Dei ubique recta sunt. » [3] Et inferius : « Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Evangelio : « *Deus peccatores non audit*, » ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur : quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur ? Quæ omnia et fiunt, et valent, etiam per homicidas, id est per eos qui oderunt fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia. » [4] In Apostolicis Constitutionibus, quæ veterem exhibent disciplinam, habetur ritus aquam consecrandi. [5] Cæterum ipsa aquæ consecratio ad solemnitatem ritus pertinet, quæ graviter quidem injungitur, quamvis ad substantiam Sacramenti non spectet.

257. Dum consecratur aqua solemniter, eam tangit sacerdos, et in modum crucis dividens, ut virtutem a Christo crucifixo derivari significet, in quatuor partes effundit, ut gratiam quam Christus nobis promeritus est, in universum orbem diffundi declaret. Mergit cereum, ut Spiritus sancti virtutem aquis communicari ex eo quod Christus in Jordanem descenderit, innuat. Insufflat, ritu pervetusto, cujus in Christo Domino Apostolis aspirante, exemplum videre est ; qua ratione significatur divinum Spiritum, satanæ potestate compressa, vim mundandi animam aquis impertiri. Chrismatis admixtio fit, ut Spiritus sancti gratia indicetur ; [6] qui finis totius est ritus, ut intelligatur aquas natura sua non habere virtutem sanctitatem impertiendi, sed eam a Christo derivare, cujus meritis et instituto fit ut ex aqua et Spiritu sancto renascamur. Gnostici, referente Irenæo, ritum quemdam haud absimilem suis asseclis peragebant ; sed « profanis dictionibus, » a quibus abhorremus. [7]

258. Sponsores a Tertulliano memorantur, qui adultorum dotes testabantur, ut ad Baptismum admitterentur, et

(1) Lib. de Baptismo c. xix.

(2) Lib. de Spiritu sancto c. xxvii.

(3) L. v. de Bapt. contra Donatistas c. xx.

(4) Ibidem.

(5) Id fatetur Staunton in compendio antiquitatum christianarum, quod jam citavimus. Book 4, ch. i. § 148.

(6) Ridendos se præbuerunt Presbyteriani, ante paucos annos, in cœtu generali de Baptismi valore a Catholicis collati dubitare se profitentes, eo quod oleo baptizemus.

(7) L. i. adv. hær. c. xviii.

infantes edocendi, iisque invigilandi munus suscipiebant : sed falluntur Episcopales nonnulli, eos ad valorem Baptismi requiri putantes.

259. Ante fores Ecclesiæ sistebant se baptizandi, veluti ingressus facultatem petentes. Dabant suum nomen,[1] *competentes* inde vocati quod Baptismum peterent. In Baptismo nomina « sanctorum virorum qui virtutibus fulserunt, »[2] suscipiebant, pro nominibus ethnicis : qui mos nobis imitandus omnino proponitur in Rituali Romano.

260. Scrutinia plura fiebant baptizandorum statis diebus, ut eorum exploraretur voluntas. Ante Baptismum Paschalem septem habebantur scrutinia, tria feriis secunda, quarta, et Sabbato primæ hebdomadis Quadragesimæ, tria alia iisdem feriis quartæ hebdomadæ, et ultimum Sabbato sancto. Tria tantum præcedebant Baptismo qui in Vigilia Pentecostes administrabatur.[3] Hæc jam non servantur, quum propagata fide christiana fere omnes in infantia baptizentur. Ministrorum igitur prudenti arbitrio permittitur, ut privatis documentis et pietatis exercitiis candidatos parent.

261. Vetustissimus est ritus satanæ et angelis ejus ante Baptismum renuntiandi,et fidem profitendi, quæ plerumque fiebant scrutiniorum occasione. Jam Tertulliani ætate mos erat receptus, ex traditione Apostolica, uti testatur, derivatus : « aquam adituri. . . aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus. »[4] De fidei professione constat ex documentis antiquissimis, eamque a sponsoribus nomine parvulorum fieri testatur Augustinus : « respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem pertinet Sacramenti. »[5] Hæc adhuc vigent.

262. De exsufflationibus agit S. Cyrillus Hierosolymitanus;[6] et ex iis contra Pelagianos argumentum derivavit Augustinus, adeo receptus erat ritus in tota Ecclesia,a prima antiquitate.Quum Pelagius Manicheismi incusaret doctrinam de originis peccato, questus est Augustinus quod « antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur, et exsufflantur parvuli, ut in regnum Christi a potestate tenebrarum, hoc est, diaboli et angelorum ejus, eruti transferantur. »[7]

263. Signo crucis pluries signabantur catechumeni, iisque manus imponebatur, prout testatur Augustinus, quos ritus haud sine fructu peragi merito dixit. « Non unius modi est sanctificatio : nam et catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, et orationem manus impositionis puto sanctificari : et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius, quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est. »[8] Latius hac voce utitur de sale, quod veluti sapientiæ symbolum catechumenis dabatur, loquens, prout de se catechumeno alias testatur : « Signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale. »[9]

264. Pulchre explicat auctor libri de Sacramentis, qui diu adscriptus est Ambrosio, ritum signandi saliva aures et nares, qui licet haud usurpatus

(1) Conc. Carthag. iv. an. 398. Aug. in lib. de cura pro mortuis.

(2) S. Joannes Chrysostom. hom. xxi. in Gen.

(3) Vide Trombelli tom. i. de Bapt. diss. v. p. 244.

(4) Lib. de corona militis c. iv. Vide etiam lib. de spectaculis.

(5) Ep. olim xxiii. nunc xcviii. ad Bonif.

(6) Catech. ii. n. 3.

(7) L. ii. de nuptiis et conc. c. xix.

(8) L. ii. de pecc. meritis et remiss. c. xxvi. n. 42.

(9) Confess. l. i. c. xi.

apud Græcos in Latina Ecclesia perantiquus est : « Quid egimus sabbato? nempe apertionem : quæ mysteria celebrata sunt? apertionis, quando tibi aures sacerdos tetigit et nares : quod significat in Evangelio Dominus, dum ei oblatus esset surdus et mutus, et tetigit aures et os ejus; aures quia surdus erat, et os quia mutus, et ait : *Ephphetha*, quod Hebraicum verbum est, et dicitur, « adaperire; » ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit . . . quare nares? ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas, Christi bonus odor sumus, quemadmodum dicit sanctus Apostolus, et sit in te fidei et devotionis plena fragrantia. » [1] Vides quantam habeat significationem ritus quem vulgo irrident Protestantes.

265. Ungebantur toto corpore catechumeni apud Græcos et Orientales, prout constat ex Cyrillo Hierosolymitano, [2] et Chrysostomo, [3] et ex Græcorum Euchologiis. In Sacramentario quod dicitur S. Gregorii M., scapularum et pectoris, prout nunc fit apud nos, unctio præscribitur. Significationem hujus ritus explicat Innocentius III : « Baptizandus in pectore inungitur, ut per sancti Spiritus donum, abjiciat errorem et ignorantiam, fidem rectam suscipiat, quia justus ex fide vivit; inter scapulas autem inungitur, ut per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat; quia fides sine operibus mortua est; ut per fidei Sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, et per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis, ut per dilectionem operetur. » [4] Constat unctionem in Scripturis Spiritus sancti gratiam designare : « Et vos unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis. » [5]

266. Chrismate post Baptisma in capitis vertice unctio in vetusto Sacramentario Romanæ Ecclesiæ reperitur, [6] et ab Ambrosio in libro de Sacramentis commemoratur. [7] Videtur inductus quando, Episcopo haud præsente, impositio manuum cum chrismatis unctione in fronte fieri non poterat.

267. Candida veste induebantur neophyti in puritatis indicium, prout memorat Ambrosius. [8] Linteolum candidum ejus loco capiti nunc imponitur.

268. Cereus ardens ponebatur in manibus, cujus significationem pulchre declarat S. Gregorius Nazianzenus : « Lampades quas accendes, » inquit, « illius luminum gestationis figuram gerunt, cum qua splendidæ et virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obviam prodibimus. » [9] Ritus apud nos viget.

269. Lac et mel neophytis dabantur in Latina Ecclesia, testante Tertulliano: « Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus. « [10] Quædam Ecclesiæ alios ritus moresque his adjiciebant, sed hi fere omnes per totam servabantur Ecclesiam.

270. Rituum quos recensuimus velut compendium in Rituali Romano exhibetur, scilicet quæ diversis temporibus fiebant in scrutiniis, simul collecta adhuc peraguntur, minus solemni tamen ratione. In hac igitur re venerandam antiquitatem sequimur, sectis plerisque ne umbram quidem solemnioris illius ritus retinentibus. Jactant Episcopales se esse antiquitatis cultores; sed qui velit eorum ritus cum

(1) L. i. de Sacr. c. i. (2) Catech. myst. ii.
(3) Hom. vi. in ep. ad Coloss.
(4) Cit. a S. Thoma Aquin. iii. p. qu. 66. art. 10. ad 2. (5) I. Joan. ii. 27.
(6) III. lib. Sacr Rom. Eccl. l. i. § 44 apud Thomasium t. vi. operum.
(7) L. ii. de Sac. c. vii. p. 24.
(8) L. de his qui initiantur, c. vii.
(9) Orat. in S. Bapt.
(10) L. de corona militis c. iii

veteribus conferre, videbit eos toto distare cœlo. Ipsum crucis signum, de quo scribit Augustinus : « Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit . . . . ne Christi opprobrio Christianus erubescat, » [1] vix ausi sunt Anglicani ex omnibus ritibus retinere, semel tantum post Baptismum faciendum, magno studio conantes suis eximere ea de re scrupulum ; [2] qui autem Anglicanis adhærent Episcopales harum provinciarum unicum illum ritum eorum qui baptizandos offerrent pueros permiserunt arbitrio ! [3]

271. Ex his quæ retulimus liquet Baptismi ritus esse vetustissimos, plerisque ab Apostolica ætate derivatis. Eos etiam eo fine peragi liquet ut Christi Domini res gestæ, et fidei mysteria una cum christiani hominis officiis memoriæ adstantium commendentur, et mentibus altius infigantur : quamobrem curandum est sacerdotibus ut eos accurate expleant, et data occasione explicent, nec enim absque piaculo prætermittuntur, vel a Baptismo separantur, nisi gravis admodum urgeat causa. Oxonienses jam plorant suorum temeritatem, qua omnes fere ritus sacri derelicti sunt, magnumque in eo ponunt studium ut antiquitatem et utilitatem Ritualis Catholici vindicent. [4]

(1) In Ps. xxx. conc. 3.

(2) « To take away all scruple concerning the use of the sign of the cross in Baptism, the true explication thereof ; and the just reasons for the retaining it, may be seen in the xxxth canon, first published in the year MDCIV. Rubric of the Book of Common Prayer of the Church of England. »

(3) « If those who present the infant shall desire the sign of the cross to be omitted, although the church knows no worthy cause of scruple concerning the same, yet, in that case, the Minister may omit that part of the above which follows the immersion. » Rubric of American Book of Common Prayer.

(4) Ne hæc gratis affirmare videamur, legatur tractatus 34, vol. i. Rites and customs of te Church. Plurimos fuisse ritus Ecclesiæ primitivæ dicit : « the multitude of rites, which were in use in the primitive Church. » Quæ ex Scriptura adducit testimonia in quibus ad ritus fit allusio, sufficere censet ut totam rituum disciplinam, qualis in scriptis veterum reperitur, amplectamur : « These instances . . . are surely sufficient to reconcile us to the complete ritual system which breaks upon us in the writings of the Fathers. » Si quid Scripturis manifeste adversum occurrat, rejiciendum fatetur, secus cum magna veneratione suspiciendum : « till this is shown, we are bound to venerate what is certainly primitive, and probably is apostolic » Addit ritus plerosque eo destinari, ut Scripturæ testimonia veluti referantur : « It will be remarked, moreover, that many of the religious observances of the early Church are expressly built upon words of Scripture, and intended to be a visible memorial o them. » . . . « Accordingly, from the frequent mention of *oil* in Scripture as the emblem of spiritual gifts, (Is. lxi. 1—3, etc.) it was actually used in the Primitive Church in the ceremony of admitting Catechumens, and in baptizing. . . And so from the figurative mention of *salt* as the necessary preparation of every religious sacrifice it was in use in the Western Church, in the ceremony of admitting converts into the rank of catechumens. » . . . « As a whole the Catholic ritual was a precious possession. »

TRACTATUS XII.

DE CONFIRMATIONE.

PRÆNOTANDA.

1. Secundum Sacramentum dicitur *Confirmatio*, quia eo roborantur fideles virtute et gratia Spiritus sancti, ut fidem firmiter teneant, et intrepide profiteantur, omnia pati parati potius quam Christo vel ejus doctrinæ renuntiare. Definiri solet Sacramentum novæ legis a Jesu Christo Domino nostro institutum, in quo impositione manuum Episcopi cum oratione, Spiritum sanctum accipimus, ut fortes perfectique Christi discipuli efficiamur. De illa manuum impositione imprimis agendum duximus, deinceps de chrismate inunctione, quæ fit in hujus Sacramenti administratione, sermonem habituri. Nomen *Confirmationis* apud S. Ambrosium reperitur, [1] et in Sacramentario quod Gregorii Magni vocatur. De aliis ejus nominibus ex dicendis sat innotescet.

2. Novatiani, sui ducis exemplum secuti, signari chrismate, scilicet confirmari, neglexerunt. Ex Arianis qui Apollinarium magistrum errorum habuerunt, Spiritus sancti impugnantes honorem, dona ejus in Sacramento haud agnoverunt. Albigenses errasse hac de re a nonnemine censentur : ab aliis vindicati. Waldenses veteres professi sunt istud observatum fuisse temporibus Apostolorum : posteriores assensi sunt Protestantibus, fœdere cum iis, anno 1532, inito. Wickleffus minus recte de eo sensit : Lutherus palam impugnavit. Calvinus ejus pressit vestigia : attamen ritus vetusti ut redderet rationem, nec enim diffitetur eum viguisse in Ecclesia, ait : « Qui baptizati erant infantes, quia fidei confessione apud Ecclesiam tunc defuncti non erant, sub finem pueritiæ, aut ineunte adolescentia repræsentabantur iterum a parentibus, ab Episcopo examinabantur secundum formulam Catechismi, quam tunc habebant certam ac communem. Quo autem hæc actio, quæ alioqui gravis sanctaque merito esse debebat, plus reverentiæ haberet ac dignitatis, cæremonia quoque adhibebatur manuum impositionis. Ita puer ille, fide sua approbata, cum solemni benedictione dimittebatur. » [2] Hæc præ oculis habuisse videntur Anglicani, dum ritum Confirmationis præscriberent. Pueros aliosve fidei præcipua mysteria edoctos Episcopo sistendos jubent, qui ei interroganti respondent se sua sponte renovare sponsiones suo nomine in Baptismo factas. Deinceps Episcopus orationem fundit, quæ ex Pontificali Romano,

(1) In lib. de Mysteriis c. vii.

(2) Inst. l. iv. c. xix, n. 4.

aliquibus mutatis et adjectis, desumpta est. Manus singulis deinceps imponit, precans ut Dominus hunc puerum suum gratia cœlesti defendat, ut in perpetuum illius sit, et quotidie sancto Spiritu augeatur. Orationem Dominicam cum duabus aliis orationibus postea recitat, et illis benedicit. Attamen scriptores aliqui Anglicani et qui eos in hac regione sequuntur Episcopales, Catholicorum fere more, de hoc Sacramento loquuntur. [1] Leibnitzius Catholicis hac in re assensus est : Daub et Fessler inter recentiores scriptores protestanticos illud agnoscunt. Rosenmüller post Eichhornium Apostolorum ges gestas explicat ratione quæ Catholicis favet. Baptistæ manuum impositionem inter Christi instituta recensent, eamque fieri docent ad gratiam Spiritus sancti communicandam. [2]

3. Concilium Tridentinum Sacramentum hoc contra novatorum argutias ut defenderet, hunc edidit canonem : « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum ; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit. » [3]

CAPUT I.

DE SACRAMENTO.

Propositio.

Confirmatio est verum ac proprium Sacramentum.

4. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Post relatam Samaritarum ad fidem conversionem pergit Lucas : « cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. » [4] Liquet illam manuum impositionem fuisse

(1) « Confirmation is the perfection of Baptism. The Holy Ghost descends invisibly upon such as are rightly prepared to receive such a blessing, as at the first He came visibly upon those that had been baptized. » Bishop Wilson's Meditations on his sacred office ; Oxford Tracts, vol. I. N. 62. Oxonienses insinuant fidem de gratia hujus ritus, sicut et de absolutione et ordinatione, in sua secta orali traditione servatam ! « Some (*doctrines*) have been retained by oral tradition, and maintained by her uniform spirit of deference to the early Church, whose hallowed lamp she carries on, and whose handmaid she is. Such, for instance, is her view of the spiritual benefits of absolution and confirmation, or the spiritual gifts in ordination, which are assumed to be great and real where these ordinances are duly and worthily received; but what they are, is not dogmatically enunciated, being presupposed as already known, through the successive teaching of her Ministers. » Oxford Tracts, Vol. IV. N. 81.

(2) In fidei confessione quam adoptarunt Baptistæ in cœtu generali, Philadelphiæ, Sept. 25, 1742, cap. 31 hæc reperiuntur — « We believe that *laying on of hands* (with prayer,) upon baptised believers as such, is an Ordinance of Christ, and ought to be submitted unto by all such persons that are admitted to partake of the Lord's Supper; and that the end of this ordinance is not for the extraordinary gifts of the Spirit, but for a farther reception of the Holy Spirit of promise, or for the addition of the graces of the Spirit, and the influences thereof; to confirm, strengthen and comfort them in Christ Jesus; it being ratified and established by the extraordinary gifts of the Spirit in the primitive times, to abide in the Church as meeting together on the first day of the week was that being the day of worship, or Christian Sabbath, under the Gospel, and as preaching the word was, and as baptism was, and prayer was, and singing psalms etc. was, so this of laying on of hands was. For as the whole gospel *was confirmed by signs and wonders, and divers miracles and gifts of the Holy Ghost* in general, so was every ordinance in the like manner confirmed in particular. »

(3) Sess. vii. Can. i. de Confirm.

(4) Act. viii. 14.

Apostolicum munus, quod Philippus peragere non valebat; quo tamen indigebant fideles, ut Spiritu sancto roborarentur, ejusque augerentur donis. Nulla alia fuit ratio cur Apostoli iter susciperent, ut illud obirent qui alias nec tanta cum fiducia manus imposuissent et orassent, veluti Spiritus sancti dona eo ritu certo impetraturi. Quod autem suo veluti arbitrio, nulla accepta a Christo Domino potestate, et jussione, id sibi proposuerint, ut manuum impositione cum prece conjuncta Spiritum sanctum fidelibus impetrarent, nemo poterit cogitare absque gravi ipsorum injuria. De gratia divini illius Spiritus, qua homines christiani justitiæ et sanctitatis majoribus donis augentur, eo loci agi constat; nam charitas imprimis in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum, cujus templum efficiuntur in quibus habitat. Renati quidem erant fideles illi Baptismo ex aqua et Spiritu sancto, sed nondum in quemquam illorum venerat, præsentiam suam muneribus amplioribus et donis manifestaturus.

5. Habentur eo loci omnia quæ ad Sacramenti essentiam requiruntur; est enim ritus externus, manuum scilicet impositio cum oratione : gratia Spiritus sancti eo confertur : qui effectus ritui illi non potuit sola Apostolorum voluntate alligari; alligatum tamen fuisse constat, tum ex certa fiducia qua eum peregerunt Apostoli, ut Spiritum sanctum fidelibus communicarent, tum ex itinere, eo consilio, suscepto, Apostolis omnibus, qui Hierosolymis tunc forte aderant, auctoribus. [1] Igitur res erat omnibus explorata Spiritus sancti gratiam sic dari, eamque fidelibus omnibus, Baptismo renatis, esse communicandam. Christus igitur ita statuisse censendus est; nec enim alius quisquam potuit tantam virtutem ritui alicui indere.

6. Insigne etiam exemplum alio loco refertur. Paulus cum Ephesum venisset, quosdam invenit discipulos : « dixitque ad eos : Si Spiritum sanctum accepistis credentes? » [2] Liquet igitur fidelibus omnibus illud muneris dari consuevisse, et Apostolum maxime solicitum fuisse, ne quis eo careret. Quomodo autem daretur, postea declaratur : postquam scilicet Baptismum Christi nomine susceperant, antea enim nonnisi Joannis baptismo abluti fuerant, « cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. » [3] Manuum igitur impositione dabatur Spiritus sanctus, nec forte fortuna, sed certo rei effectu : nam ideo eum peregit ritum Paulus, tamquam effectum indubitata fiducia exspectans. Quod autem linguarum dono et prophetia Spiritus sancti præsentia adstantibus facta sit manifesta, contigit benignissimo Dei consilio, ut ritus effectus interiores, in rei christianæ exordiis, innotescerent, externis illis donis comprobati. Spiritus sanctus datus est imprimis procul dubio ad animam Deo gratiorem reddendam, et firmiorem contra dæmonis impetus, sed adstantibus innotuit, miris quæ omnibus patuerunt donis. [4] Res illæ gestæ plane denotant munus, quod peregerunt

(1) « Licet id eis in itinere suscipiendo consilii fuisse diserte non affirmetur, legimus tamen, eosdem post adventum statim preces Deo adhibuisse, ut Spiritus sancti dona impertiret Samaritis. Tum ad transitum in cœtum Christianorum non solum Baptisma requirebatur, sed (observante Eichhornio in Allg. Bibl. T. iii. p. 409 et seq.) Apostoli rem jam sic instituisse videntur, ut Baptisma et institutionem sequeretur solemnis manuum impositio. Vid. Heb. vi. 2. Rosenmüller in loc.

(2) Act. xix. 2. (3) Ibidem 6.

(4) In dialogo quem Oxonienses ediderunt, colloquii instar inter Joannem Evans et Doctorem Spencerum, parochum suum, ut dicunt, res feliciter exhibetur. Hic ait : « When the doctrine

Apostoli Christi nomine, quodque susceperunt fideles universi, gratia Spiritus sancti ea ratione aucti et roborati.

7. Dubitari non potest munus illud quod obierunt Apostoli erga fideles omnes absque discrimine, ad Apostolicum ministerium spectare, ideoque Christum habere auctorem, et esse in Ecclesia perpetuum; quæ enim ministerii sunt a Christo derivantur perpetuo servanda. Quum autem ea ratione Spiritus sanctus daretur certo et universe, eum adhuc dari eodem ritu necesse est; et proinde agnoscendum est novi Testamenti Sacramentum, quo, impositis manibus, et fusa prece ab Apostolorum successoribus, Spiritus sanctus fidelibus absque sexus vel conditionis discrimine datur, utique ut divinis donis perficiantur.

8. Apostolus Paulus profecto impositionem manuum cum Baptismo conjungit, veluti primarium ritum, de quo edocere jam non oportebat fideles sacris imbutos : « Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei ad Deum; baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum. » [1] Hæc manuum impositio Baptismum sequens inter fidei rudimenta ritusque quibus fideles initiabantur, recensetur, ideoque habenda est omnibus communis, utpote omnium ergo a Præsulibus Ecclesiæ peragenda.

9. *Probatur* 2. *ex Patribus*. S. Cyprianus, loquens de Samaritis, dicit : « quia legitimum et ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur. » [2] Agnovit igitur Cyprianus illam manuum impositionem cum oratione baptizatis deesse, utpote rem quæ ad eorum perfectionem spectabat : ritumque esse post Apostolorum ætatem in Ecclesia adhuc vigentem, quo Spiritus sanctus conferebatur. Eum Sacramentum vocat una cum Baptismo : « Parum est eis manus imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi recipiant et Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim plene sanctificari, et esse filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur. » [3]

10. S. Augustinus Christum esse Deum probat ex eo quod Apostolorum ministerio dederit Spiritum sanctum : « Neque enim, » inquit, « aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus

of the Holy Ghost, and of his inward influence, was new to the world, it pleased God to confirm it, and to show that the influence was real, by permitting, in some cases, those on whom it descended to perform works which they could not have done, had not God been with them. Thus the real importance, even then, of these miraculous gifts consisted in their bearing witness to the inward and unseen ones which God still showers upon his Church. » Reponit Joannes : « And which we dare not suppose to have ceased, merely because the outward signs of them did, when God himself had promised that they should last for ever. » Subjungit doctor, seu parochus Anglicanus : « Well, the promise of support to the Apostles, in the performance of their ministerial duties, was equally perpetual; Christ was to be with them, we have seen, as the teachers and baptizers of all nations, « alway, even unto the end of the world. » The reality of their powers, and among others, of their power of conferring the Holy Ghost on others, was attested at first by miracles. (Acts viii. 17, 18.) Oxford Tracts, Vol. I. N.° 30.

(1) Heb. vi. 1. (2) Ep. ad Jubajan.

(3) Ep. lxxii. ad Stephanum.

manus imponebant, non ipsi eum dabant; quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. »[1] Quod fiebat igitur ab Apostolis, in Ecclesia servari perrexit, quod scilicet eorum successoribus sit commune. Gratiam autem Spiritus sancti eo ritu conferri, etiam parvulis, testatur Augustinus, miraculorum indicia haud necessaria esse affirmans, quæ in exordiis Ecclesiæ « signa erant tempori opportuna. » . . . . « Numquid, » inquit, « modo quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum utrum linguis loquerentur? Et cum videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis fuit, ut diceret: Non acceperunt isti Spiritum sanctum? Nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum est. Si ergo per hæc miracula modo testimonium præsentiæ Spiritus sancti non sit, unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum. Si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. »[2]

11. S. Hieronymus inducit heterodoxum interlocutorem sic loquentem: « An nescis Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. » Hæc confirmat Hieronymus: « Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus, per presbyteros et diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manuum impositurus excurrat. »[3]

12. S. Isidorus Hispalensis ait: « Sed quoniam post Baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos. »[4]

13. Constat Patres, quibus cæteri concinunt, Scripturam ita intellexisse, ut munus, quo Spiritus sanctus detur, in Actis Apostolorum tradi crederent, eosque testari eumdem suis temporibus servari morem, quo eadem gratia conferatur.

14. *Probatur* 3. *Conciliorum auctoritate*. Concilium Eliberitanum de baptizato in infirmitate statuit: « Si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem proficere[5] queat. »[6] Hispalense Concilium, an. 619, censuit non licere presbyteris « Ecclesiam vel altaria consecrare, nec per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi Paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare. »[7] Sarumense in Anglia *(Salisbury)* anno 1230 celebratum, testante Ricardo Poore, ejus Ecclesiæ Episcopo, tradidit: « Secundum Sacramentum est impositio manus, quæ fit ab Episcopo, quæ *Confirmatio* dicitur, et quæ ingressos jam in mundum, sanctificatos per Baptismum armat, et roborat contra diabolum, et est sacramentum pugnantium. »[8]

15. *Probatur* 4. *perpetuo Ecclesiæ totius usu*. Res fuit frequentioris et solemnioris observantiæ, quæ in Liturgiis seu Euchologiis, universe reperitur. In quotidiano fere usu fuit posita, quum Episcopi ubique ritum illum

(1) L. xv. de Trinitate c. xxvi.
(2) Tract. vi. in Joan.
(3) Dial. adv. Lucifer.
(4) L. de officiis Eccl. c. xxvi.
(5) Alias *perficere*. (6) Can. xxxviii.
(7) Can. vii. (8) Tom. xiii. Concil. col. 1403.

perficerent, sui ordinis privilegium et decus. Constans adeo et solemnis mos, cujus origo ad Apostolorum ætatem retrotrahitur, debet necessario inter munia ministerii recenseri, proinde inter Christi instituta: agitur enim de ritu quo gratia Spiritus sancti confertur.

16. Conveniunt Græci schismatici qui ritum hunc in suis habent Euchologiis, et suis fidei confessionibus inseruerunt, uti liquet inter cætera ex Hierosolymitana Synodo anno 1670 habita, sub Dositheo patriarcha. De Chaldæis aliisque sectis Orientalibus idem constat. [1]

Objectiones.

17. *Obj.* 1. « Visibiles illas et admirabiles Spiritus sancti gratias, quas tunc in populum suum effundebat, voluit Dominus a suis Apostolis per manuum impositionem administrari et distribui. Hinc autem impositioni manuum non altius subesse mysterium cogito; sed hujusmodi cæremoniam adhibitam ab illis interpretor, ut ipso gestu significarent, se Deo commendare et velut offerre eum, cui manus imponebant. » [2] Ita Calvinus de rebus gestis Apostolorum ratiocinatur.

18. *Resp.* Abhorret a consueta divinæ sapientiæ œconomia, in ipsis Ecclesiæ primordiis servata, ut manuum impositione, veluti certo quodam ritu, visibiles Spiritus gratiæ tribuerentur: ea scilicet dona, prout Spiritus ipse pro supremo suo arbitrio statuebat, dabantur, iis in occasionibus quibus ipsi placuit, nulla certa lege. Concionante Petro, Cornelius cum suis ea accepit, nondum baptizatus. Extra omnem sacrum ritum iis aucti sunt fideles, et mira quidem varietate. Cæterum iter ideo ab Apostolis susceptum, tanta cum solicitudine, visibiles illas gratias ut experirentur novi illi fideles, et quidem universi, nemo facile suadebit. Singula narrationis adjuncta suadent ministerii munus referri, et ritum ideo peractum esse, ut Spiritus sanctus ipse fidelibus illaberetur. Quod autem Calvinus asserit de manuum impositionis significatione, gratis fingitur, quum postea ex prece simul effusa definitur ad vim Spiritus sancti animæ illabentis indicandam.

19. *Obj.* 2. « Apostoli manus imponebant pro eo tempore, quo visibiles Spiritus sancti gratias ad eorum preces administrari Domino placebat, non ut posteri vacuum et frigidum signum (quod simiæ istæ faciunt) mimice tantum et sine re efficerent. » [3] Calvinus ita, ex eo quod visibiles illæ gratiæ impræsentiarum haud sequantur manuum impositionem, hanc omittendam, utpote vacuam effectu, contendit.

20. *Resp.* Apostoli imponebant manus ut fideles eorum opera acciperent Spiritum sanctum, cujus præsentiæ indicia illa externa, primordiis Ecclesiæ, aliquando prodibant. Cæterum haud liquet mira illa dona semper data fuisse: quæ præterea charitate, quam Spiritus ipse in cordibus diffundit, præstantiora non sunt. Idem semper consuevit a Præsulibus invocari Spiritus, eodem peracto ritu; quod argumentum est invictum, illud munus esse ab ipsa Apostolorum ætate ubique in Ecclesia celebratum. Illud fieri frustra nemo pius, nemo fidelis dixerit, testante Augustino: perversi enim est cordis id asserere.

21. *Obj.* 3. Totum illud quod a Luca refertur de Spiritu sancto iis illapso quibus Apostoli imposuerunt manus, ad mira Spiritus dona spectat, quorum copiam in Ecclesia futuram, in suis primordiis scilicet, prædixerat Joel. « Et erit in novissimis diebus,

(1) Vide Euopliam a Nairono p. 127.

(2) Inst. l. iv. c. xix. n. 6. (3) Ibid. l. iv. c

dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem. »[1]

22. *Resp.* Mira illa dona possunt vaticinio designari, sed ea argumenta potius et indicia Spiritus cordibus fidelium illabentis habenda sunt. Spiritus ipse sanctus adhuc se communicat, ut virtute cœlesti nos muniat contra dæmonis impetus, et dulcedine charitatis cordibus infusa triumphum de hostibus facilem det reportare. Pulchre, pro more, discrimen temporum hac in re indicat Augustinus : « Neque enim, » ait, « temporalibus et sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter et latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari, ut possint dicere, quoniam « charitas Dei diffusa » est in cordibus nostris per Spiritum » sanctum, qui datus est nobis. »[2]

23. *Obj.* 4. Simon magus, oblata pecunia, petiit ut ipsi etiam facultas foret dandi Spiritum sanctum, manuum impositione : ipsum autem haud gratiam largiendi facultatem, sed dona illa mira communicandi quæsiisse liquet. Ergo hæc, non illa, Spiritus sancti nomine intelligebatur.

24. *Resp.* Perditus ille homo mira faciendi facultate, arte sua nefanda, celebris, potestatem quæsivit ut ipse, manibus impositis, posset aliis mira dona concedere. Attamen non constat eum hæc cum Spiritu ipso divino confudisse; facile enim explicantur ejus verba, donis pro indiciis vel effectibus externis sumptis. Cæterum quidquid sit, juxta pravam ejus mentem de vocum illarum « Spiritus sanctus » vi non est judicandum; sed charitas quam in corde diffundit imprimis intelligenda est, effectus scilicet præcipuus divini illius Spiritus in corde habitantis. Præclare Augustinus : « Spiritus autem sanctus quod in sola Catholica Ecclesia per manuum impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait : « Quia charitas Dei diffusa est in » cordibus nostris per Spiritum san- » ctum, qui datus est nobis. »[3]

25. *Obj.* 5. Gratiam Spiritus sancti Samaritæ jam acceperant : credentes enim fuerant baptizati. Dona igitur alia quæ in Religionis profectum cessura erant, prophetia, linguarum scientia, et alia hujusmodi, occasione manuum impositionis eis concessa sunt.

26. *Resp.* Utique censendi sunt Samaritæ jam Baptismo Deo nati, filii ejus dilecti et hæredes regni constituti. Attamen Spiritus sanctus dari dicitur, quando intimius et largius sese communicat, charitatem suam in cordibus diffundens. Cætera illa dona ad aliorum utilitatem concessa, non sunt omnibus fidelibus necessaria, vel opportuna; sed animæ profectus imprimis in omnibus Ecclesiæ muneribus spectatur. Non alia certe de causa festinarunt Petrus et Paulus Samariam, quam ut fidelibus majora suppeditarent subsidia, quibus in via Domini pergere et perseverare possent. Pulchre hos impositionis manuum fructus S. Eucherius Lugdunensis recenset : « Paracletus regeneratis in Christo custos, et consolator, et tutor est. . . . . Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum

(1) Joel ii. 28. Act. ii. 17.
(2) L. iii. de Bapt. contra Donat. c. xvi.
(3) Ibid.

præstat ad gratiam : quia in hoc mundo tota ætate victuris inter visibiles hostes et pericula gradiendum est ; in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam ; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. Ac sic continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia ; victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia. [1]

27. *Obj.* 6. « Quod si manuum impositione Apostolos se imitari evincant, » ait Calvinus, de Catholicis Præsulibus loquens, « unde tamen oleum, quod vocant, salutis ? Quis eos in oleo salutem quærere docuit? quis vim roborandi illi attribuere ? An Paulus (Gal. 4, 9. Col. 2. 20.), qui nos ab elementis hujus mundi longe abstrahit, qui nihil magis damnat, quam talibus observatiunculis hærere ? » [2]

28. *Resp.* Si constet manuum impositionem cum prece quam adhibuerunt Apostoli ut fideles acciperent Spiritum sanctum, semper adhibitam eodem consilio in Ecclesia Catholica, vicimus Calvinianos, quidquid sit de olei unctione quæ eam sequitur, vel comitatur. Ut enim concedamus hanc auctoritate Apostolorum et exemplo non niti, non nocet ritui alteri plane Apostolico. Cæterum gratis asseritur Apostolos haud unxisse et signasse chrismate recens baptizatos, dum illis imponerent manus ; nam ad ritum hunc commode referuntur : « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. » [3] Tota retro antiquitas christiana, ab ipsis primordiis, hoc ritu usa esse noscitur : quod contingere vix potuit absque Apostolorum exemplo et sanctione. Quod ad Lucæ silentium attinet, eum res gestas breviter retulisse liquet, nec rituum explicationem sibi proposuisse scribendam : quapropter mirum non est si singuli enucleatius expositi in ejus libro haud reperiantur. Sed quum Apostoli alias oleo, jubente Christo, usi sint, infirmos ungendo, nil vetat existimare eos symboli instar illud cum manuum impositione adhibuisse. Id porro indubitatum fit ex universali et antiquissima consuetudine eo utendi. In oleo autem non quærimus salutem, nec vim roborandi illi attribuimus, nisi quatenus instrumentum sit Spiritus sancti, nobis Christi Salvatoris nostri et Dei misericordia datum. Quæ sint chrismatis partes in hoc ritu de fide quidem non constat ; sed qui ei virtutem aliquam tribuunt, tamquam Sacramenti *materiæ*, uti plurimis placet, nullam certe Spiritui sancto irrogant injuriam. Merito idcirco Tridentinum Concilium censuit : « Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt ; anathema sit. » [4]

29. *Obj.* 7. Patres Sacramenti nomen latiori adhibent sensu de Confirmatione agentes. Cyprianus enim postquam utrumque Sacramentum commemoraverat, Baptismum, scilicet, et manuum impositionem, adduxit testimonium Christi de nova nativitate ex aqua et Spiritu sancto. « Quæ verba perspicue ostendunt, quod per duo Sacramenta nihil intelligant amplius, quam duas principes cæremonias ad completum et perfectum Baptismum requisitas, quia homines utroque Sacramento renasci dicit. » Ita Binghamus. [5]

30. *Resp.* Non sola voce nitimur, sed proprietatibus Sacramenti quas Patres agnoverunt : impositione scilicet manuum tradi Spiritum sanctum magno consensu declarant. Cæterum ipsa

(1) Hom. Pentecost. in *Bibliothec. Patrum* t. vi.
(2) Inst. l. iv. c. xix. 7. (3) II. Cor. i. 21.
(4) Sess. vii. Can. ii.
(5) Origin. Eccles. l. xii. c. i. § 4.

Sacramenti vox vim habet magnam, quando de Baptismo, et manuum impositione simul adhibetur : nam sicut obvio sumenda est sensu de Baptismo, eodem sensu dicta de impositione manuum censenda est. Quod autem id probare voluerit Cyprianus, adducto illo Christi testimonio, ostendit eum peculiarem interpretationem ejus loci præbuisse : quod haud insuetum est Patribus, qui certis notissimisque fidei dogmatibus quædam loca, pro occasione, accommodant, de vi probandi rem utrinque in confesso haud semper soliciti.

31. *Obj.* 8. Patres Apostolici et qui eos secuti sunt de Confirmatione siluerunt.

32. *Resp.* Ex paucis quæ supersunt tantæ vetustatis documentis mirum non est perspicua non haberi testimonia quæ hoc Sacramentum respiciunt : nam non semper se affert scriptori occasio ut singula exponat et evolvat. Cæterum unctionis oleo Dei, quam acceperunt Christiani, meminit Theophilus Antiochenus. De impositione manuum ab Apostolis loquitur Irenæus, eamque numquam caruisse effectu tradit : « Quibuscumque enim imponebant Apostoli manum, accipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitæ. » [1] Intellexit ergo gratiam hoc ritu fuisse ab Apostolis communicatam, nec enim mira illa dona *esca vitæ* dici possunt. Tertullianus unctionis post Baptismum meminit : « dehinc, » subjungit, « manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum sanctum. » [2] Alias dicit : « Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. » [3] Hic auctor sat antiquus profecto est.

33. *Obj.* 9. Alexander de Ales censuit Confirmationis Sacramentum fuisse in Concilio Meldensi institutum.

34. *Resp.* Agnovit ipse Apostolos confirmasse; dicit enim : « Sacramentum vero Confirmationis et Extremæ Unctionis dedit (Christus) per Apostolos. » [4] Dicit quidem alibi : « Ipsi confirmabant sine Sacramento, » [5] hoc nomine intelligens eo loco inunctionem chrismate cum verborum forma : sed vehementer eum fefellit sententia de illa in Concilio Meldensi orta, uti liquet ex allatis testimoniis.

35. *Obj.* 10. Cum injuria Baptismi novum inducitur Sacramentum eo præstantius, quo perficiatur quod cœptum est; divinæ autem institutionis ne umbra quidem est.

36. *Resp.* Nihil Baptismo detrahitur, quem fatemur omnes abluere sordes peccati, et novam efficere nativitatem, adeo ut nihil prorsus baptizatum hominem ab ingressu cœli remoretur, quamdiu gratiam sibi in lavacro donatam integram servaverit. Quod ampliora gratiæ munera impositione manuum tribuantur, divitias et munificentiam Redemptoris commendat : nec nostrum est alterutri Sacramento derogare. Voluntas Christi Domini norma nobis datur, juxta quam de singulis judicandum. Apostolorum res gestæ perspicuo sane sunt argumento eum statuisse Spiritus sancti gratiam manuum impositionis ritu tribuere.

37. *Obj.* 11. Hærent Theologi quanam in re Sacramenti hujus essentia sit constituenda : sunt enim qui eam in unctione Chrismatis reponunt, de qua silet Scriptura; aliis eam in manuum extensione, quam perperam vocant impositionem, statuentibus; aliis in digiti contactu, dum fit unctio; aliis hos omnes ritus conjungentibus. Ergo tota res incerta habenda est.

38. *Resp.* Manuum impositio facta

(1) L. iv. c. lxxv. (2) L. de Bapt. c. vi.
(3) L. de resur. carn. c. viii.
(4) Summ. Theol. p. iv. qu. v. membro ii. art. i
(5) Ibid. qu. ix. membro i.

est ab Apostolis, et adhuc fit a Præsulibus Ecclesiæ, quæ proinde ad Sacramenti essentiam spectare merito censetur: de cæteris ritibus salva fide dubitari potest. Novimus quidem quæri quænam sit manuum impositio, utrum scilicet ea quam facit Episcopus, ambas manus super universos tenens extensas, dum septem dona Spiritus sancti illis apprecatur, an alia quæ fit frontem inungendo : utraque enim potest ita designari : sed constat ritu præscripto contineri Sacramentum, eumque integre perficiendum, ut obtemperetur Ecclesiæ; nec refert accurato judicio decernere quamnam vim singulæ ejus partes habeant. Manet igitur Sacramenti certitudo, quidquid sit de Theologorum quæstionibus.

39. *Obj.* 12. « Ecclesia omnibus hæreticis ad Ecclesiam reversis manuum impositionem tribuebat, et hoc . . . . ad ea spectabat supplenda, quæ in externa forma Baptismi defuerant, quæ gratiam Spiritus eis conferre non poterat, quoad in hæresi, vel in schismate perseverabant. »Ita Binghamus.[1] Sic Leo M. jussit : « Per manus impositionem invocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt. »[2]

40. *Resp.* Fatetur ipse Binghamus unctionem Chrismatis non semper adhibitam dum hæc fieret manuum impositio, specialiter in partibus Occidentalibus. Igitur tunc saltem satis discernebatur ab ea quæ fiebat dum Sacramentum Confirmationis daretur. Optimo quidem consilio, et aptissimo ritu imponebantur manus, et oratio fundebatur ut illis daretur Spiritus sancti lumen et gratia, quam in hæresi consequi non poterant, licet signaculum ejus confirmati suscepissent. Manus impositio ad veniam et pacem Ecclesiæ significandam, similitudinem gerebat cum illa quæ fiebat in Confirmatione, et eumdem in finem destinata est, quamvis ejus effectus totus penderet ex piis Ecclesiæ precibus, et devoto pœnitentium affectu. Aliquando ipsa Confirmatio dabatur : plurimi enim eam suscipere antea neglexerant, quod de Novatianis constat. Exemplum precum nobis suppeditat codex Gellonensis, temporibus Caroli Magni exaratus, qui sic habet : « Benedictio super eos, qui de diversis hæresibus veniunt : « Sancte Pater omnipotens, » qui famulum tuum ab errore hæreseos dignatus es eruere, et ad sanctam Ecclesiam revocare, quæsumus » te, Domine, immittte in eum Paraclitum Spiritum tuum septiformem, » Spiritum sapientiæ et intellectus, » Spiritum consilii et fortitudinis, » etc.[3]

41. *Obj.* 13. Orientales et Græci Confirmationis Sacramento, quale agnoscunt Pontificii, carent : quamvis enim et ipsi unguento quodam verticem liniant, unctio hæc inter Baptismi ritus reponenda est : fit enim statim post Baptismum, et a sacerdotibus : quæ disciplinæ ei quam refert Tertullianus simillima videtur. Apud Latinos igitur ritus hic a Baptismo sejungi cœpit posteriori ætate, et Episcopis reservata est ad dignitatis ostentationem : « ad honorem potius sacerdotii, quam ad legem necessitatis » prout dicit Hieronymus.

42. *Resp.* Res est explorata Græcos et Orientales hoc agnoscere Sacramentum,[4] et a Baptismi ritibus omnino

(1) Scholastic history of lay baptism, c. i. n. xxi. Ep. ii. ad Rustic. Narbon. Inquis. xviii.

(2) Consule Coustant col. 238. Tom. i. epist. Rom. Pontif.

(3) De Chaldæis Syrisque vide Euopliam a Nairono p. 128. Vide etiam Natalem Alex. hist. Eccl. t. v. diss. x. § 22. De Æthiopibus vide ordinem illud ministrandi in t. vi. *Bibliothecæ Patrum* relatum. De Ægyptiis vide professionem fidei quam Matthæus Alex. patriarcha ad Ludovicum XIV. misit, t. iii. de perpetua Eccl. fide circa Eucharistiam l. viii. c. xix.

discernere : sed veteri disciplinæ inhærentes, tria Sacramenta eodem die administrant, Eucharistiam una cum Baptismo et Chrismate; unde factum videtur ut sacerdotibus permitteretur facultas Chrismate verticem ungendi, qui mos antiquissimus apud eos est. Tertulliani tempore simul administrari consueverunt, sed non videtur licuisse aliis præter Episcopos. Cæterum ex consuetudine quæ apud Orientales invaluit, et ex facultate nonnumquam apud Latinos sacerdotibus data, videtur reservatio Episcopis facta spectare « ad honorem potius sacerdotii, » quam ad rei ipsius naturam; nisi enim sacerdotes simplices ex Christi instituto essent huic facultati suscipiendæ idonei, numquam eis ea permitti potuisset.

Animadversio.

43. Divina Confirmationis institutio ex Apostolorum rebus gestis et Ecclesiæ traditione probatur, ideoque a Christo Domino nostro instituta certo credenda est : eum enim omnium Sacramentorum novæ legis auctorem esse definivit Concilium Tridentinum. *Immediata*, uti dicunt, institutio a plerisque Theologis propugnatur, quamvis Dominicus a Soto doceat eam non esse omnino fidei dogma : dicit scilicet « hæreticum esse, negare hæc omnia (*Sacramenta*) instituta fuisse a Christo. » . . . « Non usque adeo constat hæreticum esse negare Sacramenta Confirmationis et Extremæ Unctionis fuisse ore Christi proprio instituta : esse tamen hæreticum negare esse de jure divino. » [1] Tempus quo instituta est a Christo Confirmatio frustra definire quis vellet, silente Scriptura; sed satis est nosse ex Apostolorum agendi ratione eam Christum habere auctorem. Multi censent documenta de sacris muneribus hujusmodi eum tradidisse quadraginta illos dies qui inter resurrectionem et ascensionem lapsi sunt : de regno enim Dei cum Apostolis locutus dicitur, quo nomine Ecclesiæ in terris conditio persæpe designatur. « Hi dies, » ait S. Leo Magnus, « qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu; sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt revelata mysteria. » [2]

CAPUT II.

DE CHRISMATE.

44. Ut omnem evitaremus litem in re quæ salva fide agitari queat, de sola manuum impositione egimus, ut quod ab Apostolis factum narratur, adhuc fieri pateat, et Sacramentum agnoscatur, cui et Scripturæ et Patres adeo perspicuum ferunt testimonium. Cæterum qua antiquitate gaudeat Chrismatis in hoc Sacramento conferendo usus facile demonstratur. Pluribus videtur Apostolus ad hunc ritum alludere, in loco supra laudato : « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. » [3]

45. Theophilus Antiochenus, secundi sæculi scriptor, dicit : « Nos enim ideo Christiani vocamur, quod oleo Dei ungamur. » [4]

46. Tertullianus, post Baptismum relatum, dicit : « Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione. . . . Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritualis effectus quod delictis liberamur.

(1) In iv. Sentent. q. 5. ar. 2.
(2) Serm. i. in Ascensione n. 2.
(3) II. Cor. i. 21.
(4) L. i. ad Autolycum n. xii.

Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans et invitans Spiritum sanctum. »[1] Unctio hæc videtur potius ad manuum impositionem referri, quam ad Baptismum, cum quo comparatio instituitur ut profectus spiritualis ex ea oriri intelligatur. Alias de unctione pariter loquitur : « Caro abluitur, ut anima emaculetur : caro ungitur ut anima consecretur : caro signatur ut et anima muniatur : caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur : caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. »[2]

47. S. Cyprianus ait : « Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. »[3]

48. S. Cyrillus Hierosolymitanus sic edocuit Neophytos : « Et vobis postquam similiter ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus : hoc autem est Spiritus sanctus. . . . Cæterum vide ne illud esse putes unguentum merum ac simplex. Quemadmodum enim panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi : sic et sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum neque commune, postquam jam consecratum est, sed est chrisma Christi, et Spiritus sancti præsentia, per ipsius divinitatem energiam habet. »[4]

49. Auctor antiquus, quem multi adhuc putant esse Ambrosium, ait : « Sequitur spirituale signaculum quod audistis hodie legi : quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. »[5]

50. S. Augustinus de unguento Aaronis apud Psaltem loquens : « Et in hoc unguento Sacramentum chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut et ipse Baptismus. »[6]

51. S. Pacianus dicit : « Lavacro enim peccata purgantur, chrismate sanctus Spiritus superfunditur. »[7]

52. Laodicenum Concilium, quod anno 372 a nonnemine adsignatur, censuit : « Oportet eos qui baptizantur, post lavacrum chrisma Ecclesiæ accipere, et regni Christi participes inveniri. »[8]

53. Nobis aliquando exprobrarunt Protestantes Gnosticos, referente Irenæo, unguento hujusmodi usos esse : « Ungunt autem et ipsi opobalsamo. »[9] Verum non hos imitamur, sed Ecclesiæ morem antiquissimum, eos autem Catholicorum ritum imitatos esse verosimile est. Cæterum non interest utrum aliquando sit rerum quarumdam similitudo, dum alias tota rituum serie omnino ab illis discernimur. »[10]

54. Chrisma ex oleo cum balsamo fit, solemni Episcopi benedictione, feria quinta in Cœna Domini. De eo dicit venerabilis Beda : « In vineis Engaddi balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione liquori olivæ admisceri, ac Pontificali benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes cum impositione manus sacerdotalis qua Spiritus sanctus accipitur, hac unctione signentur. »[11] Balsamum in hac regione adhibetur Peruanum, vel Indicum, quod sufficere ex declaratione Pauli III.

(1) L. de Bapt. c. vii.
(2) L. de resur. carnis c. viii.
(3) Ep. lxx. ad Januar.
(4) Catech. iii. Mystagog.
(5) L. iii. de Sacr. c. ii.
(6) L. ii. contra litt. Petiliani c. civ
(7) Monita Paciani t. vii. Biblioth. PP. Galland. p. 275.
(8) Can. xlviii. (9) L. i. adv. hær. c. xviii.
(10) Plura de chrismate videsis apud Trombellium de conf. diss. v. Sect. iii. c. i.
(11) L. ii. expos. in Cant. Cant.

et Pii IV. constat. Utrum balsami admixtio ad essentiam Chrismatis pertineat inquirunt Theologi, quorum nonnulli judicio et eruditione graves negant. Quæritur etiam utrum benedictio, seu consecratio Chrismatis sit ad Sacramenti essentiam necessaria, quod plerique affirmant. Utrum illa consecratio simplici sacerdoti committi possit, et cujus auctoritate, quæsitum est. His tamen quæstionibus ne detineamur, gravissimæ quæ nos urgent controversiæ de fidei summa obstant: ideoque pro instituto nostro satis ducimus affirmare, ex lege Ecclesiæ, cui obtemperare oportet, Chrisma conficiendum ex oleo et balsamo, nec alio uti licere. Quod si contigerit Summum Pontificem facultatem alicui sacerdoti facere illud consecrandi, sicut nonnumquam, quamvis rarissime, fecisse dicitur, non audemus in quæstionem vocare quod ipse de sacro munere jusserit.

55. Græci ex plurimis aromatibus et oleo μυρὶν conficiunt, quo nomine hoc designant Sacramentum. Eorum sana sententia Catholicæ Ecclesiæ hac in re conveniens liquet ex plurimis documentis : quorum unum appellamus. *In orthodoxa confessione Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis a Patriarcha Hierosolymitano Nectario, anno Christi* 1662, *composita, et a quatuor sedium, quas Græci Apostolicas vocant, successoribus approbata,* dicunt: « Secundum mysterium, *Unguentum Chrismatis*, sive Confirmationis est. » . . . « Quando sacerdos oleo sacro recens baptizatum inungit, desuper idem Spiritus sancti donis perfunditur, quod manifeste arguunt verba, sacerdoti mysterium hoc peragenti de more pronuntianda : *Signaculum muneris Spiritus sancti. Amen.* Quasi si dicat, In unctione sacri hujus unguenti obsignaris, confirmarisque in Spiritus sancti donis, quæ in confirmationem christianæ fidei tuæ accipis. »

56. Unctio, quæ fit Chrismate, aptissime indicat, juxta Scripturarum usum, gratiam Spiritus sancti; quapropter *Chrisma salutis* vocatur, instrumentum scilicet, vel saltem indicium gratiæ salutaris. Balsami admixtio bonum Christi odorem, quem discipuli ejus diffundere debent, significat. Verba hæc ea occasione ab Episcopo proferuntur : « Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti » Hæc a plerisque *forma* Sacramenti habentur, quamvis quæ funditur oratio, dum manibus extensis super confirmandos Episcopus orat, ut mittat in eos Deus Spiritum sanctum Paraclitum de cœlis, septemque ejus dona haud levem ob rationem ad *formam* referatur. Græci aliis utuntur verbis : — σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, — « Signaculum doni Spiritus sancti. Amen. » Non consueverunt olim verba quibus Sacramenta conficiebantur scripto tradi, sed innotuerunt orali, uti dicitur, ministrorum traditione; quapropter *disciplinam arcani*, qua scilicet sacra non vulgabantur, ne infidelibus essent irrisui, servare volens Innocentius I., quinto ineunte sæculo, noluit *formam* Confirmationis scripto consignare : « Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere. »[1]

57. Gratia hujus Sacramenti fidelem roborat, ut quam animo fovet fidem, intrepide profiteatur, omnia detrimenta, et supplicia pati paratus, potius quam Christum deserere.[2] Spiritus sanctus est veritatis doctor, qui mentem

(1) Ep. ad Decentium Eugub.

(2) « In locis Novi Testamenti qui tradunt, quosdam, suscepta fide Christiana, per Apostolos, impositis manibus, quamquam et adhibita invocatione Dei, accuratiore in doctrina christiana institutione, *Spiritu sancto* imbutos fuisse, in

illustrat, et cor divina induit virtute, cujus præsentiæ eximia in Apostolis data sunt argumenta, et in singulis fidelibus, quibus imponuntur manus, idonea etiam indicia dantur.

Animadversiones.

58. Quum quæstiones inter theologos impune agitentur de forma et materia hujus Sacramenti, omnia quæ præscribit Pontificale Romanum diligenter peragenda sunt, præsertim manuum erga confirmandos extensio, quæ et impositio dicitur, et inunctio frontis Chrismate, cum verbis quæ utrique actioni respondent. Si quid omissum fuerit, « non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum. [1] Ita respondit Innocentius III. de eo qui errore non Chrismate, sed oleo delinitus fuerat.

CAPUT III.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

59. Ex Actis Apostolorum colligitur Sacramentum hoc conferendi munus ad rectores Ecclesiæ spectare. Petrus enim et Joannes ideo iter suscepisse censendi sunt, quod Philippo illud peragendi nulla esset facultas : et Paulus legitur imposuisse manus discipulis Ephesiis, quos tamen ab inferiore ministro baptizatos esse verosimile fit ex ratione qua Baptismus eorum narratur. Patres quorum adduximus testimonia de ritu hoc loquentes, eum a Præsulibus Ecclesiæ perfici constanter tradunt. A veteri traditione ne hilum quidem ressessit Innocentius I. ita docens : « De consignandis infantibus manifestum est non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. » [2] S. Gregorius, his inhærens censuit : « Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant ; sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte. » [3]

60. Cæterum dissimulari non potest a vetusta satis ætate Presbyteros simplices hoc administrasse Sacramentum, præsertim apud Græcos et Orientales : quapropter sunt qui censent, ecclesiastico potius quam divino jure, id muneris in Occidentali patriarchatu præsertim reservatum esse Episcopis ; quo sensu intelligunt Hieronymum locutum esse : « Quod si hoc loco quæris quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit, et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem. » [4] Ob morem contrarium nonnullis in

universum intelligi debet effecta his omnibus singularis animorum concitatio, qua tamquam divini Numinis afflatu se senserunt impulsos, ut illam doctrinam læti ac imperterriti profiterentur. Interdum, si Deo sic visum fuerit, ad illam Spiritus sancti impertitionem accedebat et vis linguis peregrinis loquendi. » Hæc Rosenmüller in Act. viii. 15. quæ quidem non abhorrent a catholica doctrina, gratiam qua in fide firmamur hoc tribui Sacramento.

(1) In decret. Gregorii ix. l. i. tit. xvi. de Sacramentis non iterandis. Cap. *Pastoralis*.

(2) In ep. ad Decentium Eugub. c. iii.

(3) L. iv. ep. ix. alias l. iii. ep. ix. ad Januarium Calarit.

(4) Dial. adv. Lucifer.

locis jam vigentem idem præclarus doctor scripsit : « Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus quod non faciat Presbyter? » [1] Ipse Gregorius, quum decretum ejus, quo vetabatur Presbyteris Chrismate frontem linire, turbis occasionem præbuisset, illud mitigavit : « Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate ungere debeant concedimus. » [2]

61. Id igitur ex testimoniis Patrum quæ retulimus, et ex variis Ecclesiæ moribus, pro explorato haberi debet, Episcopum esse *ordinarium* Confirmationis ministrum, sacerdotes vero id muneris exercere posse, ea ab Ecclesiæ Præsulibus facta potestate. Prius docuit Eugenius IV. in celebri instructione pro Armenis, definivit vero Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit. » [3] Alterum ex consuetudine apud Græcos vigente patet : nec enim in Florentino Concilio Confirmatio ab iis administrata improbata est; sed nec a Summorum Pontificum constitutionibus : quæ enim allegantur, eos respiciunt quibus adempta est facultas prævio decreto, vel qui intra fines patriarchatus Occidentalis versabantur. [4] Ipsi Pontifices sæpius noscuntur delegasse sacerdotibus confirmandi munus, quod vir memoriæ venerandæ, Joannes Carroll, noscitur obiisse, antequam ad Episcopatum evectus, Baltimorensis primus Antistes constitutus fuerit. Absque hujusmodi pontificia delegatione irritus foret in Occidentali patriarchatu actus sacerdotalis, etiam consentiente Episcopo, quum Pontifex facultatem delegandi sibi reservaverit.

62. Necesse non est ut diutius in his explicandis immoremur, quum sectarii hujus regionis vel confirmandi ritum penitus rejiciant, vel eum ab Episcopo peragi velint, vanam nominis umbram apud se intelligentes. Nec operæ pretium ducimus quæ afferri solent rationes scrutari, ut potestatem confirmandi ecclesiastico potius quam divino jure Episcopis servatam ostendatur : ad rem enim nostram quæ dubitationem patiuntur, vel impune agitantur apud scholas, plerumque vix pertinere judicavimus. Qui eas ventilatas videre cupit, adeat Trombellium. [5]

[CAPUT IV.

DE CONFIRMANDIS.

63. Omnibus et solis baptizatis conferri posse Confirmationem ex Actis Apostolorum colligitur : Samaritis enim, et iis quos Paulus Ephesi reperit discipulos, post Baptismum collata est. Id liquet etiam ex Ecclesiæ constanti consuetudine ab antiquissima usque ætate. Statim post Baptismum solemnem, qui ab Episcopo plerumque ministrabatur, imponebantur manus, et Chrismate ungebantur neophyti, ut divino Spiritus sancti dono munirentur : quod etiam infantibus contigit per plura sæcula. Cæterum recentior disciplina est ut septennium expectetur, nisi urgeat mortis periculum, vel gravis suadeat ratio, Episcopo forsan diu abfuturo. [6]

(1) Ep. lxxxv. ad Evagrium.
(2) L. iv. epist. xxvi. (3) Sess. vii. can. iii.
(4) Vide Benedict. XIV. l.vii. de Synodo Diœces. c. vii. viii. ix.]
(5) Diss. de Ministro Confirm. sectio i. qu. ii. § vi.
(6) Vide Benedict. XIV. de Syn. Diœces. l. vii. c. x. § 3. 5.

Mora illa id habet commodi ut pueri fidei rudimenta edoceantur, et pio animi affectu ad divina suscipienda dona parentur. Edocendi sunt autem pro ratione ætatis, præsertim de præcipuis fidei mysteriis.

64. Ut quis Sacramentum hoc recipiat, debet animam habere a peccato gravi immunem : nam Spiritui sancto inferret injuriam, qui, peccato addictus, eum hospitem excipere se velle fingeret. Hinc pia obtinet consuetudo confessionis peragendæ antequam quis confirmandum se sistat, quam suadet Pontificale Romanum.

65. Optandum ut jejuni ad Confirmationem accedant, quod Pontificale commendat, et vetus per duodecim sæcula consuetudo habuit : sed lege non jubetur.

66. Utrum gravis sit culpa negligere Confirmationis susceptionem, quin spernatur Sacramentum, inter theologos quæritur. Affirmanti sententiæ favere videtur Constitutio Benedicti XIV., quæ declarat eos qui a presbyteris Græcis fuerant Chrismate liniti, in iis regionibus in quibus facultas confirmandi iis est denegata, « gravis peccati reatu teneri, si (cum possint) ad Confirmationem accedere renuunt ac negligunt. » [1] Sed pertinacia quædam videtur cum neglectu iis in rerum adjunctis connexa. In Instructione a Sacra Congregatione de Propaganda Fide edita dicitur : « Sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio. Porro hæc doctrina, si pro omnibus qui sunt undique Christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis qui in terris degunt hæreticorum. »

67. Qui animo rite parato confirmantur, augmentum gratiæ cum robore animi ad fidem profitendam recipiunt, et charactere quodam signantur, qui numquam deleri potest. Recte igitur illis dicitur verbis Apostoli : « Signati estis Spiritu promissionis sancto. » [2] « Nolite contristare Spiritum sanctum Dei : in quo signati estis in diem redemptionis. » [3] De charactere Patres passim loquuntur. S. Cyprianus dicit quod impositionem manuum recipientes « signaculo Dominico consummentur. » [4] Theodoretus illud vocat « velut sigillum quoddam regium ; » [5] S. Leo Magnus « signaculum vitæ æternæ ; » [6] S. Gregorius Nazianzenus dicit eos « sigillum suscipere quod sepulturam ipsam comitetur, et post mortem maneat ; » [7] S. Ambrosius : « Accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ, et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis, atque pietatis, spiritum sancti timoris : et serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus. » [8] S. Augustini vetustus discipulus, tria indicans Sacramenta quæ simul conferebantur, dicit : « Baptizatus es, signatus es regio charactere, cœpisti consequi annonam de mensa regis tui. » [9] Hæc testimonia satis probant traditionem de charactere hoc Sacramento impresso. Ideo decretum est ut : « si de facto Baptismi, Confirmationis, Consecrationis dubitetur, nec possit ulla probatio, inquisitione facta, succurrere, perinde agendum est ac si nihil horum factum fuisset. » [10] Ita Concilii Carthaginensis V. Patres. Quod autem ecclesiæ consecratio eodem comprehendatur decreto, non obstat : nam a Sacra-

(1) Constit. *Etsi pastoralis*, § 3. n. 4. Bull. Tom. i.
(2) Eph. i. 13. (3) Ibid. iv. 30.
(4) Ep. lxxv. (5) L. iv. in Cantic.
(6) Serm. iv. de Nativ. (7) Exhort. ad s. lavac.
(8) De mysteriis c. vii. n. 42.
(9) Serm. de Cataclysmo c. i. Inter Augustini sermones olim recensebatur. (10) Can. vi.

mentis ad eam regula traducta est, ob quamdam similitudinem, quum homo gratia templum sit Spiritus sancti. Semel dixit Augustinus manuum impositionem repeti posse : « manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest : quid est enim aliud nisi oratio super hominem ? » [1] Sed quamvis de Confirmatione mox egisset, quæ de manuum impositione hic dicit, necessario sunt latiori sensu explicanda : nec enim sibi constaret si eam quæ cum Chrismate adhibetur meram orationem esse diceret, vel iterandam : nam eam sacrosanctam instar Baptismi esse alias tradidit.

68. De ritu confirmandi pauca dicemus. Oratio quam fundit Pontifex manibus extensis in confirmandos, reperitur in libro I. Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, qui ad Gelasii refertur tempora, plurimorum judicio. Ea recitata, Pontifex signabat eos in fronte de Chrismate, dicens : « *Signum Christi in vitam æternam. Amen.* Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo. » In vetustissimo Ordine Romano, quem edidit Hittorpius, verba sunt : « Confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Integra forma, totusque ritus, prout nunc fit, reperitur in codice undecimi, uti Mabillonius existimat, sæculi. [2] Excipere tamen oportet alapam, cujus in vetustis monumentis nulla fit mentio ; ejus tamen meminit Durandus, Episcopus Mimatensis, qui sæculo decimo tertio floruit. Percutitur leviter maxilla, ut confirmatus ritum memoria teneat, et simul recordetur eorum quæ sui causa passus est Christus. Græci et Orientales plures corporis partes ungunt. [3]

Breviter de Sacramento hoc egimus; quæ magis scitu sunt necessaria præ oculis lectorum ponentes. Studium autem sacerdotum Dei in eo erit, ut fideles divinis muneribus suscipiendis faciant idoneos, doctrina et virtutum exercitio, eosque virtute ex alto indutos fortes et invictos in fidei certamine præstent, duces quidem in acie, socii vero triumphi et gloriæ futuri.

(1) L. iii. de Baptismo contra Donat. c. xvi.

(2) In admonit. in seq. lib. p. 93. Tom. ii. Musei Italici.

(3) Vide apud Trombellium diss. v. c. iii. qu. iii. de Confirm.

TRACTATUS XIII.

DE EUCHARISTIA.

PROOEMIUM.

1. Præ cæteris Sacramentis Eucharistia diligenter tractanda est, tum ob summam ejus dignitatem, tum ob vehementiores hostium in eam impetus. Εὐχαριστία vox Græca est, quæ *gratiarum actio* reddi potest, quod nomen datum est Sacramento quod Christus post ultimam cœnam instituit, eo quod gratias suo Patri egisse — εὐχαριστήσας, — antequam illud Apostolis distribueret, legatur. *Eulogia* interdum, præsertim a Græcis, vocatur, a benedictione seu consecratione, qua conficitur; quapropter a Paulo *calix benedictionis* — τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας nominatur. [1] *Cœna Dominica* nonnumquam dictum est, quia occasione ultimæ cœnæ, quam cum Apostolis celebravit Christus, institutum est, quamvis nonnisi post cœnam, uti refert Lucas. Hoc nomen plerisque novatoribus mire placuit. Aliis nominibus aliquando designatum est, quæ singula explicare haud pretium operæ videtur. Duplici ratione spectari potest Eucharistia, tamquam Sacrificium quo Deus colitur, et tamquam Sacramentum, quo reficiuntur fideles, Sacrificii facti participes. Placet imprimis de ea tamquam Sacramento agere, quum de veritate præsentiæ Christi Domini maxima sit controversia, ex qua pendet tota Sacrificii tractatio.

(1) Oxonienses fatentur consecrationis ritum hac significari voce. Oxford Tracts., vol. 1. N. 14. Præiverat Calvinus : « *Benedicere* ergo *calicem* significat in hunc usum consecrare etc. » *In locum.*

PARS I.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAPUT I.

DE RITU EUCHARISTICO.

2. Quakeri, sectariis cæteris longius progressi, ritum eucharisticum prorsus rejecerunt, asserentes Christum nullum instituisse hujusmodi ritum, sed pane et vino, pro Judæorum more, post agni esum usum esse, indeque sumpsisse occasionem Apostolorum mentes evehendi ad corpus suum verum et sanguinem, haud illud quod foris videbatur, sed cœleste prorsus et spiritale, quo animæ reficiuntur. Quod alias vocant *semen*, *lumen*, *vitam*, ipsum est quod corpus spirituale hoc loco designant. Apostolos, vel alios fideles quid simile aliquando egisse ei quod Christus cœnando peregerat, haud gravantur fateri; sed ritum æstimant judaicum, ad tempus servatum, eorum causa qui spiritualem illum cibum manducare haud didicerant. Sententia hæc adeo repugnat Scripturæ, antiquitatis consensui, et ipsi sensui christiano, ut vix sit qui eam serio refellendam censeat : attamen liceat nobis, nullo viæ duce, rem aggredi. Ne statim cum cæteris sectariis ineamus certamen, ritum eucharisticum a Christo institutum, perpetuo in Ecclesia servandum, ostendemus; postea ipsius naturam, et quod latet sub speciebus arcanum, contra reliquos novatores propugnaturi.

Propositio.

Christus Dominus ritum instituit eucharisticum sub panis et vini speciebus perpetuo in Ecclesia sua servandum.

3. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Præter Matthæum, Marcum, et Lucam, Paulus refert quid Christus pridie suæ mortis egerit, et præceptum datum Apostolis ut id ipsi in sui memoriam peragerent. « Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. » [1] Quod igitur Jesum facientem viderant, ipsi jussi sunt facere in ejus memoriam. Illud autem præceptum non eos tantum spectare, sed alios sui muneris consortes, liquet ex eo quod, Apostolo auctore, ritus ille apud Corinthios inductus esset, quem et retinendum innuit, docens qua animi munditie esse

(1) I. Cor. xi. 23.

oporteat, qui cibi illius particeps esse velit. Imo ritum hunc ad secundum usque Christi adventum plane dicit duraturum : postquam enim, verbis supra recitatis, retulerat Christi actum, jussumque, statim subjunxit : « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » [1] Hæ voces de secundo adventu Domini plane intelligendæ sunt, juxta illud Apocalypsis : « Tamen id, quod habetis, tenete donec veniam : » [2] et illud Pauli : « Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. » [3]

4. *Probatur* 2. *ex omnium sæculorum a Christo sensu et usu.* In re adeo manifesta superfluum videtur specialia afferre documenta : Liturgiæ scilicet omnes, Patrum scripta, et quotque supersunt christianæ vetustatis argumenta, testantur de ritu illo semper et ubique celebrato, qui etiam præcipuum Religionis munus habebatur. Hæc deinceps adducendi plurima erit occasio.

Objectiones solvuntur.

5. *Obj.* 1. Mos erat Judæis, ut convivii Paschalis magister convivis panem vinumque porrigeret post agni esum : [4] ergo nihil singulare egit Christus, sed ex more illo occasionem sumpsit ad cœleste suum corpus mentes evehendi.

Resp. Si quid hujusmodi fieri consueverit, omnino distat ab illa Christi actione, qua corpus suum et sanguinem se dare affirmavit. De cœlesti et spiritali corpore ejus quæ dicunt Quakeri, animi ægri somniis simillima nullo idoneo probantur testimonio. Unicum ejus corpus novimus, illud quod pro nobis datum est — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, [5] — sanguinem etiam pro multis fusum in peccatorum remissionem — τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. [6]

7. *Obj.* 2. Christus illis verbis : « Hoc facite in meam commemorationem, » tantum indicavit se velle ut Apostoli dum ederent, biberentve, illius meminerint, quocum tunc ultima vice convivabantur. [7]

8. *Resp.* Obvia vis verborum est ipsos facere debere quod fecerat, et eum in finem ut illius memoriam celebrarent, iis prolatis verbis quæ protulerat : proinde non possunt de quolibet convivio explicari. Equidem Paulus ea ad ritum in quo panis et vinum adhibentur, adjecta benedictione, retulit : « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? » [8]

9. *Obj.* 3. De conviviis communibus Christianorum, quæ quidam ex animi superstitione cœnam Dominicam vocabant, agit Apostolus : in iis quippe ebrii erant quidam, vel sese cibis ingurgitabant. Eos igitur ut emendet, dicit plane non esse cœnam hujusmodi, quam falso sibi fingebant : nam cœna vera spiritalis est, et mysterium.

10. *Resp.* Celebrabantur quidem a Christianis convivia, quæ Ἀγάπαι, utpote dilectionis fraternæ indicia, vocabantur ; quæ tamen apud Corinthios gravia, quæ plorat Apostolus, habuerunt incommoda. Ut eos ab excessibus deterreret, qui cum indigna Eucharistiæ sumptione erant conjuncti, quippe ad eam convivæ etiam accedebant, in memoriam iis revocavit quam tradiderat hujus Sacramenti originem sibi divinitus revelatam. Hoc cœnam Dominicam designatum esse non constat, quum convivio nomen potius datum censendum sit. Merito negat hujusmodi

(1) I. Cor. xi. 27. (2) Apoc. ii. 25.
(3) Tit. ii. 13. (4) Barclay Prop. xiii. § vi.
(5) Luc. xxvi. 26. (6) Matth. xxvi. 28.
(7) Barclay Prop. xiii. § vi. (8) I. Cor. x. 16.

convivium dici posse cœnam Domini, quum jam non fieret ad instar illius cœnæ quam ante institutum Sacramentum cum discipulis fecit. Cæterum omnino affirmavit Sacramentum celebrandum esse, sed magna animi puritate, ad diem usque adventus Domini.

11. *Obj.* 4. Voces illæ « donec veniat » intelligendæ sunt de adventu Christi in corda hominum : Corinthiis quippe adhuc infirmis permitti potuit *ad tempus*, ut signis illis uterentur, quæ aliis cum Christo jam resuscitatis, et in cœlestibus considentibus, mentis cogitatione et affectu cordis, sunt superflua.

12. *Resp.* Parallela loca quæ adduximus ostendunt de Domini adventu exteriori, in fine sæculi, esse sermonem. Igitur haud ad tempus, sed semper data est facultas mortem Domini Sacramenti celebratione commemorandi. Nec infirmis tantum ita consultum, quum Apostolus omnibus injungat ut corde mundato ad cibum illum cœlestem degustandum accedant.

13. *Obj.* 5. Quæ Christus lavando Apostolorum pedes dixit, præceptum potius sonant, quam quæ de pane et vino protulit : attamen nemo se ad eum imitandum ea in re teneri censet.

14. *Resp.* Ex tota rei gestæ relatione satis colligitur humilitatem nobis commendari, quin actus ipse pedes lavandi districte præcipiatur. Cæterum si qua inde oriri posset dubitatio, ex Apostolorum rebus gestis et documentis, et ex totius antiquitatis christianæ sensu et usu facile excuteretur.

15. *Obj.* 6. Joannes, qui spiritalis erat discipulus, utpote sinus Dominici arcanorum conscius, de pane et vino in cœna siluit, plurima alia referens.

16. *Resp.* Siluit quidem Joannes de Eucharistiæ institutione, quam jam retulerant alii scriptores sacri. Hæc idonea silentii ratio, præterquam quod ipse pollicitationem Christi de pane cœlesti dando retulisset.

17. *Obj.* 7. Quæ sexto capite sui Evangelii refert Joannes a versiculo 32 ad finem usque, de corpore Christi cœlesti, nempe de semine vitæ, intelligenda sunt; dicit enim : « Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. » « Ego sum panis qui de cœlo descendi. » Nemo autem dixerit corpus suum externum quod in terris habuit e cœlo esse delapsum.

18. *Resp.* De se loquitur Christus, seque a cœlo descendisse, et esse in cœlo dicit, ut suam originem a Patre, et intimam naturæ conjunctionem cum Patre insinuet. Se nominat panem, animæ cibum, qui cœlitus veluti delapsus est : ipse enim qui in terris versabatur, erat idem qui in cœlis cum Patre ab ævo regnabat. Pater dare hunc cibum dicitur, quia Filium humanam carnem indui voluit. Hanc carnem, ipsam quæ pro mundi salute danda erat, se daturum pollicitus est. Nullum hic indicium corporis illius fictitii quod cœleste vocant Quakeri.

CAPUT II.

DE RE EUCHARISTIÆ.

19. Fuerunt tempore Martyris Ignatii qui Eucharistiam « esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi » negarent, prout ipse testatur, Menandriani scilicet qui veram ab eo assumptam esse carnem inficiantes, in alium, necessaria consequentia, inciderunt errorem. Iconomachi, octavo sæculo, dum sacrarum imaginum venerationem impugnarent, Eucharistiam unicam imaginem, quæ colenda foret, utpote i; sum Dominum speciebus Sacramentalibus, tamquam velo quodam, obtectum dicebant : quorum temeraria loquendi ratio, quamvis de re Sacramenti nullus esset error, secundi Nicæni Concilii Patribus gravissime dis-

plicuit. Sæculo nono Joannes Scotus haud satis accurate de hoc Sacramento disseruit, ab Adrevaldo monacho Floriacensi abunde refutatus.

20. Sæculo undecimo, anno circiter 1047, Berengarius Turonensis, Ecclesiæ Andegavensis in Galliis Archidiaconus, primus omnium cœpit docere Eucharistiam esse dumtaxat figuram et imaginem corporis et sanguinis Christi. Errorem statim scriptis perstrinxerunt eruditi quique avitæ fidei vindices, præsertim Præsules egregii Adelmanus Brixiensis, Hugo Lingonensis, Guitmundus Aversanus, Deoduinus Leodiensis, quibuscum pro Ecclesia militarunt Lantfrancus, tunc Beccensis monasterii Prior, paulo post Archiepiscopus Cantuariensis, Durandus Abbas Troarnensis, et Algerus Cluniacensis scholasticus, deinde monachus. Concilia plurima et Pontifices damnarunt novum dogma; scilicet Romanum sub S. Leone IX., anno 1050, eodemque anno Vercellense, ac Parisiense; Turonense ac Florentinum sub Victore II., anno 1055; Romanum sub Nicolao II. anno 1059; Rothomagense anno 1063; Pictaviense anno 1075; Romanum sub S. Gregorio VII. anno 1078; et alterum Romanum anno 1079. Dogma Catholicum agnovit, et hæresim iterum damnavit Concilium plurimorum Episcoporum Placentiæ anno 1095, sub Urbano II.

21. Auctoritati cessit Berengarius, quamvis ob mysterii difficultatem in errorem plus semel sit lapsus, tandem aliquando in fidei doctrina humili pœnitentique animo conquiescens. Pluribus fidei formulis subscripsit, quarum unam recitare juvat, quam in Concilio Romano, anno 1079, Gregorio VII. Præside, palam fecit: « Ego Berengarius, corde credo et ore confiteor, panem et vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram et propriam ac vivificam carnem et sanguinem Jesu Christi Domini nostri; et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris: et verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum et virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, et veritate substantiæ. Sicut in hoc Brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis, sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »[1]

22. Sæculo duodecimo Petrus de Bruis negavit quemquam jam eam conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi efficere valere, quam ipse Christus in cœna effecit.[2] Albigenses sequenti sæculo, Manichæorum errores renovantes, Sacramentum Eucharistiæ denegarunt. Wickleff sæculo decimo quarto panem et vinum in Christi corpus et sanguinem converti inficiatus est; quem tamen Huss non est hac in re imitatus, semel deserto magistro.

23. Sæculo decimo sexto. Andreas Carolostadius, Archidiaconus Wittenbergensis, Lutheri discipulus, magistro repugnavit de mysterio Eucharistiæ, verba Christi de corpore suo veluti digito monstrato interpretans. Ulricus Zuinglius, Tigurinus Pastor, panem intellexit corpus dici, tamquam illius signum; sed quum Catholici eum urgerent, moris non esse in institutis novis rem cum signo commutare loquendo, nullo indicio dato, spiritus,

(1) Vide apud Baronium Annal. Eccl. t. xi. ad annum 1079.

(2) Vide ep. i. Ven. Petri Cluniac. adv. Petrobusian.

(« ater an albus fuerit » se haud meminisse dicebat) et in memoriam revocavit vetus Phase; de victima quippe dictum est : « Est enim Phase, id est transitus Domini. » [1] Cæterum feliciter ei exemplum haud cessit; vocabantur enim victimæ nomine finis ob quem immolabantur, adeo ut *Peccatum* diceretur hostia pro peccato expiando oblata; sic et *Phase* dicebatur victima transitus occasione immolata. Inde autem nihil sequebatur, quo vis obvia sententiæ Dominicæ infirmari posset: nec enim panis Christi corporis victima habebatur. Lutherus viriliter pro reali Christi Domini in Eucharistia præsentia pugnavit, contra Carolostadium, aliosque *Sacramentarios* nuncupatos, quia illud nudum Sacramentum, seu signum corporis Christi habebant. Quemque ad fidem tanti mysterii verbis hujusmodi hortatus est: « Tu dic : Nolo deliberare an sit verum, vel non, sed simpliciter credam sicut Christus dicit : « Hoc est » corpus meum. » Si sum idololatra, fit culpa et periculo Christi, cujus verba sic sonant : ipse igitur me bene defendet. » [2] Cæterum et panem et vinum adesse una cum corpore et sanguine Christi censuit Lutherus, Zuinglianos alioquin summe detestans : « Hæreticos censemus et alienos ab Ecclesia Dei Zuinglianos et omnes Sacramentarios qui negant corpus et sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia. » [3]

24. Calvinus discordes partes ad concordiam ut traheret, vel utrasque sibi adsciscere, novam adinvenit rationem rem explicandi; sed verbis licet ampliseimis usus, a Zuinglii mente non recessit. « Primo, » inquit « signa sunt panis et vinum, quæ invisibile alimentum, quod percipimus ex carne et sanguine Christi nobis repræsentant. . . . Jam ergo habemus, in quem finem spectet mystica hæc benedictio : nempe quo nobis confirmet, corpus Domini sic pro nobis semel esse immolatum, ut nunc eo vescamur, ac vescendo unici illius sacrificii efficaciam in nobis sentiamus. sanguinem ejus sic pro nobis semel fusum, ut sit nobis perpetuus potus. » [4] Liquet nullam realem corporis et sanguinis Christi præsentiam hac sententia haberi in Eucharistia.

25. Lutherani, ducem secuti, in Augustana confessione, « de cœna Domini docent quod corpus et sanguis Christi vere adsint, et distribuantur vescentibus in cœna Domini. » Attamen Melanchton verba hæc mitigavit, dum prælo mandaret illam quam ipse exaraverat confessionem, substituendo : « vere exhibeantur vescentibus : » de qua mutatione in documento jam publici juris facto, merito queritur Walchius suorum nomine. [5] « Primum delevit verbum *adsint*, quo vera ac realis præsentia corporis et sanguinis Jesu Christi in sacra cœna significata fuerat; deinde expunxit vocem *distribuantur*, atque substituit vocabulum *exhibeantur*, ut inde oriretur licentia non credendi distributionem corporis et sanguinis Christi manu ministri factam, vel ratione manducantium et bibentium, sive sint digni, sive indigni, oralem participationem. Atqui hæc sunt imprimis momenta, de quibus in doctrina de sacra cœna inter nos ac reformatos disputatur, nimirum de vera, reali, substantiali præsentia corporis et sanguinis Jesu Christi in sacra cœna: de orali manducatione ac bibitione, deque indignorum participatione. » [6] Hæc Lutheranus theologus. Attamen

(1) Exod. xii.

(2) Enarr. in Ps. xlv. fol. 491. tom. 3. Op. edit. Jenæ.

(3) Colloq. Isl. de Verbo Dei.

(4) Inst. l. iv. c. xvii. n. 1.

(5) Introd. ad lib. symbol. Luth. i. i. c. iii. § xii. p. 186.

(6) Ibidem.

anno 1817 prodiit edictum Gulielmi III. regis Borussiæ, quo sectæ illæ discordes amico junguntur fœdere, in unum coalescentes, relicta libertate sentiendi de Eucharistia prout libuerit!

26. Calvini obtinuit apud plerosque sectarios sententia, qui verborum involucris vix student eam obtegere. Anglicani fere soli eum antiquitatis venerandæ pudorem servant, ut verbis speciosis de *reali* præsentia et communione Christi nobiscum disserant, quamvis revera corpus et sanguis substantialiter adesse, et a ministro distribui, et ore suscipi a fidelibus vel negent, vel se credere frustra sibi blandiantur; ex ipsa enim eorum explicatione satis patet signa tantum et symbola haberi, quæ a ministro ad repræsentandum Christi corpus et sanguinem precibus destinata, fiunt suscipientibus, ex fide et animi affectu, occasio virtutis et efficaciæ Christi passionis experiendæ.[1] Manet panis cum vino, nec quid in iis mutatur, nisi *symbolice* et *repræsentative*; ideoque corpus et sanguis Christi non adsunt, quamvis quis mentis quodam conatu ea adesse, sibi communicari, seque sic refici et refocillari concipiat. Quas subierit vices *Liturgia Anglicana*, ut novatorum accommodaretur placitis, Oxonienses dolenter narrant.[2] Eduardo puero solium occupante, semel iterumque mutata est, Cranmero auctore, qui consiliis usus Buceri, Petri Martyris, et aliorum, in secunda emendatione adeo profecit, ut Rubrica contra realem Christi præsentiam insereretur. Elisabeth Liturgiam novæ subjecit correctioni, et Rubrica illa sublata, et conjunctis formulis verborum quibus Sacramentum dabatur, res ita composuit, ut præsentia realis haud plane denegaretur. Quos Episcopales vocamus, suam Liturgiam immutarunt, postquam civili rerum conversione ab Anglicanorum auctoritate in rebus religionis immunes evaserunt: sed quamvis invocationem Spiritus sancti adoptaverint, iis utuntur vocibus quæ Calvini placitis sunt accommodatæ. Ipsi qui apud nos dicuntur Lutherani, plerique Lutheri dogma hac de re vel penitus deseruerunt, vel vocibus tantum retinent: in partes scilicet scissi diversas propugnant sententias. Unitarii verborum ambagibus remotis, profitentur Eucharistiam mera esse symbola Christi mortis, nulla efficacia

(1) « I begin with the Church of England..... It teacheth therefore, « that in the Blessed Sacrament, the Body of Christ is given, taken, and eaten; so that to the worthy receivers the consecrated and broken bread is the communication of the Body of Christ; and likewise the consecrated Cup the communication of His Blood. » Hæc Joannes Cosin Episcopus quondam Durham, quem sequuntur Oxonienses. Vol. i. tract. 27. Alius Episcopus Anglicanus L. Andrews, quem Cosinus citat, respondens Bellarmino scripsit: « Christ said, This is my Body; in this, the object, we are agreed with you, the manner only is controverted. We hold by a firm belief, that it is the Body of Christ. » Explicat Cosinus Anglicanam sententiam · « We believe a presence and union of Christ with our soul and Body, which we know not how to call better than sacramental, that is, effected by eating; that while we eat and drink the consecrated Bread and Wine, we eat and drink therewithal the Body and Blood of Christ, not in a corporal manner, but in some other way, incomprehensible, known only to God, which we call spiritual. »Ibidem. In Rubrica Libri Orationis Communis, editi anno 1549, Eduardo regnante, præceptum est ut major panis apponeretur consecrandus, et in partes dividendus, simulque dictum est: « Men must not think less to be received in part than in the whole, but in each of them the whole Body of our Lord Jesus Christ. »

(2) « It makes, in truth, a man's « eyes gush out with water » to see in these notices, how the glory of our church, the days of her youth, and her first love are departed: and to think what she might have been had she stood in the old paths. « The virgin daughter of my people is broken with a great breach, with a very grievous blow. » Oxford Tracts, No. 81. Vol. iv.

prædita, sed serias et utiles cogitationes excitandi causa instituta. [1]

27. Catholicam de Eucharistia doctrinam Concilium Tridentinum, anathemate in contra dicentes lato, vindicavit : « Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, et proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit. » [2] Zuinglii errorem una cum Calviniano percellit hic canon, adeoque Anglicanos : ipsi enim nonnisi virtutem et efficaciam corporis et sanguinis Christi percipi revera credunt, quamvis ipsum corpus et sanguinem quandoque, verborum licentia usi, se recipere affirment. In eo autem fallunt et falluntur quod de re ipsa nobiscum convenire se aliquando profiteantur, de modo tantum disceptantes : agitur enim de veritate præsentiæ corporis et sanguinis Christi. Fallaciam verborum quibus utuntur, et sententiæ quam propugnant, feliciter exponit Hallam, celebris scriptor acatholicus. [3] Ad modum præsentiæ quod attinet, nihil ab Ecclesia reperitur definitum, nisi quod vocibus illis Tridentinis enuntietur, scilicet quod *vere* adsit corpus et sanguis Christi, non signo tantum et figura; quod *realiter*, non fide tantum adesse censeatur; quod *substantialiter*, non mera virtute et efficacia. Cæterum modus ipse prorsus ineffabilis est : nec enim naturali sua conditione præsens est Christus, sed ratione mysterii plena, quam adorare potius quam scrutari vel explicare præstat. *Transubstantiatio* ad merum modum præsentiæ non potest referri, prout a plerisque Anglicanis fit : est enim ratio qua fit præsens, vel qua substantia panis et vini in corpus et sanguinem convertitur.

Quum gravissima sit hæc controversia, singula Scripturarum testimonia perpendere, adjecta veterum interpretatione, juvat. De promissionis verbis quæ Joannes refert, imprimis agendum est.

CAPUT III.

DE SEXTO JOANNIS CAPITE.

Propositio.

Vera, realis, et substantialis præsentia corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia invicte probatur ex promissionis verbis relatis apud Joannem.

28. *Probatur* 1. *ex Christi Domini verbis*. Quum Christus, panibus multiplicatis, ita ut plura millia hominum

(1) Unitarian Miscellany, Vol. i. p. 146.

(2) Sess. xiii. Can. i.

(3) « This middle system (*Anglican*) (if indeed it is to be considered a genuine opinion, and not rather a political device), * had no advantage but in the disguise of unmeaning terms; while it had the peculiar infelicity of departing as much from the literal sense of the words of institution, wherein the former triumphed, as the Zuinglian interpretation itself. I know not whether I can state, in language tolerably perspicuous, this jargon of bad methaphysical theology. . . . It can hardly fail to strike every unprejudiced reader, that a material substance can only in a very figurative sense be said to be received through faith; that there can be no real presence of such a body consistently with the proper use of language, but by its local occupation of space; and that as the Romish tenet of Transubstantiation is the best, so this of the Calvinists is the worst imagined of the three, that have been opposed to the simplicity of the Helvetic explanations. » Hallam's Constitutional Hist. England, Vol. i.

* « The truth is, that there were but two opinions at bottom as to this main point of controversy; nor in the nature of things was it possible that there should be more : for what can be predicated concerning a body, in its relation to a given space, but presence and absence? »

satiarentur, omnium in se admirationem provocasset, secuti sunt eum plurimi, par prodigium videndi spe illecti, eumque Capharnai invenerunt. Huic curiositati et ciborum desiderio mederi voluit, occasione inde accepta eos ad cœlestis cibi esuriem excitandi. Ex iis quidam cibum cœlitus dandum postularunt, prout Moyses majoribus eorum manna dederat. Se cibum esse qui e cœlo descenderat dixit, suamque carnem illis se daturum manducandam. « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. »[1] Vix enuntiaverat se carnem suam in cibum daturum: panis quippe nomine apud Hebræos omnis cibus intelligebatur; quando grave ortum est contradicentium murmur, et auditores in duas scissi sunt partes, nonnullis negantibus id fieri posse, aliis affirmantibus: « Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Dum inter se contenderent de rei possibilitate, Christus iteravit propositionem, minans interitum iis qui oblato cibo vesci nollent: « Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen, dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Eodem spiritu dicere perrexit: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. »

29. Ex tota narratione liquet de cibo esse sermonem: panem dederat Christus; panem quæsierunt Judæi, sed veluti parvi facientes eum qui præ manibus multiplicatus fuerat, e cœlo dandum desiderarunt, prout Moysis tempore cœlo deciderat manna. Christus panem e cœlo a Patre suo dari affirmavit, seque panem illum esse, suamque carnem, ipsam quæ pro mundi salute inter supplicia daretur, se etiam in cibum daturum. Illis de tanta promissione inter se contendentibus, quomodo fieri posset, idonea oblata est occasio suam explicandi mentem, et offensionis causam tollendi, si de vera suæ carnis manducatione haud fuisset locutus. Attamen verbis maxime vehementibus, et minis adjectis dirissimis, ipsam carnem manducandam et sanguinem bibendum dixit: et magna verborum copia iterum iterumque manducationem illam inculcavit. Sicut recusantibus intentavit pœnas, suscipientibus vitæ æternæ præmia, et intimam hac in vita cum illo conjunctionem pollicitus est, se verum cibum animæ esse affirmans. Orationem clausit, nulla data explicatione: nam quæ postea ab ipso dicta referuntur, ab iis quæ in synagoga palam protulit, haud sine causa, ab Evangelista discernuntur,[2] ut intelligamus integram esse concionem; et promissionem, licet durius exceptam et in quæstionem vocatam a Judæis, nulla voce fuisse mitigatam, vel ad sensum auditoribus accommodatum reductam.

(1) Joan. vi. 52.

(2) « In this and the following verses, (spoken not in the Synagogue, but elsewhere, and, no doubt, in private), our Lord condescends, » etc. Pergit Bloomfield protestantico more testimonia explicare, sed, quod nostra interest, locorum discrimen admittit.

30. Soluta concione, quæ dixerat Jesus adeo vehementer, inter discipulorum turbam animo revolvebantur, qui nec acquieverunt tanto mysterio. « Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ? » Res erat, uti liquet, maxime captu difficilis, quam plurimi, qui se discipulos hactenus professi erant, noluerunt amplecti. Argumento est validissimo Christi sermonem multitudini universæ, et ipsi qui eum audire consuevit discipulorum cœtui, sensum veræ manducationis ingessisse. Jam vero Christus vix potuit absque injuria auditorum doctrinam involvere verborum ambagibus, quæ simplicius explicata, nemini foret offensioni, quum prout sonabat accepta universos fere devios ageret a salutis semita. Sed nec discipulis suis privatim eam explicationem præbuit, qua tolleretur difficultas. « Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ? Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum. Et dicebat : Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. » Hæc Christi oratio ad discipulos diligenter perpendenda est, ut animus ejus innotescat. Quum ægre ferrent eum de carne sua danda locutum esse, quæsivit quid illis videretur si eum ascendentem ad summos cœlos, unde venit, conspicerent. Hoc veluti argumentum veritatis indicat, ut sibi credatur. Spiritus, — τὸ πνεῦμα — divinus Paracletus est, qui vitam animæ impertitur, fidei largiendo donum, et cordis affectus sibi charitate devinciendo : caro, humanus scilicet sensus et cogitatio, nil prodest in fidei mysteriis scrutandis. Quæ protulerat, spiritum — πνεῦμα — esse et vitam dixit, spiritualia et vivifica, a divino Spiritu profecta, et veritates divinas spectantia, quarum fides spiritum et vitam afferret. [1] Sed esse ex illis qui animo non fovebant fidem, novit ipse, cordium quum esset scrutator. Fidei igitur necessitatem his verbis inculcavit : nam absque ea tantum arcanum nemo potuit amplecti, quam Dei donum esse, magnis precibus expetendum, magnis desiderus exoptandum tandem innuit.

31. Jam vero si quid in nostra hujus sermonis explicatione obscurum vel ambiguum videatur, eventus attendendus est, ut noscamus utrum interpretationi nostræ conveniat : scilicet si post Christi explicationem discipuli pertinaces inventi sint, et Magistrum deseruerint, merito inferimus eum suæ sententiæ duritiem haud emollivisse. Ita autem revera contigit : « Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro : et jam non cum illo ambulabant. » Ergo illis persuasum est Christum perstitisse in ea affirmanda suæ carnis manducatione, a qua illos abhorrere noverat. Numquid infeliciter Christo cessit suam mentem aperire volenti ? numquid omisisset omnem conatum ad discipulos retinendos, claris et apertis verbis, si male intellexissent ejus verba, quum ipse de sola fide ageret, vel de symbolis et signis ?

32. Ad Apostolos nunc oculos convertere oportet, ut quid ipsi senserint noscamus : nam credendum eos saltem verum verborum sensum aliquatenus intellexisse. « Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire ?

(1) Vide Rom. viii. 4. ubi carnis et spiritus sensus evolvitur.

Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. Respondit ei Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim. » Liquet Apostolos non alia conditione invitari ut maneant, nisi humili mentis assensu excipiendo quæ Christus dixerat; eaque de causa Petrum nomine cæterorum integrum profiteri obsequium. Non allegat discedentium errorem, quo verba Magistri perperam interpretati sunt, sed hujus auctoritatem, cui aliam anteferre nefas foret. Eloquia et documenta ejus vitam afferre credentibus agnovit, et omnium nomine fidem professus est : noverant enim divinam ejus originem et naturam ex iis quæ patrata viderant prodigiis. Unus tamen inter illos latuit perditionis filius, quem notavit Christus, ne quis se falsa pietatis specie decipi putaret.

33. Ex tota illa narratione invictum veræ carnis Christi in Sacramento dandæ, substantialiter et realiter, habetur argumentum : quum cibum animæ cœlestem se daturum promiserit, eumque suam carnem fore affirmaverit, nec murmurantibus Judæis, nec discedentibus discipulis mitigaverit ejus verba, sed Apostolis significaverit, iis etiam discedere per se licere, nisi vellent arcanum quod proposuit toto mentis obsequio adorare.

34. *Probatur* 2. *ex Patrum interpretatione*. S. Cyprianus explicans petitionem « panem nostrum, » ait : « Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante et monente : « Ego sum » panis vitæ qui de cœlo descendi. Si » quis ederit de meo pane, vivet in » æternum. Panis autem quem ego de» dero, caro mea est pro sæculi vita. » Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt, et Eucharistiam jure communicationis accipiunt : ita contra timendum est et orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente : « Nisi ederitis carnem » Filii hominis, et biberitis sanguinem » ejus, non habebitis vitam in vobis. » Et ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et corpore non recedamus. » [1]

35. S. Hilarius Patrem et Filium natura unum esse, non voluntatis tantum consensu, probat ex eo quod et nos naturaliter in Sacramento Christo conjungamur. « Eos qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit; et naturam carnis sic ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus; quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non na-

(1) Lib. de Orat. Dominica.

turaliter vel se in Christo, vel Christum sibi inesse; quia in Christo Pater, et Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, et ille in nobis : quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per Sacramentum proprietas perfectæ Sacramentum sit unitatis? Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati, alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus, et tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait : « Caro mea vere est esca, et sanguis » meus vere est potus. Qui edit carnem » meam, et bibit sanguinem meum, » in me manet, et ego in eo. » De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus : nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra, vere caro est, et vere sanguis est : et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingit plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant. »[1] Hoc argumentum nihil valuisset, si fide tantum Christi corpus et sanguis in Eucharistia sumerentur.

36. S. Joannes Chrysostomus rationem reddit cur Christus post panes multiplicatos de mysterio Eucharistiæ locutus sit : « Si quis percontaretur, cur mysteriorum sermonem adduxerit, respondebimus quod horum nunc maxime tempus erat. . . . Propterea illud prius fecit miraculum, ut per illud non essent amplius increduli his quæ postmodum diceret. . . Quare necessario dicendum quam admiranda mysteria, et cur data sint, et quænam eorum utilitas. Unum corpus sumus, et membra ex carne et ossibus ejus. Ut autem non solum per dilectionem, sed reipsa, in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus se nobis commiscuit, et in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur : hoc enim amantium maxime est. Hoc Job significabat de servis a quibus maxime amabatur, qui suum amorem præseferentes, dicebant : « Quis daret » nobis, ut ejus carnibus impleremur? » Quod Christus fecit, ut majori nos charitate adstringeret; et ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed et tangi, et manducari, et dentes carni suæ infigi, et desiderio sui omnes impleri. »[2] Hæc non tantum exhibent interpretationem sacri textus ab insigni doctore, qui celebratur ob « inhærentem sententiæ sacrorum librorum explanationem, » sed realem Christi præsentiam iis vehementioribus verbis enuntiant, quæ de perceptione fide nullatenus explicari possunt. Merito autem quæ speciebus contingunt, carni ipsi quæ iis velatur tribuuntur, ad veritatem substantialis præsentiæ designandam, quamvis nihil jam pati possit caro illa, gloriosi corporis proprietatibus prædita.

37. S. Cyrillus Alexandrinus : « Servator ipse : « Qui manducat meam carnem,» inquit, « et bibit meum sangui- » nem, in me manet, et ego in illo. » Hic enim animadvertere est operæ pretium,

(1) L. viii. de Trinit. n. 13.

(2) Hom. xlv. in Joan.

Christum non dicere se duntaxat in nobis futurum secundum relationem quamdam affectualem, sed et per participationem naturalem. Ut enim si quis ceram ceræ commixtam igne simul liquaverit, unum quid ex ambabus efficit, ita per corporis Christi et pretiosi sanguinis participationem, ipse quidem in nobis, nos autem rursus in eo simul unimur. Nec enim aliter vivificari potest quod natura sua est corruptibile, quam si corporaliter unitum sit corpori ejus, qui secundum naturam suam est vita, hoc est, Unigeniti. Quod si meis verbis persuaderi te non sinis, ipsi Christo clamanti fidem adhibe : « Amen, amen dico vobis : » nisi manducaveritis carnem Filii ho- » minis, et biberitis ejus sanguinem, » non habebitis vitam in vobis. Qui » enim manducat meam carnem, et » bibit meum sanguinem, habet vitam » æternam : et ego resuscitabo eum in » novissimo die. » Audis eum aperte prædicantem, quod nisi carnem ejus manducaverimus, et biberimus ejus sanguinem, non habituri simus in nobis, hoc est, in propria carne, vitam æternam ? Æterna autem vita jure censebitur caro vitæ, hoc est, Unigeniti. »[1] Iterum ait : « Quomodo potest hic carnem suam nobis dare? De Deo non sine magna impietate conclamant, nec in mentem venit nihil esse impossibile apud Deum. Nam quum animales essent (ut ait Paulus) spiritalia intelligere non poterant. Sed fatuitas quædam tam magnum sibi videtur mysterium : sed nos magnum, quæso, a peccatis aliorum profectum faciamus, et firmam fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud « quomodo » aut cogitemus, aut proferamus : judaicum enim hoc verbum est, et extremi supplicii causa. »[2]

38. S. Leo Magnus : « Dicente Domino : « Nisi manducaveritis carnem » Filii hominis, et biberitis ejus san- » guinem, non habebitis vitam in vo- » bis, » sic sacræ mensæ, fratres, communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis et sanguinis Christi ambigatis. »[3]

Objectiones.

39. *Obj.* 1. Christus sexto Joannis capite de cibo animæ agit, de se scilicet fide percipiendo. Judæos panem quærentes monuit, ut cibum qui in vitam æternam maneret potius quærerent : « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. . . . Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. »[4] Sicut Samaritanæ mulieri aquam vivam petendam dixit, doctrinam salutis ea intelligens; ita et cibum vitæ Judæis quærendum indicavit, alia imagine eam designans.

40. *Resp.* Utique a pane, quem quærebant Judæi, sumpsit occasionem Christus eos de cibo animæ alloquendi, eosque hortatus est ut hunc præ illo quærerent. Quum illi deinceps interrogarent quid sibi foret faciendum, quod opus peragendum, ut Deo forent grati, respondit illud imprimis esse necessarium, ut sibi divinitus misso, et claris indiciis designato, plenam adhiberent fidem. Ausi sunt argumentum divinæ illius missionis postulare, non quale mox dederat, multiplicatis panibus, sed e cœlo veluti depromptum, pane inde deducendo : majoribus enim suis illud suæ missionis indicium a Moyse datum objiciebant. Tunc animadvertit manna e cœlo vere non delapsum, nec eas habere proprietates quæ cœlestem cibum denotant : eum enim panem vere cœlestem dicendum, qui a Patre cœlo demittitur, vitam daturus mundo. Hac ratione vehemens in iis accendit desiderium cœlestem hunc

(1) L. x. in Joannem. c. xiii.
(2) In Joan. l. iv. c. xiii.
(3) Serm. lxxxix. de jejunio septimi mensis.
(4) Joan. vi. 27, 29.

cibum gustandi. Petentibus ut semper illis panem hunc daret, respondit se esse panem vitæ, nec esuriem passurum, nec sitim, quicumque ad eum accederet. Objurgavit eos deinceps eo quod illi hæc tradenti non crederent, et ad excitandam eorum æmulationem, præ oculis proposuit præmia quæ fideles ejus discipulos manebant. « Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. »[1] Murmur hoc cohibuit Christus, eosque ideo haud credere dixit, quia Patri docenti interius non obaudiebant. Iterum se panem vitæ esse affirmavit, et facta sui cum manna collatione, ostendit morti subjacuisse qui hoc olim vescebantur, se vero e cœlo descendisse, ut qui ex eo manducaret, vita frueretur æterna. Suam ipsius carnem comedendam in animæ cibum tandem perspicuis verbis enuntiavit. Verissime igitur dicitur occasione panis, quo reficiuntur corpora, usus esse, ut de cibo animæ loqueretur; sed qualis sit ille cibus ipso docente discimus. Profecto si de doctrina fide excipienda voluerit loqui, absque ulla causa figuris, a quibus adeo abhorrebant auditores, usus fuisse videbitur.[2]

41. *Obj.* 2. De fide prius locutus est Christus : igitur transitus ad oralem manducationem non est admittendus, præsertim quum panis ipse dicatur eo loci, in quo de fide plane agitur, et e cœlo descendisse, quum caro ejus ex utero Virginis sit derivata.

42. *Resp.* Totius concionis Christi materies fuit animæ cibus, occasione sumpta ex corporis nutrimento. De fide egit, tamquam conditione et subsidio ad illum percipiendum cibum. Quum primum se panem dixerit, intelligendus videtur de se in cibum animæ sumendo, quamvis qua ratione id fieret non statim aperuerit. Cæterum progrediendo illud manifesto declaravit. Constat igitur sibi tota oratio, quæ de cibo Eucharistico est, sub involucris primum, deinceps clare promisso. Vere dicitur panis cœlo delapsus; quamvis enim caro Christi ex utero matris desumpta sit, divina dignitas personæ, cum qua conjungitur, facit, ut de ea prædicetur cœlestis illa origo : proprietates enim utriusque naturæ de persona rite prædicantur, et de naturis *in concreto,* juxta scholasticorum sermonem.

43. *Obj.* 3. Tota illa de cibo cœlesti oratio figurata plane est, uti ex iis verbis patet, quibus promissionem contineri maxime jactant Catholici : « panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita : »[3] vel ut habet textus Græcus : ὃν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. His verbis, uti bene adnotat Rosenmüller, indigitat mortem suam ; « fore, ut ex morte sua maxima generi humano orirentur beneficia. »[4]

44. *Resp.* Figuratam illam orationem, quam Rationalista post Protestantes adeo manifestam censet, agnoscere non possumus, Christo tanta cum asseveratione carnem suam se daturum profitente. Si in sermone de pane constitisset, interpretatio figurata verosimilitudine non careret; sed quum carnem nominet, et, repugnantibus Judæis, interitum eam non manducanti minetur, ignoscant nobis Protestantes et Rationalistæ, credentibus nullo pacto contingere potuisse ut

(1) V. 41.

(2) « It must be owned, that if our Saviour, by men's eating his flesh, and drinking his blood, meant nothing but so obvious a thing as receiving him and his doctrine by faith and obedience, he clothed his thoughts in most unnatural language.» Dr. Johnson cit. a Moore, Travels of an Irish Gentleman, c. xiii.

(3) V. 52.

(4) In locum.

auditoribus offensionis et perditionis causam ipse daret, figurata locutione adeo inusitata, et cujus nullum idoneum suppetebat indicium.

45. *Obj.* 4. Christus spiritualem suorum verborum sensum aperuit, et errorem Capharnaitarum corrigere studuit; nam se ascensurum in cœlum dixit, adeo ut non possent ultra sibi fingere se carnem ejus manducaturos : « Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » [1]

46. *Resp.* Quicumque sit horum verborum sensus, non possunt efficere ut Christus non videatur publica concione auditoribus gravissimi erroris præbuisse occasionem et causam, si figurata admittenda sit interpretatio : adnotat enim diligenter Evangelista hæc alia occasione prolata, coram discipulis, quum oratio in synagoga absoluta sit, plurimis coacervatis asseverationibus vehementioribus, et ne verbo quidem prolato, quo earum vis mitigaretur. Post concionem relatam dicit Joannes : « Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum. » [2] Deinde refert quæ postea evenerunt, rumore illius concionis ad discipulos plerosque delato, et re eorum judicio perpensa : « Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » [3] Id fatetur Rosenmüller ipse, in priorem illum versiculum adnotans : « Palam, loco publico, ubi plurimi erant testes sermonis. Quæ proxime sequuntur, post discessum e synagoga dicta videntur. » [4] Bloomfield etiam consentit.

47. *Obj.* 5. Illa Christi verba eo directa sunt, ut quæ dixerat in synagoga explicaret : solebat enim privatim discipulis explicare quæ in pœnam Judæis pleraque obscure proposuerat.

48. *Resp.* Videntur potius dicta causa inculcandi et urgendi quæ publice dixerat : nam nonnisi murmure inter discipulos orto de duritie doctrinæ, ea protulit. Nihil dicitur quod ad conciliandos eorum animos natum sit, sed objurgantur, eo quod offensionis occasionem ex promissione facta sumpserint. Ascensio ejus futura, et cœlestis origo allegantur, ad eorum incredulitatem domandam. Effertur Spiritus divini effectus in anima fideli : Spiritus scilicet est qui vitam animæ impertitur, fidei lumen gratiamque qua justi efficimur concedendo. Caro, sensus humanus a Spiritu non illustratus nihil prodest; homo nempe, humano illo sensu innixus, de divinis mysteriis judicans, in errorem et interitum ruit; est enim hæc loquendi ratio μειωσις qua mitioribus verbis funesti effectus superbiæ humanæ enuntiantur. Verba quæ Christus dixerat, spiritus et vita erant, cœlestia a divino Spiritu profecta, et vitam animæ datura, quæ proinde ex Spiritus lumine fideles amplectuntur; [5] « sed sunt quidam ex vobis, » pergit dicere, « qui non credunt. » Hæc obvia est verborum objectorum interpretatio, seriei totius orationis consona, et usui Scripturarum, in quibus caro passim pro humano et vitioso sensu et affectu sumitur. Ipse Rosenmüller ea sic reddit : « Sublimior sentiendi ratio salutem affert, humilis (infirma) sentiendi ratio nihil juvat; doctrinæ quas ego vobis propono, efficiunt illam sublimiorem sentiendi rationem, et salutem. » — « πνευμα רוּחַ in N. T. in genere dici-

(1) V. 62. 63. 64. (2) V. 60.
(3) V. 61. (4) In locum.
(5) « That is they are from the Spirit of God, and if received with true faith, will lead to eternal life. » Ita Hornius Introd. Vol. ii. Metonymy of the Cause, p. 590, 5th American edition.

tur, quidquid est perfectum, subtile, sublime, divinum; σάρξ בָּשָׂר, quicquid est imperfectum, vile, humanum. »[1] Ita Apostolus ad Galatas scribens, voces illas adhibet : « Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. »[2] Ex eventu satis intelligitur Christum nihil mitigasse, sed ea quæ dixerat inculcasse credenda : nam discipuli multi, eo audito, discesserunt, numquam reversuri. Quod autem asseritur de obscura locutione in pœnam, impietatem sapit: quamvis enim Christus haud semper perspicuis verbis mysterium regni omnibus panderit, illud Apostolis privatim dans nosse, non ideo potuit, illæsa veritate et bonitate sua, ita loqui ut necessario inducerentur in errorem auditores, et e concione discedere, nullo dato sui sensus indicio.

49. *Obj.* 6. « Ipsi auditores Jesu facile intelligere poterant, eum improprio dicendi genere usum esse, ut hoc monere non fuerit opus. » Ita Rosenmüller, fatens verbis quæ versiculo 63 continentur nullam dari publicæ concionis explicationem.

50. *Resp.* Minime poterant id intelligere, quum ipsis murmurantibus et quærentibus, quomodo Christus dare posset suam carnem manducandam, minatus sit iis mortem nisi eam manducarent, et perrexerit loqui de esus illius utilitatibus. Equidem si figuram aliquam adhiberi cogitassent, ex usu suæ gentis ejus vim definiissent, quum ex ejus sermone non pateret. Jam vero apud illos manducare alicujus carnem, et bibere ejus sanguinem translato sensu significabat *petere calumniis*, *opprimere*, *persequi*, *interficere*, prout ad rem animadvertit eruditissimus vir, Nicolaus Wiseman. Psaltes de hostibus queritur : « appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. »[3] Job de calumniatoribus ait : « Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini ? »[4] De principibus populum opprimentibus dicit Deus : « Qui comederunt carnem populi mei. »[5] Semel apud Job pro affectu magno significando, quo famuli ejus eum amplectebantur, vox usurpata videtur.[6] A sanguinis autem potatione quantum abhorrerent Judæi notum est; et plura probant exempla eam pro re horrenda semper usurpari, quando sensu translato adhibetur.[7] Nunquam pro animæ nutrimento figura hæc a Judæis, vel Orientalibus aliis gentibus, quarum sermo vel mores judaicis adsimilantur, usurpata noscitur. Ergo contra omnes Hermeneuticæ regulas sensus translatus Christi concioni affigitur, quem ipse non indicavit, nec auditores ex usitata suæ gentis loquendi ratione, poterant detegere.

51. *Obj.* 7. Si obvio sensui inhæreamus, dicendum erit Capharnaitas non potuisse vitam assequi, nisi percepto Eucharistiæ Sacremento, quod adhuc non erat institutum. Idem sentiendum de omnibus qui eo caruerint beneficio, saltem per omnia inde decurrentia sæcula ; quod tamen nemo sanus dixerit.

52. *Resp.* Capharnaitis dictum est : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Sed quum Christus se daturum carnem suam promisisset, minæ illæ necessario respiciebant tempus quo reipsa daretur manducanda. Nisi manducarent quum institutum fuerit Sacramentum, iisque manducandum oblatum, nulla illis

(1) Rosenmüller in locum. (2) Gal. iii. 3.
(3) Ps. xxvi. (Heb. xxvii.) 2.
(4) Job xix. 22. (5) Michææ iii. 3.
(6) Job. xxxi, 31.
(7) Vide Lectures on the Eucharist, Lecture ii. and iii. by Nicholas Wiseman.

speranda erat salus. Idem dicendum de omnibus quibus divinum hoc donum innotuerit, ejusque recipiendi facta fuerit copia. Hoc christianis documentis omnino congruit.

53. *Obj.* 8. Omnibus fatentibus, Capharnaitæ Christi mentem non sunt assecuti: putarunt enim eum de carnis manducatione, naturali modo, agere. Igitur non licet inferre eum de orali aliqua manducatione locutum, ex eo quod Capharnaitas, ita intelligentes ejus verba, haud correxerit.

54. *Resp.* Si de figurata tantum manducatione egisset Christus, debuit omnino Capharnaitas corrigere, quum eos pernicioso errore laborare videret, cui occasionem et causam ipse dederat. Cæterum de vera et substantiali manducatione agens, errorem de modo quo fieret opus non erat ut emendaret, quum ejus non esset auctor: Capharnaitæ enim sibi tribuere debuerunt, quod suum sensum secuti de modo cogitantes erraverint, quum oportuerit promissionem plena fide excipere, et modi quo adimpleretur revelationem expectare. S. Cyrillus Alexandrinus ad rem ait : « Non aspere ad crudelitatem eorum respondit, nec ullo modo contendit, sed vivificantem hujus mysterii cognitionem iterum atque iterum in mentibus eorum imprimere studet : et quomodo quidem carnem suam dabit ad manducandum, non docet, quia intelligere illi non potuerunt : quam magna vero bona, si cum fide manducabunt, adispiscentur, id iterum atque iterum aperit, ut æternæ desiderio vitæ ad fidem compellantur. » [1]

55. *Obj.* 9. Christus sæpius neglexit corrigere errores eorum qui sua verba perperam intellexerunt. Sic petentibus Pharisæis signum ejus auctoritatis, dixit : « Solvite *templum hoc*, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in diebus tribus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. » [2] Sic etiam quum dixisset : « Non quod intrat in os, coinquinat hominem ; » [3] et Pharisæi, dicto illo male intellecto, scandalum paterentur, nullam rationem eorum erroris haberi voluit, sed discipulis cupientibus ut offensionis tolleretur occasio, respondit : « Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum ; » nec nisi precibus specialibus Petri indulsit, ut mentem suam explicaret.

56. *Resp.* Necesse non erat ut Christus auditorum corrigeret errores qui ex perversa suorum verborum interpretatione oriebantur, quando ex adjunctis mens ejus facile colligebatur, nec verba nata sunt ad errorem ingerendum. Loquens de suo corpore, vocavit illud templum, haud inusitata figura : anima scilicet in corpore veluti templo habitat, et Deus animam justi intime replens, corpus etiam suum templum facit; et quod ad Christum ipsum attinet, Deus ipse, secunda Trinitatis persona, in corpore, veluti templo sibi electo, hypostatica tamen unione, habitabat. Quod Judæi verba ejus ad templum in quo prolata sunt retulerint, eorum errore contigit, quum non satis animum ad eum attenderint: nec oportebat eos corrigere, quum resurrectionem ejus e mortuis indicare, potius quam perspicuo prædicere præstaret. Cæterum non omnino eos latuit ejus mens : nam ex hujusmodi dictis sumpserunt occasionem a Pilato postulandi custodiam, ne tertia die resurgere crederetur. Discipuli autem post resurrectionem horum verborum recordati, in fide firmati sunt; quod ostendit eos saltem vel vim verborum, quum dicerentur, animadvertisse, vel iis

(1) In Joan. l. iv. c. xiv.

(2) Joan. ii. 20. (3) Matth. xv. 11.

quid arcanum enuntiari intellexisse. Præterea liquet nullum perniciosum errorem ex illis Christi verbis auditoribus oriri potuisse, et omnem errandi occasionem posteris ademptam explicatione quam sacri scriptores præbent. Non ita dicendum de concione relata in sexto Joannis capite : nam verba nata sunt ad notionem oralis manducationis ingerendam, et Christus ea plurimis vehementioribus confirmavit, et nihil a sacro scriptore adnotatum est ut lectores sensum translatum detegere valeant. Alio loco objecto sensus facile colligi poterat ex occasione dicendi : nam Scribæ et Pharisæi murmurabant de discipulis haud lavantibus manus antequam cibum sumerent. Quod igitur dixit Christus : « Non quod intrat in os, coinquinat hominem ; » intelligendum erat de cibi immunditia, attactu manuum illotarum; et merito recusavit amplius suam explicare mentem Pharisæis, qui animo maligno dicta ejus omnia et res gestas interpretabantur. Discipulos autem ob tarditatem ingenii quum corripuisset, rem quippe adeo obviam intelligebant, dignatus est iis suos revelare sensus. Sed in sexto Joannis capite occasio dicendi erat miraculum multiplicatorum panum, et postulatum a Judæis signum cœleste, instar mannæ e cœlo decidentis: quorum neutrum minuebat vim promissionis. Judæis haud omnis denegata est explicatio, quum semel murmurassent, sed ea vehementer confirmata est promissio ; et quæ privatim discipulis sunt dicta nil mitigant.

57. *Obj.* 10. Origenes de verbis Christi sexto Joannis capite relatis agens, dicit : « Agnoscite quia figuræ sunt, quæ in divinis voluminibus scripta sunt, et ideo tamquam spiritales, et non tamquam carnales examinate, et intelligite quæ dicuntur. Si enim quasi carnales ista suscipitis, lædunt vos, et non alunt. Est enim et in Evangeliis litera quæ occidit, non solum in veteri Testamento occidens litera deprehenditur. Est et in novo Testamento litera quæ occidat eum, qui non spiritaliter quæ dicuntur adverterit. Si enim secundum literam sequaris hoc ipsum, quod dictum est : « Nisi manducaveritis » carnem meam, et biberitis sanguinem » meum, occidit hæc litera. » [1] Hæc fidenter objicit Cosinus. [2]

58. *Resp.* Notissimum est Origenem suo ingenio nimis indulsisse, mysticas præbendo Scripturarum interpretationes; cujus exemplum satis manifestum hoc loco præbet, verbum Christi carne ejus designari dicens, et Apostolos cibum nostrum appellans : « Carnibus enim et sanguine verbi sui, tamquam mundo cibo ac potu, potat et reficit omne hominum genus. Secundo in hoc loco post illius carnem, mundus cibus, et Paulus, et omnes Apostoli. » Cæterum quamvis non adstruat eo loci genuinum Christi verborum sensum, non ideo eum prorsus excludere censendus est : litera enim quæ occidit est quæ sanguinis humani fusionem vi et potationem, naturali conditione, exigit. Quidquid autem censuerit de verbis illis, constat eum omnino agnovisse corpus et sanguinem Domini vere in Sacramento adesse, dari et suscipi. « Nostis, » inquit, « qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur; reos enim vos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. » [3]

59. *Obj.* 11. Augustinus ipse sensu spirituali et figurativo verba illa intel-

(1) In Levit. hom. vii. n. 5.

(2) Aliud Origenis testimonium quod objicit Cosinus invenire haud potui, quum locus non indicetur. (3) Hom. xiii. in Exod.

ligenda agnoscit : « Caro mea est pro » mundi vita.» . . . « Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi non negligant esse. . . . Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem : « Unus panis, » inquit, « unum » corpus multi sumus. » O Sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum charitatis! . . . Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia, in prædestinatis, et vocatis, et justificatis, et glorificatis sanctis et fidelibus ejus : quorum primum jam factum est, id est prædestinatio : secundum et tertium factum est, et fit, et fiet, id est vocatio et justificatio : quartum vero nunc in spe est, in re autem futurum est, id est glorificatio. Hujus rei sacramentum, id est, unitatis corporis et sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa præparatur, et de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit. » [1] Alias ait : « Si præceptiva locutio est aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficium jubens, non est figurata. . . . . Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. « Nisi manducaveritis, » inquit, « carnem Filii hominis, et sangui- » nem biberitis, non habebitis vitam in » vobis. » Facinus vel flagitium videtur jubere : figura est ergo, præcipiens passioni dominicæ communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit. » [2]

60. *Resp.* Aliquando Patres ab obvio Scripturæ sensu divertunt, ut mysticam ejus significationem explicent, eamque moribus audientium accommodent. Sic Augustinus fideles, qui corpus Christi Sacramento accipere solebant, hortatur, ut charitatem erga se invicem servent, cujus symbolum et vinculum arctissimum est divinum illud mysterium. Nec tamen illud inane symbolum habet, sed divinum prorsus et efficax, uti liquet ex tot quæ citavimus ejus testimoniis. Quod autem de Sacramenti natura paulo obscurius nonnunquam loquatur, contigit etiam quia in publicis concionibus noluit enucleatius illud exponere, habita ratione disciplinæ illius temporis, quæ non sinebat ut Catechumenis aut infidelibus arcanum illud explicaretur. Audi ipsum Augustinum, explicantem illa verba : « Jesus non se credebat eis. » « Tales sunt omnes Catechumeni : Ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Jesus non se credit eis. Intendat et intelligat charitas vestra : si dixerimus Catechumeno : Credis in Christo? Respondet : Credo, et signat se cruce Christi, portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum : Manducas carnem Filii hominis, et bibis ejus sanguinem? nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei. . . . Quo ergo perducit credentes et baptizatos? Ad manna. Ecce dico manna. Notum est quid acceperint Judæi, notum est quid illis pluisset Deus de cœlo : et nesciunt Catechumeni quid accipiant Christiani. » [3] Alio loco figuram agnoscit, quæ carnis Christi dilaniationem excludat, quin tollat veritatem Sacramenti : communicatio enim illa passioni Domini, de qua loquitur, fit non sola illius memoria, sed corpore ipso et sanguine, sub Sacramenti speciebus, sumptis :

(1) Tract. xxvi. in Joan.
(2) De doct. Christ. l. iii. c. xvi.
(3) Tract. xi. in Joan.

« Mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere. » [1]

61. *Obj.* 12. Augustinus irridet Judæos panem dentibus conterendum expectantes : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Hoc est ergo manducare cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ut quid paras dentes et ventrem? Crede et manducasti. » [2]

62. *Resp.* Irridet eos Augustinus qui panem, corporis cibum, manducandum expectabant, et animæ cibum fide excipiendum promitti docet; eo scilicet loci explicat priorem partem concionis Christi, in qua de cibo animæ verbis generalibus agitur, et fides statuitur necessaria conditio ad eum percipiendum. Ideo dicit : « Crede, et manducasti, » quia tunc fides tantum exigebatur, qua anima veluti nutriretur, haud adhuc dato vel proposito pane cœlesti, de quo postea Christus enucleatius locutus est. [3] Cæterum « carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus, » uti jam Augustinus nos docuit.

63. *Obj.* 13. Augustinus arguit Capharnaitas quod verba Christi carnaliter intellexerint : « Durum illis visum est quod ait : « Nisi quis manducaverit » carnem meam, non habebit vitam » æternam. » Acceperunt istud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quod præcisurus erat Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis, et dixerunt : « Durus est » hic sermo. » . . . . Ille autem instruxit eos, et ait illis : « Spiritus est qui vivi- » ficat; caro autem nihil prodest. Verba » quæ locutus sum vobis, spiritus est et » vita. » Spiritaliter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritaliter intellectum vivificabit vos. » [4]

64. *Resp.* Ipse se explicat Augustinus, dum errorem Capharnaitarum in eo reponit, quod crederent Dominum dixisse se præcisurum particulas quasdam de corpore suo, et daturum illis manducandas : « Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur. » [5] Sed rei veritatem omnino agnovit, uti ex plurimis ejus testimoniis, quorum quædam laudavimus, quædam supersunt laudanda, constat. Equidem verbis objectis subjungit : « Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. » Sic et explicans illa verba : « Caro non prodest quicquam, » ait : « Caro non prodest quicquam, sed sola caro. Accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum; nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? » [6]

65. *Obj.* 14. Plures theologi catholici,

(1) L. ii. contra advers. legis et proph.

(2) Tract. xxv. in Joan.

(3) Necesse non esse putamus in duas partes Christi concionem partiri, quod plurimis visum est; veluti de fide primo, deinceps de Eucharistia egerit, magis enim omnia cohærent si de cibo supernaturali integra explicetur, qui tamen non statim verbis adeo perspicuis propositus est. Cyrillum Alexandrinum et Theophylactum inter veteres sequimur.

(4) Enarr. in Ps. xcviii.

(5) Tract. xxvii. in Joan. (6) Ibidem.

inter quos Gabriel Biel, Nicolaus Cusanus, et Cajetanus, negarunt in capite sexto Joannis agi de Eucharistia; et quum quidam definitionem ea de re a Tridentino Concilio prodire vellent, res caruit successu felici.

66. *Resp.* Quod pauci quidam catholici interpretes alias senserint de capite illo Joannis, dogmate illæso contigit; quorum tamen explicationem ne sequamur, orationis serie, et Patrum insignium auctoritate retinemur. Equidem ipsum Concilium Tridentinum in doctrinæ expositione testimoniis ex illo capite passim usum est, [1] quin voluerit definitione solemni alias interpretationes, quæ dogma haud lædant, proscribere. Eam igitur tuemur quæ juxta Hermeneuticæ ipsius regulas verissima nobis videtur, ex ipsa orationis serie deprompta, et consensu Patrum et Ecclesiæ auctoritate admodum commendata.

CAPUT IV.

DE INSTITUTIONE EUCHARISTIÆ.

67. Illud quidem notatu dignum videtur, Joannem, qui promissionem Christi de carne sua danda solus retulit, de Eucharistiæ institutione siluisse, quam cæteri Evangelistæ diligenter persecuti sunt. Id contigisse censendum omnino est, quod quum alia Evangelia jam fuissent edita, de hac necesse non fuit loqui, cui tamen testimonium reddere voluit, solemni relata promissione tanti muneris dandi. Jam vero verba ipsa Christi Domini hoc instituentis Sacramentum perpendenda sunt, quæ, ut mens ejus clarius innotescat, præ oculis ponemus, prout a tribus Evangelistis et a Paulo sunt relata.

Propositio.

Christi Domini Eucharistiam instituentis verba simplici et obvio sensu excipienda sunt, ideoque vera, realis et substantialis corporis et sanguinis ejus præsentia in hoc Sacramento invicte inde probatur.

68. *Probatur* 1. *ex ipsis Christi verbis.* Matthæus sic institutionem Eucharistiæ refert: « Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: *Hoc est corpus meum.* Et accipiens calicem gratias egit: et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. » [2] Græcus textus verba consecrationis sic refert: τοῦτό ἐστὶ τὸ σῶμά μου — τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν,

69. Marcus dicit: « Manducantibus illis, accepit Jesus panem: et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, *Hoc est corpus meum.* Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. » [3] Græcus textus: τοῦτό ἐστὶ τὸ σῶμά μου — τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.

70. Lucas ait: « Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis,

(1) Sess. xxi. cap. i.

(2) Matt. xxvi. 26. (3) Marc. xiv. 22.

quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur :* hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* »[1] Textus habet : Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.

71. Paulus Corinthios, de divina hujus Sacramenti institutione jam a se edoctos, gravissimis verbis monet : « Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur :* hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens : *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine :* hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. »[2] In textu : Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν — τοῦτό τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι· τοῦτο ποιεῖτε ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

72. Illud imprimis occurrit observandum, quatuor scriptores sacros rem retulisse; quod quanti sit momenti indicat, præsertim quum ex speciali revelatione se eam didicisse Paulus testetur. Jam vero ipsa verba perpendamus. Omnes in iisdem referendis verbis de pane eucharistico dictis conveniunt, « *Hoc est corpus meum.* » His adjicit Lucas : « quod pro vobis datur; » quod Paulus reddit : « quod pro vobis frangitur : » sed hæc vim augent verborum aliorum, quum illud declarent corpus esse quod pro nobis datum est, et immolatum, in cœna quidem *mystice*, deinceps in cruce, sanguine effuso, immolandum. De calice non adeo concordant verba, manifesta de causa : quum enim poculum pro eo quod continet, familiari et usitata figura, passim usurpetur, Lucas et Paulus retulerunt calicem dictum esse novum Testamentum in Christi sanguine, Matthæus vero et Marcus simpliciter dixerunt : « Hic est sanguis meus. » Quod calix dicatur novum Testamentum in Christi sanguine, significat novum fœdus Christi sanguine sanciri, qui eo calice continebatur.

73. Verba Christi, obvio sumpta sensu, corpus et sanguinem suum esse quæ Apostolis tradidit, probant : ea autem obvio sumenda esse sensu ostenditur ex sacrorum scriptorum concordia : nullus enim figuram indicavit; ex vi qua Christus locutus est; ex occasione sermonis : condebat enim novum fœdus, novæque legis præcipuum instituebat Sacramentum; ex iis quos allocutus est, Apostolis scilicet, quibus mysterium regni nosse datum est; ex tempore paulo ante mortem; ex omnibus denique adjunctis, quæ nullum figuræ dant indicium.

74. Equidem concordia quatuor sacrorum scriptorum in re gesta narranda quam, quod pertinet ad panis consecrationem, omnes referunt iisdem omnino verbis, vel ea varietate verborum, quæ vim obviam declarat et auget, haud leve argumentum est ea obvio sumenda esse sensu. Nam si sensus foret translatus, inverosimile

(1) Luc. xxii. 14.

(2) I. Cor. xi. 23.

omnino est neminem ex illis eum proditurum, præsertim quum ex varietate verborum quæ adhibent, dum de calice agitur, liqueat eos sensum magis quam verba respexisse. Paulus verborum ordinem mutat, quin sensus mutetur — ΤΟΥΤΟ ΜΟΥ ΈΣΤΙ ΤΟ ΣΩΜΑ — pronomen scilicet cæteri scriptores ultimo ponunt loco. Addit etiam : τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον — articulo indicante *illud* corpus quod pro vobis frangitur, vel uti Lucas habet — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον — *illud* quod pro vobis datur. Ratio hæc qua Christus locutus est, vim habet magnam, ad designandum corpus ipsum esse quod pro nobis immolatum est, sanguinem ipsum, quo novum sancitur fœdus, et peccata expiantur. Id fatentur critici protestantici. [1]

75. Occasio autem qua Christus hæc protulit verba, obvium eorum sensum retinendum esse maxime ostendit. Obtulerat more Judæorum agnum paschalem, sui, uti omnes fatentur, typum; agnus enim est Christus, cujus sanguine mundi peccata tolluntur. Victimam se exhibet illius loco, veritatem typo substituens. Non igitur typum alium et signum quærere oportet, sed rem ipsam, veram victimam qua figura impletur. Vetus aboletur fœdus, novumque substituitur, sanguine etiam firmandum. Adsit necesse est sanguis, ne tota res ad vanam imaginem redigatur, et fœdus negetur tunc sancitum, Christo id nihilominus affirmante. Omnes agnoscunt præcipuum novæ legis Sacramentum ea occasione institutum : ergo clarissimis verbis ejus natura designanda erat, ne in re summa hærerent Christi discipuli, vel pernicioso errore laborarent. Verba igitur obvio adhibendo erant sensu, vel, si qua figura adhiberetur, vis ejus et significatio plane definienda erat, adeo ut nemo facile posset voluntatem Domini sui, et fœderis conditiones ignorare. Alloquebatur Apostolos, quos consuevit familiarius edocere, eis animi sui sensus et arcana cœlestia pandens : illis quippe datum est nosse mysterium regni Dei : de re tunc facienda agebatur, cujus naturam eos cognoscere oportebat; ultima jam vice ante mortem proximam eos alloquebatur : verbis igitur perspicuis et obvio sensu usus est.

76. Hæc omnia mire confirmantur ex promissione jam publice facta dandi suam carnem manducandam; quum enim ea moti fuissent plurimorum animi, et Apostoli ei præbuissent assensum, nixi summa ejus veritate et divina natura, expectanda erat promissionis impletio. Dicente igitur ipso : « Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus; » debuerunt verba prout sonabant excipere, et impletum agnoscere quod verbis adeo perspicuis promiserat.

77. Verba obvio sumpta sensu veram, realem, et substantialem præsentiam corporis et sanguinis Christi conficere cuique patet; quod etiam ex eo liquet quod per pleraque sæcula apud omnes gentes christianas ita fuerint excepta, et qui ea alia ratione explicare recentiori ætate voluerunt, in plurimas inter-

(1) « Almost every syllable of the original Greek, especially the articles, is singularly emphatic. It runs thus — Τουτο γαρ ἐστι Το αιμα μου, Το της καινης διαθηκης, Το περι πολλων εκχυνομενον εις αφεσιν αμαρτιων. The following literal translation and paraphrase do not exceed its meaning : « *For this is* That » *blood of mine*, which was pointed out by all » the sacrifices under the Jewish law, and particularly by the shedding and sprinkling of the » blood of the paschal lamb; That *blood* of the » sacrifice slain for the ratification *of the new covenant;* The *blood* ready to be *poured out for* » *the multitudes*, the whole Gentile world as well » as the Jews, *for the taking away of sins.* » Horne's Introduction. Vol. ii. p. 508. American edit. citat A. Clarke's Discourse on the Eucharist, pp. 61. 62.

pretationum varietates abierint, inani laboranes conatu contra vim verborum manifestam.[1] Innumeras fere paucorum horum verborum explicationes, sibi non cohærentes, protulerunt qui Scripturarum perspicuitatem jactabant.[2]

78. Accedit argumentum haud leve deductum ex Christi præscientia: quum enim noverit futurum, ut per plurima sæcula plerique per orbem sui discipuli verba illa obvio exciperent sensu, ideoque cultum supremum Eucharistiæ tribuerent, non videtur consonum ejus misericordiæ et bonitati ea usurpare, quæ tanto errori occasionem præberent, et causam; quum vocula una addita omnem errandi causam sustulisset: lingua enim Syriaca, seu Syro-Chaldaica, qua usus est, plurimas continet voces rationesque loquendi quæ signum et figuram exprimunt, uti egregie demonstravit linguæ illius peritissimus vir, quem sæpius cum laude nominavimus, Wiseman.[3] Hinc Dionysius Barsalibæus, Syrus ipse, et Syriaco scribens idiomate, adnotat: « Vocantur et sunt corpus et sanguis Dei, Domini nostri Jesu Christi, *in veritate*, et *non symbolice*. »[4] Equidem si ab obvio verborum sensu, tanta cum solemnitate prolatorum, liceat recedere, nulla erit ratio qua divina veritas a libidine figuratæ interpretationis servari queat.

79. *Probatur* 2. *ex Patrum interpretatione*. S. Justinus, in Apologia quam pro Christianis Antonino Pio Imperatori obtulit, quomodo haberentur fidelium cœtus, enarravit. Post preces et osculum sanctum: « ei, qui fratribus præest, panis affertur, et poculum

(1) Quantum hac in re laboraverit Lutherus, ipse fatetur: « Hoc diffiteri nec possum, nec volo, quod si Carlostadius, aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem et vinum esse nihil, ille magno me beneficio sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius, et in hac discutienda materia multum desudans, omnibus nervis extensis me extricare et expedire conatus sum, cum ipse perspiciebam hac re papatui in primis me valde incommodare posse. Verum ego me captum video, nulla evadendi via relicta est: textus enim Evangelii nimis apertus est et patens, qui facile convelli non potest, multo minus verbis aut glossis a capite vertiginoso confectis subverti. » Ep. ad Argentinenses.

(2) Liceat exscribere in rem nostram quæ scriptor nuperrimus Audin in vita Lutheri adnotat. « En 1527, Luther comptait déjà huit interprétations différentes de ces paroles du Christ : Hoc EST CORPUS MEUM. Trente ans après, il y en avait quatre-vingt-cinq : voici quelles étaient alors les exégèses les plus répandues : Hoc est corpus meum. Hic sive in hoc loco est corpus meum : *Bible de Genève*. — Corpus meum est hoc, nempe panis: *Suenckfield*.— Corpus meum est hoc, id est cibus spiritalis, ut Joan. 6. dicitur : Caro mea vere est cibus : *Joh. Lang*, in comm. ad Apol. 2. Justini. — Hic meus est panis : *Anabapt*. — In, cum, sub pane est corpus meum, ut pillula in ovo : *Brencius* in syntagmate contra OEcolampadium. — Circa panem est corpus meum, ut aer circumfusus : *Suenckfield*, citatus a Luthero in confessione Eucharistiæ. — Corpus meum est hoc quatenus mensæ accumbit: *Karslt*. in dialog. de Eucharistia. — Hoc significat corpus meum : *Zuinglius* in subsidio Eucharistiæ : *Beza* contra Westphalum. — Hæc est mea humana natura : *Zuinglius* in expositione rei eucharisticæ. — Hoc est mors et passio mea : *Zuinglius*, lib. ii. de instit. Cœnæ. — Hæc est commemoratio corporis mei : *OEcolampad*. ad Theobaldum Bellicanum.— Hæc est protestatio et μνήμη meorum beneficiorum: *Bucerus*, in apol. de doctrina Cœnæ dominicæ. — Hoc est corpus meum, quod do vobis animo edendum, sicut panem ore. *Petrus Martyr* in tractatu de Eucharistia. — Hoc est corpus meum panem : *Campanus*, a Luthero notatus in confessione de Eucharistia. — Hoc est mysticum corpus meum, seu ecclesia sanctorum redempta meo corpore: *Bullingerus*, in tractatu de Ecclesiæ Sacramentis : *Calvinus* in caput 5 ad Ephes. — Hæc cœna est tessera et arrhabo corporis mei : *Stancarus*. Hoc est corpus meum in divinitatem transformatum : *Suenckfield*. — Hoc est corpus meum, si fides adsit, hypothetice. *Melanchthon*. *Vie de Luther*, vol. i. ch. xxii. p. 565. Note.

(3) Horæ Syriacæ. Romæ MDCCCXXVIII. Miro pudoris exemplo, utpote apud Protestanticos scriptores perraro, Horneus post *Horas Syriacas* editas, novæ sui operis editioni subduxit quæ de linguæ syriacæ defectu, hac ex parte, tradiderat.

(4) Cit. a Wiseman.

aquæ et vini : quibus ille acceptis, laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus sancti emittit, et Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro his ab illo acceptis donis prolixe exequitur. Postquam preces et Eucharistiam absolvit, populus omnis acclamat, *Amen*. . . . . Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa, sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiæ actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.— *τὴν δὲ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθείσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.* — Apostoli enim in commentariis suis, quæ vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt : eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse : « Hoc facite in meam » commemorationem. Hoc est corpus » meum, » et poculo similiter accepto, actisque gratiis, dixisse : « Hic est sanguis meus, » ipsisque solis tradidisse.»[1] Liquet Justinum et Ecclesiam universam suo tempore sacra mysteria celebrasse, ex firma persuasione illam alimoniam qua corpus nutritur, Eucharistia facta, solemni scilicet prece, fieri incarnati Jesu carnem et sanguinem, quia Christus dixit : « Hoc est corpus meum, « « Hic est sanguis meus, » et jussit ita fieri in sui commemorationem. Intellexit igitur beata illa ætas, Apostolicæ propinqua, Christi verba obvio sensu, et veram, realem, et substantialem ejus præsentiam in Sacramento agnovit.

80. S. Irenæus, Marcionem, qui phantasticum corpus Christo adscribebat, eumque filium esse Dei a rerum conditore diversi, hunc enim non supremum Dominum habebat, repellens, ait : « Quomodo autem juste Dominus, si alterius Patris existit, hujus conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem corpus suum confitebatur, et temperamentum calicis sui sanguinem confirmavit? Et quare se filium hominis confitebatur, si non eam quæ ex homine est, generationem sustinuisset? »[2] Probat igitur Christum esse Filium Dei, rerum Creatoris, quia creatas res in Sacramento adhibuit, et panem corpus suum confitebatur, et vinum aqua temperatum suum sanguinem confirmavit. Credidit igitur Irenæus panem vere factum corpus Christi, vinum vere factum esse ejus sanguinem. Sic et sequenti libro : « Eum calicem qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem, et eum panem qui est creatura suum corpus confirmavit — *τὸν ἀπὸ κτίσεως ἄρτον ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο.* — ex quo nostra auget corpora. »[3] Augmentum hoc de resurgendi virtute videtur intelligendum : de resurrectione enim cum hæreticis Irenæum agere liquet.

81. S. Athanasius ait : « Corpus est cui dicit : « Sede a dextris meis. » Per quod corpus Pontifex et Apostolus fuit, et dictus est, dicens per illud quod nobis tradidit mysterium : « Hoc est cor» pus meum, quod pro vobis tradetur, » et sanguis novi Testamenti, » non veteris, « pro vobis effusus. » Divinitas autem neque corpus, neque sanguinem habet, sed ille quem ex Maria gestabat homo. »[4]

82. S. Cyrillus Hierosolymitanus : « Quum ergo ipse Christus pronun-

(1) Apol. i. n. 65, 66.
(2) L. iv. adv. hær. c. lvii. (3) L. v. c. ii.
(4) In majori orat. de fide cit. a Theodoreto in dialogo ii.

tiaverit et dixerit de pane : « Hoc est » corpus meum,» quis audebit deinceps ambigere ? et cum ipse adseveraverit, et dixerit : « Hic est sanguis meus, » quis unquam dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem ? »[1]

83. S. Joannes Chrysostomus ait : « Deo igitur ubique obsequamur, nec contradicamus ei, etiamsi id quod dicit, rationi et intelligentiæ nostræ contrarium videatur : sed prævaleat ejus sermo rationi et intelligentiæ nostræ. Sic etiam in mysteriis faciamus, non ea solum quæ sub sensum cadunt respicientes, sed verba ejus retinentes. Verbum quippe ejus fallere nequit, sensus vero noster facile decipitur. Verbum ejus nunquam excidit; sensus vero sæpe fallitur. Quoniam vero ille dixit : « Hoc est corpus meum, » obtemperemus, credamus, et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. »[2] Et alio loco : « Erat olim Pascha Judaicum, sed nunc solutum est, advenitque spirituale Pascha, quod tunc tradidit Christus. Illis enim manducantibus ac bibentibus, inquit, accipiens panem fregit et dixit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*. Sciunt ii, qui initiati sunt, illa quæ dicuntur. Et rursus calicem, dicens : *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Aderat Judas, hæc Christo dicente. Hoc est corpus, quod vendidisti, Juda, triginta argenteis, pro quo nuper pacta impudenter inibas cum improbis Pharisæis. O Christi benignitatem ! O Judæ dementiam et insaniam! Ille namque vendidit illum triginta denariis : Christus vero postea non recusavit *hunc ipsum sanguinem venditum* vendenti dare in remissionem peccatorum — αὐτὸ τὸ αἷμα τὸ πραθὲν δοῦναι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν τῷ πεπρακότι — si ipse voluisset. Aderat Judas, et sacræ mensæ particeps erat. »[3]

84. S. Augustinus scribens in verba quæ in I. Reg. xxi. 13. prout apud Septuaginta habentur : « ferebatur in manibus suis : » ait : « Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat ? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo ; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus; in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum, ait : « Hoc est corpus meum. » Ferebat enim illud in manibus suis. »[4] « Quia cum commendaret ipsum corpus suum et Sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles; et ipse se portabat quodammodo, cum diceret : « Hoc est corpus meum. »[5]

85. Licet has Patrum explicationes Ecclesiæ Syriacæ antiquissimis constitutionibus, quas laudat Wiseman, firmare, Arabicam citans versionem factam anno Hegiræ 386 : « Dedit illud, *scilicet corpus*, (benedicantur nomina illius) in remissionem peccatorum, nec profecto figura in eo; utique dixit, *Hoc (est) corpus meum*, et non dixit, *Hæc figura corporis mei*. »[6]

Objectiones diluuntur.

86. *Obj.* 1. « Pronuntiat Christus panem esse corpus suum : de Sacramento habetur sermo. Fateri vero necesse est, Sacramentum visibili signo constare, cui res signata conjuncta est, quæ est ejus veritas. » Ita Calvinus,[7] ex eo quod Eucharistia Sacramentum sit, eam non esse ipsum corpus et sanguinem inferens, quamvis hæc signo conjungi dicat, virtute scilicet et efficacia.

(1) Catechesi xxii.
(2) Hom. lxxxii. alias lxxxiii. in Matt.
(3) Hom. de prodit. Judæ.
(4) In Ps. xxxiii. Serm. 1. n. 10.
(5) Ib. Serm. ii. n. 2. (6) Horæ Syriacæ p. 59.
(7) In harm. Evang. p. ii. n. 197.

87. *Resp.* Species panis et vini signi visibilis habent rationem : rei veritas corpus est et sanguis Christi : quod si hæc non adesse et dari intelligat Calvinus, verbis ludit, et Christo contradicit. Sacramenti nomen, quo abutitur, pro mero signo sacro aliquando sumitur, quam significationem ne admittat, Zuinglianæ hæreseos crimen veretur : sed ab ea non satis recedere convincitur. Equidem ubicumque in Scripturis de Sacramentis, sive veteris sive novi Testamenti, instituendis agitur, verbis obviis et perspicuis eorum natura declaratur, nullaque adhibetur figura, quæ non sit manifesta ex consuetudine, vel non exponatur.[1]

88. *Obj.* 2. « Jam et hoc satis tritum esse debet, rei signatæ nomen ad signum transferri. Quare nemo in Scriptura mediocriter versatus negabit, quin sacramentalis loquutio metonymice sumenda sit. » Iterum Calvinus.

89. *Resp.* Quoties de signo constat, nil vetat ut rei signatæ nomen ad signum transferatur : in instituendo autem signo necesse est ut declaretur ejus ad rem relatio, secus haud intelligenda. Sic arcus in nubibus datus est a Deo signum benignæ quam fecit promissionis, se nunquam mundum aquis obruturum : quod nisi declarasset, non potuit intelligi. Circumcisio etiam data est in fœderis cum Abraha initi signum, et declarata est ejus significatio. De pane autem non constabat eum signum esse corporis Christi, nec id declaravit Christus ipse, sed plane dixit : « Hoc est corpus meum. » Metonymiæ nullum præbetur indicium, nec aliud sinit ut quæ in novi Testamenti Sacramentis instituendis prolata sunt, ad figuras referantur.

90. *Obj.* 3. Verba Christi necessario includunt figuram : per se enim repugnat ut panis sit ejus corpus.

91. *Resp.* Repugnat quidem ut panis sit corpus Christi, sed non ut desinat substantia panis, et Christi corporis substantia præsens fiat. Cæterum plenum periculi est divina mysteria et opera humano metiri modulo. Mirum profecto foret ipsissima verba a quatuor scriptoribus sacris referri, nullo figuræ dato indicio, quum, uti fatentur Oxonienses, illius concordiæ in tota sacra Scriptura nullum aliud sit exemplum.[2]

92. *Obj.* 4. Ea est verborum Christi satis obvia explicatio : « Quemadmodum hunc panem fractum vobis edendum exhibeo, sic corpus meum mox frangendum, affligendum et interficiendum pro vobis tradam. » Ita Rosenmüller.[3]

93. *Resp.* Nulla hujusmodi comparatio in sacro textu invenitur. Simpliciter dicit Christus illud esse corpus et sanguinem suum, ipsum corpus pro nobis immolandum, ipsum sanguinem pro peccatis expiandis fundendum. Ab ejus verbis non recedendum est, ut divina mysteria nostro accommodemus intellectui.

94. *Obj.* 5. « Formula est similis ei, qua usus est Moses Exod. xii. 2. et qua Israelitæ epulum paschale celebrantes uti debebant, v. 27. פֶּסַח הוּא לַיהוָה. »[4]

95. *Resp.* Omnino diversa est formula : voces enim Hebraicæ redduntur ad litteram : « transitus ipse Domino. » Agnus nomen habuit ab occasione qua immolabatur, Israelitis transituris ex Ægypto ; et pro more Hebræorum ita vocabatur, sicut *peccatum* Hebraice

(1) Gen. xvii. Exod. xii. Matth. ult.

(2) « We should form high conceptions of the divine promises and expressions, such, for instance, as « this is my body, » (the only expression, I believe, in the whole of Scripture, used on one single occasion, which has been recorded four distinct times in precisely the same words.) » Vol. iv. Tract. No. 80. p. iii.

(3) Rosenmüller in Matt. xxvi. 26.

(4) Ibidem.

nuncupabatur victima ad peccatum luendum oblata — הטאת הוא [1] Christus non egit de victima jam designata : panis enim haud habuit victimæ rationem, ideoque eum assumens in manum, non potuit intelligi de fine ob quem offerretur. Locus igitur *parallelus* non est.

96. *Obj.* 6. Hebræi solebant rem vocare nomine alterius rei quam significabat, quod olim notavit Augustinus : « Solet autem res quæ significat, ejus rei nomine quam significat, nuncupari, sicut scriptum est : « Se- » ptem spicæ septem anni sunt, » et multa hujusmodi. Hinc est quod dictum est : « Petra erat Christus » Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tamquam hoc esset, quod utique per substantiam hoc non erat, sed per significationem. » [2]

97. *Resp.* Ea consuetudo est omnibus gentibus communis, ubi agitur de signis, quæ natura, vel hominum conventione definita sunt : sed nulla loquendi ratio sinit ut quæ signorum rationem non noscuntur habere, pro rebus aliis usurpentur, nullo dato tantæ licentiæ indicio. Panis profecto signum non fuit Christi corporis, ideoque ejus nomine non potuit vocari, quin signi ratio enuntiaretur. In exemplis adductis sensus est obvius, et loquendi legibus consonus : nam quod ad primum attinet, Josephus a Pharaone interrogatus fuerat quid somnio portenderetur. Quum igitur responderit, septem spicas vel septem vaccas esse septem annos, necessario intelligebatur de earum significatione loqui. Alterius e Paulo allati testimonii sensus ex serie orationis patet : explicabat enim rerum gestarum majorum suorum relationem ad mysteria christiana, quos baptizatos esse in Moyse mox dixerat, scilicet figuram quamdam baptismi præsetulisse, nube obumbratos, et per mare transeuntes. Omnes dicit escæ ejusdem spiritalis fuisse participes : manducabant enim manna e cœlo delapsum ; omnes eodem potu spiritali refocillatos : bibebant quippe de aqua Moysis virga e rupe educta. Innuit autem eos de petra spiritali, quæ eos comitabatur in toto per desertum itinere, aquas hausisse, de Christo scilicet, cujus providentia, tamquam divinæ personæ, fiebat ut aquæ e petra educerentur, et cujus intuitu, tamquam Salvatoris, gratiæ subsidia tribuebantur. Petra igitur illa spiritalis consequens eos vere erat Christus, ideoque opus non est ut voci « erat » significandi vim hic tribuamus. Cæterum si cui arrideat ita eam interpretari, ut petra e qua aquæ sitientibus Israelitis fluebant, Christi typus dicta intelligatur, non repugnamus ; sed ex tota oratione erroris occasio tollebatur, quum Apostolus de figuris se agere profiteatur : « Hæc autem in figura facta sunt nostri. » — « Hæc autem omnia in figura contingebant eis. » [3]

98. *Obj.* 7. Liquet « hanc propositionem : Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus, esse tropicam et figuratam, qui modus loquendi in omnibus linguis est usitatissimus ; quo signatum prædicatur de signo, et nomen illius isti datur, e. g. Ossa dicuntur domus Israel Ezech. 37. 11. Quatuor animalia sunt quatuor regna, et decem cornua sunt decem reges. Dan. 7. 17. 23. 24. et 8. 20. 21. Sic Matth. 13. 38, 39. Ager est mundus, bonum semen sunt filii regni, inimicus est diabolus, messis est finis mundi, messores sunt angeli, etc. Et Apoc. i. 20. Septem stellæ sunt septem angeli, septem candelabra sunt septem Ecclesiæ. Et cap. 17. 9. Septem capita sunt septem mon-

(1) Levit. iv. 24. (2) L. iii. qu. sup. Levit. qu. 57. (3) I. Cor. x. 6. 11.

tes, decem cornua sunt decem reges. V. 12. Mulier, quam vidisti, est magna civitas. V. 18 etc. » Ita Calvinianus theologus, abbreviator Turrentini. His addunt alii illa Christi verba : « Ego sum vitis vera; » « Ego sum ostium. »

99. *Resp.* Signatum de signo rite prædicatur, quando signi ratio innotescit; secus insulsa foret oratio, et contra omnes leges loquendi. In visionibus quibus Prophetis Deus futura revelavit, symbolis usus est, quibus illa exhiberet, explicatione plerumque adjecta. Nullus igitur erat errori locus : nam Vati innotuit haud res ipsas, sed earum symbola ei exhiberi, quorum vim, Deo docente, didicit. Verbum substantivum in explicatione symbolorum adhibitum necessario intelligebatur veluti compendium verborum : *sunt signa, seu symbola.* Sic Ezechiel, Daniel, Joannes, quæ sibi revelata sunt facile exceperunt. At in verbis Dominicis non agitur de visione prophetica, nec de signo aliquo jam menti exhibito, sed de eo quod Christus tunc manibus tenebat, quod corpus suum esse affirmavit. Parabolarum apud Judæos usitatarum natura in rerum sub involucris descriptione posita est, ut documenta virtutis et monita suavius insinuarentur animis, ficta persona, vel similitudine mutuata. Auditores idcirco toti erant intenti ut significationem dictorum deprehenderent, rerum similitudinem, non veritatem, in narratione expectantes. Quandocumque explicatus est sensus, rogantibus discipulis, uti contigit de seminis jacti parabola, vox *est*, vel *sunt*, significationem, non rem ipsam, declarabat : quod ex orationis natura perspectum auditores habebant. Non ita in vocibus dominicis : « Hoc est corpus meum; » « hic est sanguis meus; » nec enim tunc Christus tradebat, vel explicabat parabolam. Allegoria etiam constat imaginum serie continuata, quæ proinde ex tota oratione liquet, adeo ut nemo decipiatur. Sic Christus veram vitem se dicendo, et Apostolos nuncupando palmites, Patrem vero suum agricolam, necessario intelligebatur translato sensu loqui, quem et ipse exposuit. Sed in sermone illo simplici, quo Eucharistiam instituens usus est, nullum est allegoriæ indicium. Igitur a vocum obvia ac insita vi recedere non licet; sed credendum est Christo affirmanti : *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus.*

100. *Obj.* 8. Christus plures in cœna adhibuit figuras; calicis nomine designavit quod eo continebatur, eumque novum Testamentum vocavit.

101. *Resp.* Calix pro eo quod eo continebatur, usitato prorsus sermone, sumptus est, et res verbis perspicuis a Matthæo et Marco declarata, ut nullus foret locus errori. Eum vocare licuit novum fœdus, obvio sensu, quem ipsi sacri scriptores, ejus verba varie referentes, explicuerunt, quod scilicet sanguis est fœderis, quo hoc obsignatum est, impetrata peccatoribus venia. Equidem apud omnes homines signa exteriora fœderis cum eo directe conjuncta fœdus vocari possunt, quare relatio illa nota est et obvia : sed non ea intercedit relatio manifesta inter panem et corpus Christi.

102. *Obj.* 9. Christus jussit ut in sui commemorationem celebraretur cœna : commemoratio autem fit absentis.

103. *Resp.* Utique Christus visibilem nobis subduxit præsentiam. Vult igitur ut illius in terris degentis, et cruci pro nobis fixi celebremus memoriam; quapropter mortem Domini annuntiare oportet, donec veniat, uti monet nos Paulus. Cæterum non ideo prorsus abest, sed corpus ejus et sanguis in mysterio in memoriam revocant quæ egit et passus est. Id autem animadvertendum, finem ob quem celebranda est Eucharistia eo mandato indicari, ipsam autem rei naturam aliis voci-

bus : « Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus. » Juvat verba Calvini quibus huic occurrit difficultati in medium proferre; depugnat scilicet cum Zuinglianis et Sacramentariis, qui nudum signum habent Eucharistiam : « Qualem sui memoriam voluerit Christus in cœna recoli mox audiemus. Quod autem hinc nonnulli colligunt, abesse igitur a cœna Christum, quoniam memoria nonnisi rei absentis fit, prompta est responsio, secundum hanc rationem qua cœna est recordatio, Christum ab illa abesse : neque enim adest Christus visibiliter, neque oculis cernitur. » [1] Cæterum nemo hactenus feliciter explicavit quomodo panis et vinum signa sint corporis et sanguinis Christi, aut quæ Christi mortis memoria in eorum sumptione reperiatur.

104. *Obj.* 10. Christus post verba illa prolata de vino, subjunxit : « Amen dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis : » erat igitur adhuc vinum.

105. *Resp.* Verba illa dicta sunt in cœna antequam poculum eucharisticum propinaretur, uti refert Lucas, rerum seriem accurate distinguens : post cœnam dicit institutum esse Sacramentum. Matthæus et Marcus silentio pertranseuntes calicem fuisse in cœna propinatum, ea tamen retulerunt Christi verba, quæ ad vinum, tum in cœna, tum in Sacramento, adhibitum, referri poterant : hoc enim ante consecrationem vinum commune, postea eo nomine designari potuit, notissima figura, qua res indicantur juxta externam earum speciem, præsertim habita ratione prioris earum conditionis. Sic Moysis virga in serpentem conversa virga vocatur, « aqua vinum facta » designatur apud Joannem. Nec sine causa relata sunt illa verba ; futuri enim erant qui vinum in conficienda Eucharistia omitterent, aqua tantum adhibita ; [2] quorum prædamnatus est error vocibus illis Christi, ex quibus genimen vitis in ea conficienda ab eo adhibitum esse colligitur.

106. *Obj* 11. In Turrentini jam citato compendio argumentum depromitur « ex verbis ipsis promissionis, ubi occurrit 1. *Subjectum*, pronomine demonstrativo *Hoc* expressum, quod ad panem necessario referendum, quia est pronomen demonstrativum, quod demonstrat rem præsentem ; jam vero nihil adhuc erat præsens quam substantia panis, quam acceperat, fregerat, discipulis porrigebat, etc. 2. *Prædicatum* enuntiationis est *corpus* Christi non vivum, sed mortuum, seu brevi moriturum, *datum*, i. e. morti expositum, vel certo brevi exponendum pro nobis; et sanguis, non qui sit adhuc in venis, sed ut effusus et sparsus extra corpus. 3. Copula *est*, quæ subjectum cum prædicato non potest conjungere proprie, quia disparatum de disparato non potest prædicari proprie. At constat panem, qui demonstratur per *Hoc*, et corpus Christi esse disparata, cum nec substantia panis dici possit substantia corporis Christi, nec substantia poculi substantia sanguinis Christi, sed inter se numero, definitione, essentia, et adjunctis vere differant. Quod etiam confirmatur ex eo quod corpus non hic intelligitur vivum, sed mortuum et crucifixum. Jam impossibile et contradictorium est, ut panis vel alia quævis substantia sit proprie et sine figura corpus Christi mortuum, eo tempore, quo Christus non est mortuus. Ad hæc, si panis dicitur proprie corpus Christi, sequeretur omnia Christi attributa pani proprie convenire, ut nasci,

(1) Comm. in i. ad Corinth.

(2) Fuerunt novissime inter *temperantiæ* patronos, in hac regione, qui lac pro vino in Eucharistia usurpandum contenderent.

mori, resurgere, etc. et omnia attributa panis corpori, ut seri, meti, triturari, coqui, etc.; sequeretur etiam, Christum, cum de mensa panem sumeret et frangeret, corpus suum sumpsisse et fregisse, et sanguinem fudisse antequam crucifixus esset, et nos jam corpus Christi frangere et sanguinem fundere hodie postquam Christus resurrexit, et est in statu gloriæ, ubi amplius mori non potest. »

107. *Resp.* Subtiliter quidem et ingeniose illa ratiocinatio contra divinum mysterium composita est, sed facile evertitur. Pronomen *hoc* non potest ad panem referri, quum neutrius sit generis — τουτο — *panis* vero sit masculini ὁ αρτος. Sic disserit Guido de monte Rochen, sæculi decimi quarti theologus : « Istud pronomen *hoc* nihil determinatum demonstrat : sed demonstrat aliquid indeterminatum. Unde quando dicitur, Hoc est corpus meum : est sensus, Hoc quod continetur sub istis speciebus, quicquid sit illud, est corpus meum. — Dicendum est quod ista propositio : « Hoc est corpus, » sicut et quælibet alia, donec tota proferatur, non est perfecta : nec perfectum sensum generat in animo auditoris : et ideo non est judicandum de ejus veritate, quousque sit tota prolata. » [1] Indicat igitur quod manu tenebat Christus porrigendum discipulis, ejusque sensus ex integra sententia pendebat, et suspendebatur, adeo ut obscure et generatim rem indicaret, quam explicatius verba quæ sequebantur declarabant. Præsens erat substantia panis, ad quam si placeat *hoc* referre, ratione illa minus distincta referenda necessario est, ideoque vocibus aliis adjectis, ejus sensus explicabatur et definiebatur, adeo ut illud, tunc quidem panis, esset corpus Christi, ipso dicente et faciente, mira substantiæ panis in substantiam corporis Christi conversione. *Prædicatum* enuntiationis est corpus Christi simpliciter et absolute, non prout die sequenti immolandum erat, sed prout tunc dabatur, et immolabatur in mysterio : verba enim quæ adjungunt Lucas et Paulus præsentis sunt temporis — το διδομενον — το κλωμενον — idem tamen corpus quod die postero immolandum erat in cruce. Sanguis erat ille qui adhuc in venis Christi fluebat, qui simul suæ potestatis miro opere in calice erat, sub vini speciebus, qui tunc fundebatur, — το εκχυνομενον — oblatione ejus Deo facta, et poculo propinato Apostolis ut ex eo biberent ; idem ipse sanguis, qui mox manu tortorum erat fundendus. Copula *est* subjectum cum prædicato optime conjungit, quia subjectum est quod tenebat Christus dandum Apostolis, prædicatum est corpus suum quod reapse dedit : non igitur de pane corpus prædicatur; sed de eo quod fuit panis, verbis tamen Christi et potestate in corpus converso. Sic si Christus de aquâ in nuptiis dixisset : « Hoc est vinum, » et dum loqueretur eam in vinum converteret, nemini insulse loqui videretur : ipse enim sensus communis hominum agnosceret verba illa aptissime designare mutationem quam efficerent. Inania igitur sunt quæ de attributorum cum corporis attributis permutatione mutua objiciuntur : nec enim hæc sequuntur ex ejus in corpus conversione. Nulla est contradictio Christum corpus suum fregisse in mysterio, antequam actu immolaretur : nec enim illa fractio est instar ossium confractionis, sed mystica immolatio, speciebus tantum externis panis eam subeuntibus mutationem. Sic nec repugnat ut in mysterio pariter sanguinem

(1) Manipulus curatorum, c. iv. quarti tract. 1. par.

suum fuderit, pari oblatione, quæ a fusione violenta omnino distat. Quæ adhuc fit in divinis celebrandis mysteriis immolatio ejusmodi est, quæ idcirco gloriosæ corporis Christi conditioni non repugnat : est enim, uti a Patribus consuevit designari, incruenta oblatio : vi scilicet sanguis non funditur, quamvis vere adsit, et offeratur Deo in memoriam fusionis ejus in cruce.

108. *Obj.* 12. Consuevit convivii paschalis magister, seu paterfamilias, panem porrigendo dicere : « Hic est panis afflictionis quem comedebant patres nostri in Ægypto. » Igitur Christi verba facile intelligebantur quid panis repræsentaret significare.

109. *Resp.* De consuetudine illa non constat : [1] nam in veteribus Judæorum libris in quibus paschalis convivii ritus describuntur, omnino de ea siletur, cujus primus meminit Maimonides sæculi duodecimi scriptor. [2] Cæterum verba illa initio hymni dicuntur, haud panis porrigendi occasione, et hunc habent sensum : Panis iste quo nunc vescimur ejusdem est generis ac ille quo patres nostri in Ægypto vescebantur. Recentiores Judæi consuetudines habent plurimas veteribus ignotas, quæ nil valent in Christi Domini dictis vel rebus gestis illustrandis. Profecto actio ejus panem in manus sumentis, et dicentis : « Hoc est corpus meum; » singularis prorsus est, a veterum et recentiorum Judæorum ritibus et consuetudine toto cœlo distans.

110. *Obj.* 13. Quum Christus mensæ accumberet, Apostoli non poterant verba ejus ita accipere, ut manibus ferret corpus suum, et manducaretur ab ipsis, vivus alioquin et integer.

111. *Resp.* Noverant Apostoli Christum palam pollicitum esse se carnem suam manducandam daturum : audierunt eum affirmantem illud quod manibus tenebat esse corpus suum. Id igitur humili mentis obsequio excipere debuerunt. Cæterum quum hoc fieret in mysterio, arcano quodam divinæ potestatis consilio, non oportebat id humano sensu scrutari, quomodo qui naturali conditione mensæ accumbebat, suis ipse deferretur manibus, sub velo sacramenti, et ita absque ullo sui detrimento in cibum animæ reciperetur. Divina hæc sunt opera quæ mirari et adorare oportet. Ad rem Augustinus in Psalmum trigesimum tertium scribens : « *Et ferebatur in manibus suis.* Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat ? Quis enim portatur in manibus suis ? Manibus aliorum portari potest homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus ; in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait : « hoc est corpus meum : » ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ipsa est humanitas Domini nostri Jesu Christi ; ipsa multum commendatur hominibus. » [3]

112. *Obj.* 14. Tertullianus, contra Marcionem disputans, qui Christum meram externam speciem corporis humani habuisse dicebat, et a Creatore rerum esse alienum, veritatem assumptæ naturæ, et eum esse Creatoris Filium vindicat. Hac ex occasione dicit : « Sed ille usque nunc nec aquam

(1) Ipse Calvinus ait : « Incertum est an ritus qui hodie celebris est inter Judæos, tunc etiam fuerit usitatus : nam paterfamilias fragmentum a communi pane sumptum sub mappa recondit, cujus partes familiæ distribuat. » In Harmo. Evang. p. ii. n. 197. sacræ Cœnæ institutio.

(2) Vide Lectures on the Eucharist by Wiseman. Lecture vii. (3) Enarr. in Ps. xxxiii.

reprobat Creatoris . . . . . nec panem in quo ipsum corpus suum repræsentat. » [1] Alias de ligno crucis ait: « Hoc lignum et Hieremias tibi insinuat dicturis prædicans Judæis : « Venite, mittamus lignum in panem ejus, » utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in partem prophetes figuravit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo. » [2] Et alias : « Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit » « Hoc est corpus meum, » dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. » [3] Ultimum hoc testimonium magna cum fiducia objicit Cosinus.

113. *Resp.* Tertullianus repræsentandi vocem sensu scriptoribus optimis probato adhibuit, quod scilicet Christus in pane *ipsum corpus suum* iterum exhibeat, eo utens ut *corpus ipsum* nobis det; nam in eo est vis argumenti quod Christus Creatoris opera tanti fecerit, quod creatas res in sanctissimum usum assumpserit, panem ad *ipsum corpus* in Sacramento conficiendum usurpans : quod ni voluisset, superflua esset et inanis vox ista, *ipsum*. Sic in eodem opere Pater Filium repræsentasse dicitur, exhibuisse scilicet, et agnovisse : « Itaque jam repræsentans eum : « hic est Filius meus dilectus. » [4] Et carnis resurrectionem eadem voce indicavit, dicens : « carnem in ultimo die repræsentandam esse. » [5] Cicero ipse ab hac significatione vocis non abhorruit; ait enim : « Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repræsentari morte mea libertas civitatis potest. » [6]

114. Secundo loco Tertullianus interpretatur vaticinium Hieremiæ, quod in Christo dicit impletum; illud enim : « mittamus lignum in panem ejus , » docet de ligno in corpus mittendo intelligendum, corpus autem panis nomine a propheta designari probat ex eo quod ipse panem corpus suum appellaverit. Propheta igitur in figura, panis nomine corpus designavit, quia Dominus reipsa panem suum corpus appellaturus erat, illud utique facturus corpus suum, et sic sacramentum, vaticinii scilicet arcanum, interpretaturus, et patefacturus. « Cur autem, » inquit, « panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam : « Adversus me cogitaverunt cogitatum dicentes : Venite conjiciamus lignum in panem ejus, » scilicet crucem in corpus ejus ? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. Sic et in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse nisi carnis. » [7] Pergit figuras veteres explicare, et inter cæteras vaticinium de Juda : « Lavabit, inquit, in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum : stolam et amictum carnem demonstrans, et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit. » [8]

115. In ultimo testimonio, quo adeo gloriatur Cosinus, est hyperbaton Ter-

(1) L. i. contra Marcion. c. xiv.
(2) Ibidem l. iii. c. xix.
(3) Ibidem l. iv. c. xl.
(4) Ibidem l. iv. c. xxii.
(5) L. de Resur. (6) II. Philippic.
(7) L. iv. contra Marcion. c. xl. (8) Ibidem.

tulliano admodum familiare, quo scilicet voces non referuntur ad eas quæ mox præcedunt, sed ad priores.[1] Legendum itaque foret : « hoc, id est, figura corporis mei, est corpus meum; » scilicet panis qui olim figura erat, jam fit corpus meum. Habemus alioquin præclara Tertulliani de Christi præsentia substantiali, et de orali manducatione, et tractatione etiam ab indignis, testimonia : « Caro, » inquit, « corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. »[2] Et alias de iis qui operam impendebant statuis idolorum sculpendis, et postea Sacramentum Eucharistiæ audebant recipere : « Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de adversaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, his manibus adorare quæ foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed etiam ipsæ tradunt quod aliis contaminaverunt. Adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt : isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ! »[3]

116. *Obj.* 15. Origenes ait : « Panis iste quem Deus Verbum corpus suum fatetur, verbum est nutritorium animarum. »[4]

117. *Resp.* In more positum est Origeni ad mysticas confugere interpretationes, obvio verborum sensu relicto, quem tamen hoc loco non excludit : nam corpus Domini suscipi in mysteriis aperte confitetur, uti jam ostendimus.

118. *Obj.* 16. Origenes etiam dicit : « Non enim panem illum visibilem, quem tenebat in manibus, corpus suum dicebat Deus Verbum, sed verbum, in cujus mysterio fuerat panis ille frangendus. Nec potum illum visibilem sanguinem suum dicebat, sed verbum, in cujus mysterio potus ille fuerat effundendus. Nam corpus Dei Verbi, aut sanguis, quid aliud esse potest, nisi verbum quod nutrit, et verbum quod lætificat cor? »[5]

119. *Resp.* Liquet Origenem, pro more, mysticum exquirere sensum, qui tamen a protestantica interpretatione, de symbolis et signis, et de perceptione fide, longe distat. Cæterum nec obvium sensum exclusit ipse, quum scribat : « Bibere dicimur sanguinem Christi, non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones ejus recipimus, in quibus vita consistit. »[6]

120. *Obj.* 17. Augustinus ait : « Non dubitavit Dominus dicere : « Hoc est » corpus meum, » cum signum daret corporis sui. »[7] Et alio loco dicit : « Christus adhibuit Judam ad convivium in quo corporis sui figuram discipulis commendavit. »[8]

121. *Resp.* Signum priori loco usurpatum videtur ad mentem Manichæorum cum quibus disputabat; sed ne obscuris eorum erroribus lectores detineamus, fatemur panem eucharisticum signum et figuram quodammodo dici posse, ob species externas, quibus velatur corpus Domini : nec enim manifesto nobis traditur. Plurimæ voces, per se innoxiæ, jam plenæ periculi

(1) Sic : « Dicendo Christus mortuus est, id est unctus. » L. contra Praxeam c. xxiv. Ordo est : « Christus, id est, unctus, mortuus est. Sic etiam l. 10. contra Marcionem : « Aperiam in parabolis os meum : id est, in similitudinem. »

(2) Lib. de resur. car.

(3) Lib. de idololatria.

(4) In c. xxvi. Matth.

(5) Comment. series in Matth. n. 85.

(6) Hom. xvi. in Num.

(7) L. contra Adimantum c. xii.

(8) Comm. in Psal. iii.

sunt ob hæreticorum abusum. Cæterum quid de re Eucharistiæ censuerit Augustinus, omnino liquet ex plurimis ejus testimoniis. De Judæis ad fidem conversis, et Eucharistia refectis ait : « Ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt.»[1] « Ad mensam Domini accesserunt, et sanguinem, quem sævientes fuderunt, credentes biberunt. »[2] De fidelibus loquens : « Nos de cruce Domini pascimur, qui corpus ejus manducamus. »[3] Ad consuetudinem respondendi « Amen » sacerdoti dicenti, « sanguis Christi, » dum sacrum propinaret calicem, spectans, dicit : « Videte : in toto terrarum orbe pretium nostrum accipitur, et « Amen » respondetur. »[4]

CAPUT V.

DE USU EUCHARISTIÆ.

Placuit Deo plurima præclaraque testimonia in Scripturis de mysterio eucharistico nobis præstare, ut incredulis omnis excusatio tolleretur : præter enim promissionem verbis adeo perspicuis factam, et institutionem a quatuor sacris scriptoribus relatam, habemus illustria Apostoli documenta, quæ usum Sacramenti respiciunt. Illa jam nobis perpendenda sunt.

Propositio.

Vera, realis, et substantialis præsentia corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia invicte probatur iis Scripturæ testimoniis quæ usum hujus Sacramenti respiciunt.

122. *Probatur* 1. *ex verbis Apostoli.* Apostolus ad Corinthios scribens, ut eos ab omni idololatrici cultus consortio avertat, argumento utitur ab Eucharistiæ natura desumpto : « Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura : ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? »[5] — τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; τὸν ἄρτον, ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστιν; — Illud igitur gravissimum argumentum est quod cum idolis nullam partem habere oporteat, quia Christi sumus consortes, participes facti corporis et sanguinis ejus, eucharistico accepto pane, et poculo degustato. Illa panis eucharistici fractio communicatio est corporis Christi, quia scilicet ipsum corpus est : ille calix communicatio sanguinis Christi est, quia eo continetur ipse sanguis.

123. Altero capite Paulus arguit Corinthiorum delicta in Eucharistia celebranda, et revocat in memoriam institutionem sibi revelatam divinitus; ex qua hæc infert : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis et sanguinis Domini. — ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Κυρίου. Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini. »[6] Reus igitur corporis et sanguinis Domini est qui indigne sumit panem eucharisticum, vel bibit calicem Domini : quod gravissimum crimen non admitteretur, nisi corpus et sanguis adessent : signa enim et symbola, licet indigne tractata, vix crimen violati corporis et sanguinis,

(1) In Ps. lxv. n. 5.
(2) Serm. lxvii. de verbis Evang.
(3) In Ps. c. n. 9. (4) In Ps. cxxv.
(5) I. Cor. x. 14. (6) I. Cor. xi. 27.

nisi exaggerata quadam locutione, secum ferre dicerentur. Magna idcirco propriæ conscientiæ indago singulis ad tantum Sacramentum accessuris injungitur, eo quod indigne sumens, judicium, damnationem scilicet, — κρίμα — sibi adsciscat et promereatur, quia non discernit, nec pro rei summa dignitate æstimat, et tractat corpus Domini, μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ Κύριου.

124. *Probatur 2. ex Patrum interpretatione.* S. Irenæus, ut Valentinianos refelleret, qui corpus cœleste Christo tribuebant, humanum et naturale denegabant, gravissimum deducit argumentum ex sanguine quo potamur in Eucharistia; quod omni careret vi, si vere sanguis poculo non contineretur. Eorum absurdum errorem ostendit: « Sic autem secundum hæc videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix Eucharistiæ communicatio sanguinis ejus, neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus est. Sanguis enim non est, nisi a venis et carnibus, et a reliqua quæ est secundum hominem substantia, qua vere factum Verbum Dei sanguine suo redemit nos. »[1]

125. S. Cyprianus ait: « Idem contumacibus et pervicacibus comminatur et denunciat, dicens: « Quicumque ede- » rit panem, aut biberit calicem Domini » indigne, reus erit corporis et sanguinis » Domini. » Spretis his omnibus atque contemptis, *vis infertur corpori ejus et sanguini:* et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. »[2]

126. S. Pacianus: « Bene tu, peccator, intellige: spectaris a Domino; potes illum placare, si velis: sed antiquum sit istud, quod ad mensam Dei accedere non licuit immundis: « Quicumque » manducaverit indigne, reus erit cor- » poris et sanguinis Domini. » Humanæ animæ reus non potest absolvi; *Domini corporis violator evadit!* « Qui mandu- » cat et bibit indigne, judicium sibi » manducat et bibit. » Evigila, peccator: time in visceribus tuis præsens judicium, si quid tale fecisti. . . . . Intellige quantum sceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissolvitur. »[3]

127. S. Ephrem Syrus: « Ad divina frequentanda mysteria studiose concurrite . . . et state cum multo timore ac tremore; cum nemine quidem tunc congradientes, sed sicut angeli, qui in cœlis sunt, servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore; lachrymantes, suspirantes, supplicantes, invocantes ex toto corde, et rogantes ne quis divinorum mysteriorum susceptione reperiatur indignus; sed, quemadmodum ait Apostolus, « probet » unusquisque seipsum, » ne sibi ipsi in judicium fiat, et augmentum peccati: « qui enim manducaverit, et biberit » indigne, judicium sibi manducat et » bibit. » . . . . Angeli mundi cum tremore ministrant, faciemque obtegentes, non audent respicere; et tu immundus cum sis, et impœnitens, ac impudens, non contremiscis? Hominibus quidem te rite sumere Eucharistiam fidem facis, sed cordium scrutatori quid dices? »[4]

128. S. Basilius, pœnis in veteris Legis violatores recensitis, prosequitur: « Si tales minæ adversus eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur; quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid is est templo, secundum Domini vocem, tanto gravius et terribilius est, in animæ impuritate

(1) L. v. adv. hær. c. ii.
(2) L. de Lapsis. (3) Parænesi ad pœnit.
(4) Tract. de festis diebus, et de dignitate mysteriorum.

constitutum, *corpus Christi temere contingere*, — τολμησαι αψασθαι του σωματος του Χριστου — quam sit accedere ad arietes vel tauros, dicente Apostolo « etenim » qui edit panem, aut bibit poculum » Domini indigne, reus erit corporis » et sanguinis Domini. » Imo vehementius ac terribilius judicium per repetitionem exprimente, cum dicit : « Probet autem quisque seipsum, et » sic de pane hoc edat, et de poculo » bibat : quicumque manducat et bibit » indigne, judicium sibi manducat et » bibit; non dijudicans corpus Do- » mini. » [1]

129. S. Hieronymus pulchre exponit quæ sit in Sacramentorum susceptione fidelium æqualitas : « Nos *Christi corpus æqualiter accipimus* : una est in mysteriis sanctificatio domini et servi, nobilis et ignobilis, regis et militis; quamquam pro excipientium meritis diversum fiat quod unum est. « Qui » enim indigne manducaverit et bibe- » rit, reus erit corporis et sanguinis » Christi. » [2]

130. S. Augustinus fideles graviter monet : « Qui manducant carnem Domini, et bibunt sanguinem ejus, cogitent quid manducent et bibant, ne, sicut Apostolus dicit, judicium sibi manducent et bibant. » [3] Alio loco dicit Augustinus : « Indigne sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia ipse ad salutem non accipit, nihil acceperit : *corpus enim Domini, et sanguis Domini nihilominus est*, etiam illis quibus dicebat Apostolus : « Qui manducat et bibit » indigne, etc. » [4] Alias : « A malis boni se corde interim et moribus separant, *simul manducantes et bibentes corpus et sanguinem Domini ;* sed cum magna distinctione . . ac per hoc quamvis in uno eodemque convivio, ii misericordiam manducant, illi judicium. » [5] Alibi : « Quid de ipso corpore et sanguine Domini, unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Deus dicat : « Nisi quis manducaverit carnem » meam, et biberit sanguinem meum, » non habebit in se vitam? » Nonne idem Apostolus docet, etiam perniciosum male utentibus fieri? ait enim : « Quicumque manducaverit panem » vel biberit calicem Domini indigne, » reus erit corporis et sanguinis Do- » mini. » [6]

131. S. Petrus Chrysologus : « O ! quam docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstravit ! Audiant Christiani *qui quotidie corpus Christi attingunt*, quantam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. Sed quod nobis flendum est, mulier de fimbria vulneri medicinam tulit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. Hinc est quod *tangentes indigne corpus Christi* taliter admonet et deplorat, « qui enim tangit indigne corpus Chri- » sti, judicium sibi sumit. » [7]

132. Theodoretus ait : « Illud autem : « reus erit corporis et sanguinis, » hoc significat, quod quemadmodum tradidit quidem illum Judas, ipsi autem insultarunt Judæi, ita eum ignominia et dedecore afficiunt qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, et in pollutum os immittunt. . . . . Conscientiam præpurgantes, ita simus divinorum Sacramentorum participes, ut horum Dominum in nobis habitantem recipiamus. » [8]

(1) L. ii de Bapt. c. iii.
(2) L. ii. contra Jovinian.
(3) Tract. de verbis Domini Serm. xlvi.
(4) L. v. de Bapt. contra Donat., c. viii.
(5) Contra Donat. post collat. c. xx. n. 27.
(6) L. i. contra Cresconium Donat. c. v.
(7) Serm. xxxiv. n. 8. et 9.
(8) Commem. in ep. 1. ad Cor c. xi.

133 Hæc Patrum insignium testimonia, quibus plurima alia adjicere liceret, probant manifesto Apostoli verba ab initio per sæcula in quibus maxime enituit fidei splendor, hunc omnibus præsetulisse sensum; et Eucharistiam in Ecclesia frequentatam fuisse ex firma animi persuasione verum corpus et sanguinem Christi adesse, et suscipi ore fidelium, etiam ab indignis, sed ad suam perditionem, quum digne suscipientibus forent instrumenta sanctitatis et salutis pignora. Qui his contradicunt, et Scripturas perperam ab exordio Ecclesiæ intellectas, et Sacramenti præcipui naturam et usum penitus depravatum, asserant necesse est; quo pacto se a bonorum omnium consortio separant.

Objectiones diluuntur.

134. *Obj.* 1. Paulus loquitur « de spirituali Christi et fidelium unione : ut inde inferat sacrilegium esse non ferendum, ipsos idolorum communione pollui. Ex circumstantia ergo loci judicare licet, κοινωνίαν sanguinis esse societatem, quæ nobis est cum Christi sanguine, dum simul nos in corpus suum inserit, ut vivat in nobis et nos in ipso. » Ita Calvinus in locum.

135. *Resp.* Agit quidem Paulus de Christi et fidelium unione, sed de ea quæ fit sanguinis sui in mysteriis potatione; unde merito infert sacrilegium esse immane idolorum communione pollui. Frustra conatur Calvinus hæc de mera societate qua in corpus Christi mysticum inserimur, vel de efficacia et virtute sanguinis, quam sacramentum digne percipientes experiuntur, explicare : nam verba intimum sanguinis consortium denotant, et Apostoli, contra eos qui idolorum cultus aliquatenus fiunt participes, oratio inde maximam derivat vim. Frustra conatur, figurata interpretatione semel data, rem ipsam adesse probare : nam tollit præsentiæ hujus fundamentum, et Zuinglianis assentiatur necesse est, qui mera symbola ea esse clamitant. Hæc igitur quæ post objecta verba adjicit, ipsius auctoritate tantum nituntur, haud facile plena fide excipienda post obviam verborum Pauli interpretationem rejectam : « Jam vero, » inquit ille Sacramentariorum objectioni ut eat obviam, « quod vocatur calix *communicatio*, figuratam loquutionem esse fateor; modo non tollatur figuræ veritas, hoc est, modo res quoque ipsa assit, nec minus sanguinis communionem animo percipiat, quam ore vinum bibimus. »[1]

136. *Obj.* 2. Calicem Domini cum calice dæmoniorum Paulus confert : « non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum : »[2] attamen nemo dixerit dæmonum sanguinem calice, qui eorum dicitur, contineri.

137. *Resp.* Explicat Paulus cur calix Domini dicatur, quia scilicet de eo dixit Christus : « Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine; » et quia revera « communicatio sanguinis Christi est. » Necesse non est ut eadem sit ratio calicem utrumque designandi, sed quum calix alter vel sanguinem victimarum dæmoniis oblatarum contineret, vel vinum iis libandum, monuit fideles Apostolus iis non licere de calice Dominico bibere, si ulla ratione sese idololatrici cultus participes facerent.

138. *Obj.* 3. Illius ex decimo capite adducti testimonii « sensus est : Nonne bibitione ejus vini consecrati, quod haurimus e poculo, participes reddimur sanguinis Christi? i. e. profitemur

(1) Comm. in locum. Vide etiam opus sæpius laudatum : « La perpétuité de la Foi, » Vol. i. l. i. ch. viii. (2) I. Cor. x. 20

ad alios, nos religione esse Christianos, vel : declaramus, nos esse cultores Christi, qui pro nobis mortuus est. »[1] Ita Rosenmüller.

139. *Resp.* Nemo non videt interpretem frustra fatigari in testimonio clarissimo obscurando, cujus vis ea plane est, ut ipsius poculi degustatione, sanguinis Christi, qui eo continetur, participes simus; quod fere dicit ipse invitus : « Κοινωνία per metonymiam hoc loco est id per quod fit ipsa communio, ut sit sensus : *omnes bibentes ex hoc sacro poculo sunt* κοινωνοὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. » Inverecunde profecto veterum auctoritatem pro novitia sua interpretatione jactat; quod enim laudat Theodoreti testimonium, reddendum est : « Sacris fruentes mysteriis, nonne ipsi Domino communicamus, cujus et corpus esse et sanguinem dicimus ? » — Τῶν ἱερῶν ἀπολαύοντες μυστηρίων, οὐχ αὐτῷ κοινωνοῦμεν τῷ Δεσπότῃ, οὗ καὶ τὸ σῶμα εἶναι καὶ τὸ αἷμα φαμὲν ;

140. *Obj.* 4. Quæ sequuntur verba in testimonio illo Pauli hunc ferunt sensum : « *Nonne* (esu panis sacri) *declaramus nos esse membra corporis Christi*, i. e. societatis christianæ ? » Ita Rosenmüller.

141. *Resp.* Eane est interpretandi regula quam recta dictat ratio, ut corporis et sanguinis Christi, eodem spiritu, facta mentione, sanguis, prout sonat, accipiatur, corpus de societate christiana sit intelligendum ? Ignoscatur nobis in sacro textu sensum sibi constantem, et arcto nexu conjunctam sententiarum seriem, quando ita proferuntur, quærentibus.

142. *Obj.* 5. Versiculi vigesimi quinti capitis undecimi, de fœdere in sanguine Christi, et de eo bibendo in ejus memoriam, « sensus est : *Bibere ex hoc calice est ingredi novum fœdus*, associare se novæ religioni, quam sancio meo sanguine, morte cruenta. Dum vos bibitis ex hoc calice, reddo vos participes fœderis novi, et antiquo fœdere solvo. »[2] Rosenmüller.

143. *Resp.* In sanguine suo Christus dixit fœdus novum constitui, ipsumque esse quem Apostolis propinavit. Bibere ex eo jussit, ut illius fœderis, et sanguinis effusi nunquam interiret memoria, et participes ejusdem fierent bibentes, peccatorum venia, et gratiæ muneribus donati. Cæterum non hunc instituit ritum, quo quis sese ejus religioni associaret : baptismo enim initiari jussit credentes, quos deinceps mysteriorum perceptione plurimis ditandos donis voluit. Profecto nihil in Christi verbis, prout a Paulo referuntur, habetur, quo ad initiationis ritum reducatur Eucharistia, tanta cum vi corpus et sanguis Christi designata.

144. *Obj.* 6. Dicendo percipientes Eucharistiam mortem Domini annuntiaturos, Paulus id tantum voluit : « Ipsi hujus cœnæ sacræ celebratione publice profitemini, Christum pro vobis esse mortuum. »[3]

145. *Resp.* Utique id profitemur, quia corpus pro nobis immolatum in mysterio sumimus, sanguine, quo redempti sumus, potamur. Secus non videtur ratio cur panis esus et vini potatio Christi mortem exhiberent. Si in vino imaginem quamdam sanguinis effusi videre placeat, quæ corporis immolati imago in pane est ? Ridendum se præbuit Wetstenius dicendo : « Cadaver exangue, quale est hominis in cruce mortui, tam siccum esse quam panis »[4]

146. *Obj.* 7. Reus corporis et sanguinis Christi indigne sumens Eucharistiam dicitur : « pœnas dabit tanti

(1) In locum.
(2) Ibidem.
(3) Rosenmüller in locum.
(4) Comm. in Matt. xxvi. 28. p. 519.

facinoris, quod ipsum Christum quasi ignominia affecerit. » [1] Ita Rosenmüller.

147. *Resp.* Sed quare panis et vini eucharistici indigna perceptio tantam Christo irroget injuriam, Rosenmüller haud studuit explicare. Ratio est manifesta, ex natura rei desumpta, quia scilicet corpus et sanguis Christi indigne sumuntur.

148. *Obj.* 8. Ideo indigne sumens Eucharistiam arguitur, quasi non discernens corpus Christi, « quia non satis æstimat corpus Christi... Summæ est levitatis ac temeritatis, eo ipso tempore, quo laudibus et gratiarum actione memoria mortis Christi celebrari debet, crapulæ dare operam, et alios contemnere. » [2]

149. *Resp.* Optima ratio quam veluti invitus tradit Rationalista, quod scilicet indigne sumens non satis æstimat corpus Christi; sed frustra hoc ad meram memoriam mortis Christi studet revocare. Obvius est sensus eum non satis æstimare corpus Christi, quod accipit; secus non auderet indignus ad illud accedere.

CAPUT VI.

PATRUM TESTIMONIA.

150. Id jam alte prædicant Oxonienses in gravissima quaque fidei controversia, et ea imprimis quæ circa Eucharistiam versatur, antiquam Ecclesiæ fidem regulam esse tutissimam, juxta quam de Scripturarum sensu judicare liceat. Ex iis quæ laudavimus testimoniis res satis constat; Patres quippe ita interpretati sunt Scripturas, ut veram, realem, et substantialem Christi præsentiam in Eucharistia iis tradi agnoscerent, quæ fides totius Ecclesiæ fuit, uti ex loquendi ratione, quam servant, colligitur. Cæterum in re tanti momenti non piget immorari, et testium nubem exhibere : apud omnes enim veros rerum æstimatores pondus habeat necesse est omnium sæculorum a Christo fides.

151. I. Sæculo. Ignatius Martyr qui circa annum nonagesimum a Christo nato floruit, et Antiochenam rexit Ecclesiam, de Menandrianis et Simonianis, qui veram carnem a Christo assumptam esse negabant, agens, notat eos idcirco ab Eucharistia sese abstinere : « Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est — *τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν* — Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. » [3] Ergo Eucharistia agnoscebatur a fidelibus caro Jesu Christi, eadem quæ pro nobis est passa.

152. II. Sæculo. Justinus Martyr secundo sæculo medio floruit. Insigne ejus testimonium hac de re jam retulimus, juvat tamen præcipua verba iterum recitare. « Illam in qua per precem ipsius (*Christi*) verba continentem gratiæ actæ sunt, alimoniam ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. » [4] Panis igitur consecratus caro et sanguis Christi ex doctrina fidei habebatur.

153. S. Irenæus Valentinianos, qui Christum esse Creatoris Filium negabant, et corporum resurrectionem, sic refellit : « Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, *corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus*, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus, per quod lignum

(1) In locum. (2) Idem in locum. (3) Ad Smyrnenses. (4) Apol. i. n. 66.

fructificat, et defluunt fontes, et (terra) dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, *quæ a corpore Domini et sanguine alitur?* Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem prædicantes carnis et Spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti : sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi ejus, et sanctificantes creaturam. » [1] Jam vero illa perpendantur verba, habita præ oculis hæresi quam refellebat Irenæus; et fides quæ tunc fovebatur de Christi vera, reali, et substantiali præsentia in Eucharistia patebit. Negabant Valentiniani Christum, quem Dominum suum agnoscebant, esse Demiurgi, mundi scilicet creatoris, filium; Demiurgum enim inferiorem putabant Æonem, Christum Summi Dei Filium. Eucharistiam nihilominus corpus et sanguinem ejus esse profitebantur æque ac Christiani. Interrogat eos Irenæus quomodo hæc sibi cohæreant, quum Christus pane vinoque in Eucharistia conficienda usus sit, rebus a Creatore profectis, ostendit scilicet se ab eo non esse alienum. Igitur aut id faterentur oportebat; aut desinerent panem eucharisticum « corpus esse Domini et calicem sanguinis ejus » profiteri. Quamvis autem argumentari inde licuisset, si in symbola et signa a Christo adhibita fuissent, nec deerant voces quibus sic designari potuissent, simpliciter dicit *corpus esse et calicem sanguinis ejus*, quæ rei veritatem omnino declarant.

154. Resurrectio corporum humanorum etiam negabatur a Valentini sectatoribus, qui tamen non dissentiebant a Catholicis de re Eucharistiæ: carnem enim nostram a corpore Domini et sanguine ali confitebantur. Eos sibi plane non constare contendit Irenæus : nec enim conveniebat carnem corpore Domini veluti saginatam, et sanctificatam, penitus interire. Igitur vel oportebat ab offerendo Sacrificio eucharistico abstinere, qua ratione Malachiæ vaticinium haud implere convincerentur, vel sententiam resurrectioni corporum adversam deserere. Catholica sententia, quam propugnabat Irenæus, omnino sibi conveniens erat : nam fides de resurrectione corporum congruebat dogmati de receptione corporis et sanguinis Domini in Sacramento; et hoc vicissim eam confirmabat, et spem fiduciamque magnam fovebat: pignus enim est illustre carnis aliquando resuscitandæ. Offerebant Catholici Deo res illas creatas, panem et vinum, eum agnoscentes conditorem, et datorem; et invocato Deo ut oblatis benediceret, divinam inibant communicationem et unitatem, corporis et sanguinis Domini facti participes, ita ut caro pignus haberet resurrectionis, spiritus augeretur virtute. Quemadmodum enim panis post Dei invocationem qua sacratur, jam non est qualis fuit, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, scilicet terrena, cujus retinet speciem, cœlestis quam velat, ita et corpora nostra Eucharistia refecta cœleste resurrectionis semen habent. Offerimus autem Deo dona ipsius, quæ et sanctifi-

(1) L. iv. adv. hær. c xviii. alias xxxiv.

cantur ejus benedictione, et sanctitatem nobis impertiuntur, facta corpus et sanguis Christi Domini.

155. Argumentum idem ad probandam corporum resurrectionem alias versat : « Quando ergo et mixtus calix et fractus panis percipit Verbum Dei, et fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia; quomodo autem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, *quæ sanguine et corpore Christi nutritur*, et membrum ejus ? »[1] Inferius dicit : « Quemadmodum lignum vitis, depositum in terra, suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram et dissolutum multiplex surgit, per Spiritum Dei qui continet omnia quæ deinde per sapientiam in visum hominibus veniunt, et percipientia Verbum Dei, Eucharistia fiant, *quod est corpus et sanguis Christi* : sic et nostra corpora ex ea nutrita et reposita in terram, et resoluta in ea resurgent suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris. »

156. III. Sæculo. Tertullianus sub finem secundi, et initium tertii sæculi vixit. Plura ejus testimonia hac de re jam retulimus, quibus unum addere juvat. De iis agens qui stationes peracturi, scilicet publica pœnitentiæ exercitia, religioni ducebant Eucharistiam prius accipere, ne læta tristibus admiscerentur, consulit ut eam quidem recipiant manu, ut sacrificii fiant participes, sed, prout illorum temporum disciplina permittebat, reservent post stationes ore percipiendam : « Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. »[2] De peccatore ad munus suum redeunte, instar filii prodigi, dicit : « exinde *opimitate Domini corporis vescitur*, Eucharistia scilicet. »[3]

157. S. Cyprianus queritur de iis qui in idololatriam lapsi, deinceps ad Eucharistiam audebant accedere, ante expiatum crimen congrua pœnitentia : « A diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus et contagia funesta redolentibus, *Domini corpus invadunt* . . . ante expiata delicta . . . ante purgatam conscientiam sacrificio et manu Sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, *vis infertur corpori ejus et sanguini*, et plus modo in Dominum manibus et ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. »[4] Manibus et ore delinquere eos dicit, quia juxta veterum disciplinam Sacramentum manibus fidelium excipiebatur, priusquam ori admoveretur.

158. Lapsis, sed criminis pœnitentiam agentibus, Eucharistiam haud denegandam, si nova urgeret persecutio, et martyrii idcirco periculum, tradit : « Quomodo enim docemus, aut provocamus eos in confessione nominis Christi sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus ? »[5] Tibaritanos in discrimine constitutos monuit : « Fide robusta se debent milites Christi parare; considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere. »[6]

159. De lætitia quam Eucharistia parere solet dicit : « Quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur, et tristitia omnis exponitur :

(1) L. v. adv. hær, c. ii.
(2) Lib. de Oratione c. xiv.
(3) De Pudicitia c. ix.
(4) De Lapsis.
(5) Ep. liv. ad Cornelium.
(6) Ep. lvi. ad Tibaritanos.

ita, *epoto sanguine Domini*, et poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, et mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia solvatur. . . . Ebrietas enim dominici calicis et sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini sæcularis. » [1] De iis quos malus impediebat pudor ne ad Eucharistiam accederent, dicit : « Quomodo possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere ? » [2]

160. IV. Sæculo. Gregorius Nazianzenus his verbis hortatur ad Eucharistiam recipiendam : « Sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe si modo vitæ desiderio teneris ; nec sermonibus de carne fidem abrogans, nec ad eos qui de passione habentur, impingens. » — ἀλλ' ἀνεπαισχύντως καὶ ἀνενδοιάστως, φάγε τὸ σῶμα, πίε τὸ αἷμα, εἰ τῆς ζωῆς ἐπιθυμητικως ἔχεις, μήτε τοῖς περὶ σαρκὸς ἀπιστῶν λόγοις, μήτε τοῖς περὶ τὸ πάθος βλαπτόμενος. [3]

161. S. Ephrem Syrus ait : « Quid ergo inscrutabilia scrutaris, ac impervestigabilia vestigas ? Si enim ista curiose rimaris, non jam fidelis nuncupaberis, sed curiosus. Esto itaque fidelis atque innocens : participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus, quod agnum ipsum integre comedas. Ignis immortalis sunt mysteria Christi ; cave ne ea temere scruteris, ne in ipsorum participatione comburaris. » [4]

162. S. Maruthas, Tangritensis Episcopus, qui sub finem sæculi hujus floruit, et Syriaco scripsit sermone, insignis est testis vetustæ fidei. Verba ejus eo idiomate citantur a Wiseman, et sic redduntur : « Præterea etiam privati fuissent communione corporis et sanguinis fideles posteriores ; (*nisi hoc sacramentum instituisset*) sed nunc, quotiescumque ad corpus et sanguinem accedimus, et super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti, et nos carnis ejus et ossium ejus (participes fieri), juxta id quod scriptum est. Enimvero Christus illud non appellavit *Typum* aut *Figuram*, sed *(dixit) :* Verè *Hoc est corpus meum*, et *Hic est sanguis meus.* » [5]

163. S. Ambrosius : « Forte dicas : Aliud video : quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam ? Et hoc nobis superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur ? Virgam tenebat Moyses : projecit eam, et facta est serpens. » . . . . . Plurima deinde recenset Moysis et Prophetarum miracula. « Quod si tantum valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur ? Nam Sacramentum istud quod accipitis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum ? De totius mundi operibus legisti : « Quia ipse » dixit, et facta sunt, ipse mandavit et » creata sunt. » Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant ? Non enim minus est novas rebus dare quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur ? Suis

(1) Ep. lxiii. ad Cœcilium. Alias l. ii. ep. iii.
(2) Ibidem.
(3) Orat. xlv. § 19.
(4) De natura Dei non scrutanda.
(5) Comment. ad Evang. apud Wiseman in opere Horæ Syriacæ p. 60.

utamur exemplis, Incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem. Numquid naturæ usus præcessit, cum Jesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consuevit. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem Virgo generavit; *et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est.* Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? Vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est : vere ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus : « *Hoc est corpus meum.* » Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur : post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur : post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, *Amen :* Hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur : quod sermo sonat, affectus sentiat. » [1] Quod dixit S. Doctor : « Corpus Christi significatur » refertur ad species externas, sub quibus vere adesse corpus ipsum ex toto ratiocinio liquet.

164. S. Hieronymus : « Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt. » [2]

165. S. Joannes Chrysostomus : « O miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac seipsum tradit omnibus volentibus ipsum recipere et complecti. » [3] Et : « Hæc mensa vicem explet præsepis. Nam et hic ponitur corpus dominicum, non quidem fasciis involutum, sed undique Spiritu sancto vestitum. » [4]

166. S. Gaudentius Brixiensis : « Ipse igitur naturarum Creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit corpus; et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum. » [5]

167. V. Sæculo. S. Augustinus infantes alloquens, scilicet recens baptizatos, dicit : « Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis : panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, *corpus est Christi.* Calix ille, immo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, *sanguis est Christi.* » [6]

168. S. Cyrillus Alexandrinus de mystica cœna agens : « Adest magnificentiæ auctor, divina dona sunt proposita, mystica mensa præparata est. Dei ac Patris illa subsistens sapientia corpus suum ut panem distribuit, et vivificum suum sanguinem tamquam vinum propinat. O tremendum mysterium! O divini consilii rationem ineffabilem! O demissionem quæ cogitatione capi non potest! O bonitatem non vestigabilem! Opifex operi sese fruendum proponit : ipsamet vita mortalibus se edendam bibendamque largitur! ..... Accipiamus corpus ipsiusmet vitæ;.... bibamus ejus sanctum sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum, et participationem ejus, quæ in ipso est, immortalitatis; credentes simul ipsum manere Sacerdotem, et hostiam, ipsum qui offert, et oblatus est, qui accipit, et traditur. » [7] Et : « Quocirca nos corpus et membra Christi appellamur, ut qui per Eulogiam ipsum in nobis suscipiamus Filium. Quemadmodum si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera videbit; eodem quoque opinor modo, qui recipit

(1) L. de his qui mysteriis initiantur c. ix.
(2) Ep. i. ad Heliodorum.
(3) L. iii. de Sacerdotio.
(4) Hom. in B. Philogon. n. 3
(5) Sermone ii.
(6) Hom. lxxxiii. de diversis, alias ccxxvii.; sive serm. iv. in die Paschatis ad infantes habito.
(7) Hom. in mysticam cœnam.

carnem Salvatoris, et bibit pretiosum ejus sanguinem, sicut ipse ait, unum quoddam cum eo reperitur commixtus quodam modo et immixtus ei per participationem, et vicissim Christus in ipso. » [1]

169. S. Petrus Chrysologus : « Tetigit vestimentum Christi mulier, et sanata est, et ab antiquo est absoluta languore. Miseri! qui quotidie corpus Christi tractamus et sumimus, et a nostris vulneribus non curamur. » [2]

170. VI. Sæculo. S. Cæsarius Arelatensis : « Sacrum Dei tui corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto : quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis. . . . . Nec dubitet quisquam . . . . . creaturas, nutu potentiæ, in Dominici corporis posse transire naturam; quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, substantia illis est panis et vini; post verba autem Christi, corpus et sanguis est Christi : quid autem mirum, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata convertere ? » [3]

171. S. Gregorius Turonensis : « Deflemus enim scelera nostra . . . . cum nos mundos esse nescimus, et ad ipsum altare Domini accedentes, audenter sanctum corpus ejus et sanguinem, cum simus actu polluti, potius ad judicium, quam ut veniam consequamur, sumimus. » [4]

172. S. Gregorius M. : « Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret. » [5] Et : « Quid enim prodest corpus et sanguinem illius ore percipere, et ei perversis moribus contraire ? » [6]

173. VII. Sæculo. S. Isidorus Hispalensis : « Non communicaverunt jejuni Apostoli, quia necesse erat, ut Pascha illud typicum antea impleretur, et sic denuo ad verum Paschæ Sacramentum transirent. Hoc enim mysterium tunc factum est, quod primum discipuli corpus et sanguinem Domini nostri non acceperunt jejuni. Ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur. » [7]

174. VIII. Sæculo. S. Joannes Damascenus : « Nec vero panis et vinum Christi corporis et sanguinis figura sunt; absit, sed ipsum Domini corpus deitate donatum : cum ipse Dominus dixerit : Hoc est, non figura corporis mei, sed corpus meum : neque figura sanguinis, sed sanguis meus. Et antea Judæis dixerat : « Caro mea vere est » cibus, et sanguis meus vere est po» tus : et qui manducat me, vivet. » [8]

175. IX. Sæculo. S. Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha : « Nos enim Catholici neque imaginem, neque figuram corporis illius hæc dicimus, licet symbolice conficiantur; sed ipsum Christi corpus deificatum; illius enim dicentis vox est : « Nisi manducave» ritis carnem Filii hominis, et bibe» ritis ejus sanguinem, » etc.; hoc enim Apostolis exhibebat : Manducate, hoc est corpus meum, dicens, non imaginem corporis mei. » [9]

176. Paschasius Radbertus Abbas Corbeiensis *de Sacramento corporis et sanguinis Christi* agens : « Nullus moveatur de hoc corpore et sanguine Christi, quod in mysterio vera sit caro,

(1) L. iv. in Joan. c. xxvi.
(2) Serm. xxxiii. n. 15.
(3) Hom. vii. de Pasch.
(4) L. i. de gloria Martyr. c. lxxxvi.
(5) L. i. in Evang. hom. xiv. n. 1.
(6) L. ii. in Ev. hom. xxii.
(7) L. de Eccl. offic. c. xviii.
(8) L. iv. de fide orthodoxa c. xiii.
(9) Antirrhetic ii.

et verus sanguis, dum sic ille voluit, qui creavit : omnia enim quæcumque Dominus voluit, fecit in cœlo et in terra. Et quia voluit, licet in figura panis et vini, hæc sic esse, omnino nihil aliud, quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt. »

177. X. Sæculo. S. Odo Cluniacensis : « Sed multo plus dolendum de hoc, quod illud sacrosanctum mysterium Dominici videlicet corporis temerare præsumunt. . . . . Contra eos enim, qui exteriorem Ecclesiæ cultum negligunt, Dominus per Malachiam queritur, dicens : « O vos Sacerdotes, » qui despicitis nomen meum, offertis » super altare meum panem pollutum, » et dicitis : Mensa Domini polluta » est. » Polluunt sacerdotes panem, id est corpus Christi, ut Hieronymus exponit, qui indigne accedunt ad altare. » [1]

178. Ratherius Episcopus Veronensis : « Crede, frater, quia sicut in Cana Galilææ vinum Dei imperio verum et non figurativum, fuit ex aqua factum ; ita istud, Dei benedictione, vinum, verus et non figurativus efficitur sanguis ; et caro panis. Quod si sapor idem manet, et color, ita se haberi dissuadeat tibi aliud. . . . . Manente colore atque sapore, divina Sapientia operante, veram carnem et sanguinem, quod percipis esse crede. » [2]

Prætereundum non est SS. Cyprianum, Ambrosium, Optatum Milevitanum, Gregorium Turonensem, aliosque plura referre miracula quibus veritas hæc Catholica apertissime confirmatur. Juvat autem Patrum testimoniis Conciliorum auctoritatem adjicere.

179. Concilium Nicænum decrevit : « Neque Canon, neque consuetudo tradidit ut hi, qui offerendi potestatem non habent, (*Diaconi scilicet*) iis qui offerunt, dent corpus Christi. » [3]

180. Concilium Alexandrinum, S. Cyrilli tempore habitum, in epistola ad Nestorium Eucharistiæ dogma aperte tradit, et contra Nestorium sic decernit : « Sanctum ac vivificum incruentumque in Ecclesiis Sacrificium peragimus : Corpus quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem, non communis, nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potius tamquam proprium corpus effectum, sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes. » [4]

181. Concilium Ephesinum Generale anathematismum hunc inter cæteros probavit, et ita demonstravit hanc fuisse totius orbis fidem.

182. Concilium Nicænum II. Generale reprobavit Iconoclastas Eucharistiam imaginem vocitantes, quamvis nec hi veritatem corporis et sanguinis in Sacramento negarent. Audi Epiphanium diaconum coram Patribus disserentem : « Nullus . . . Sanctorum . . . Apostolorum aut illustrium Patrum nostrorum incruentum Sacrificium nostrum, quod in commemoratione Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus ; neque enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri ; sed audiant evangelice dicentem eum : « Nisi manducaveritis car- » nem Filii hominis : » et « Accipite, hoc » est corpus meum : » « Hic est sanguis » meus. » . . . Non dixit : Accipite et manducate imaginem corporis mei : . . . . ergo liquido demonstratum est quod nusquam Dominus vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt Sacrificium incruentum ; . . . sed ipsum corpus, et ipsum sanguinem. . . . . Antequam sanctificata fue-

(1) Lib. collat. p. 28.
(2) Ep. vi. de corpore et sanguine Domini.
(3) an. xviii.
(4) Anathematismo xi.

rint vocata sunt typi; post sanctificationem autem, corpus proprie et sanguis Christi dicuntur, sunt, et creduntur. » — μετὰ δὲ τὸν ἁγιασμὸν σῶμα κυρίου καὶ αἷμα Χριστοῦ λέγονται, καὶ εἰσί, καὶ πιστεύονται. [1]

CAPUT VII.

OBJECTIONES CONTRA REALEM PRÆSENTIAM.

183. Quamvis, dum de singulis Scripturæ testimoniis ageremus, plures solverimus difficultates quæ huic mysterio consueverunt objici, ad pleniorem rei illustrationem, speciali capitulo objectiones diluendas duximus. Ab iis quæ ex Scriptura adducuntur initium sumemus.

184. *Obj.* 1. Christus ait : « Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. » [2] Jam vero si præsens sit in Eucharistia, habemus eum semper, et quidem ea ratione qua possimus thesauros nostros in ejus honorem effundere, ornando ejus altaria, et cultus sumptus suppeditando. Rueret igitur ratio quam præbuit Christus cur voluerit ea sibi tribui venerationis indicia a pia muliere, quod scilicet brevi non possent reddi, ipso a terris procul recedente.

185. *Resp.* Christum non habemus, quo modo tunc erat, naturali conditione, et oculis patens intuentium, cui proinde non possumus ea exhibere obsequia quæ voluit ita accipere. Valet idcirco ratio quam allegavit, nec licet aliquid inde contra realem ejus præsentiam in Sacramento inferre. Possumus quidem divitias impendere in ejus honorem, sed jam non est copia eum in terris versantem humana veluti conditione honorandi.

186. *Obj.* 2. Christus « assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei. » [3] Eum « oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium. » [4]

187. *Resp.* Non id nobis fingimus, Christum relinquere cœlum ut præsens sit in Sacramento : credimus autem ineffabili potentia sua contingere ut in cœli solio considens, simul adsit in Eucharistia : quamvis mysterium id fateamur, quod humana ratio non valet percipere. Ex Actis Apostolorum novimus Christum in via visum esse Paulo eunti Damascum; nec est cur eum reliquisse cœlum suspicemur; vel in aere prope terram se exhibuisse denegemus. Cæterum nova ad spatium relatio non repugnat corporis naturæ, nec necesse est ut corpus multiplicetur multiplicatis ejus relationibus ad spatium.

188. *Obj.* 3. Monuit nos Christus ne credamus eum præsentem apud nos esse : « Si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic : nolite credere. » [5]

189. *Resp.* Cavere nos voluit a quolibet se verum esse Messiam jactante : plurimi enim pseudo-christi brevi adventuri erant, aliis sub finem mundi etiam venturis. Patet ejus mens ex tota orationis serie : agit enim de Hierosolymorum fatis et de extremo judicio. Ipse rationem moniti reddens, dicit : « Surgent enim pseudo-christi. » [6]

190. *Obj.* 4. Stephanus dicit : « Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut propheta dicit : Cœlum mihi sedes est : terra autem scabellum pedum meorum. » [7]

191. *Resp.* Excelsus non habitat in ædificiis manu hominum erectis, ita ut iis contineatur : cœlum enim et terram implet. Ejus immensitas a Stephano celebrata est, ut intelligerent Judæi eum templi limitibus nequa-

(1) Act. vi. (2) Matt. xxvi. 11.
(3) Marci xvi. 19. (4) Act. iii. 21.
(5) Matt. xxiv. 23.
(6) Ibid. 24. (7) Act. vii. 48.

quam contineri. Cæterum nil inde contra realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam, quum tamquam Deus immensus et ubique præsens agnoscatur, tamquam homo in cœlo considens, in Sacramento etiam præsens mirabili prorsus modo prædicetur.

192. *Obj.* 5. Christus redivivus se exhibens Apostolis dixit : « Palpate et videte ; quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. » [1] Si juxta hanc normam Eucharistiam investigemus, carnem et ossa ibi non esse dicendum erit, quia non videntur nec palpantur. Si rejiciatur regula hæc judicandi, Christus immerito eam videbitur statuisse, ut suam a mortuis resurrectionem probaret

193. *Resp.* Optime ex carne sua palpanda exhibita Christus se vere adesse confirmavit, quia testimonium sensuum de re iis subjecta valere debet, uxta sapientissimas leges quibus orbem genusque humanum regi voluit Deus. Contingere quidem posset ut spiritus carne et ossibus indutus appareret, sicut revera Angelus Deum repræsentans cum Jacob luctatus est : sed ne ordo a Deo statutus turbetur, vel homines illusionibus pateant, consonum est divinæ sapientiæ et bonitati, ut quoties mirum aliquid hujusmodi contingit, extra consuetum ordinem, dentur indicia quibus noscatur. Christus igitur se palpandum exhibens merito postulavit fidem, quum nulla ratio sineret suspicari eum velle illis illudere, aut Deum iis species pro re obtulisse ad fraudem sanciendam. In Eucharistia non agitur de re consueta, sed Sacramentum est a Christo institutum, cujus naturam et vim ab ipso discere oportet, ideoque ipso dicente : « Hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus : » jam non licet sensibus fidere contra ejus testimonium et auctoritatem. Non ideo tamen sensuum testimonium in rebus quæ ad ordinem naturæ pertinent, rejicitur vel infirmatur. In mysteriis Christi verba sunt attendenda : « Beati qui non viderunt, et crediderunt. » [2]

194. *Obj.* 6. Illa substantialis Christi corporis et sanguinis in Eucharistia præsentia absurda plane est : nam corpus unicum simul in cœlo et in innumeris terræ locis adesse non potest.

195. *Resp.* Adversariorum est explicare quomodo Christus visus sit Paulo eunti Damascum, eumque familiariter allocutus sit, cœlo haud relicto. Cæterum arcana Dei non licet humano perpendere judicio, nec quid possit ipse nostra definire sententia. Corporis ad locum relatio naturalis unica quidem est, sed naturæ et essentiæ se habet extrinsecus, ideoque multiplicari potest, divina virtute, quin essentia seu substantia multiplicetur. Præterea gloriosi corporis, quale Christi est, ad locum relatio longe diversa sit oportet a corporum naturali conditione : et sacramentalis præsentia, licet vera, realis, et substantialis, differt omnino a naturali. S. Thomas ait : « Corpus Christi non est in hoc Sacramento, sicut in loco. » [3] Præstat igitur mysterium fide simplici amplecti, veramque agnoscere præsentiam, quin divina humanis æstimemus. Ita olim Gregorius Nyssenus, nihil rei difficultate deterritus, divinum contemplatus est opus :

(1) Lucæ xxiv. 39.

(2) Joan. xx. 29. Oxonienses de iis qui Sacramentorum virtutem denegant, quia sensuum experimento non subjacet, notant : « To require that such subjects should come to us in a more sensible and palpable way, before we will accept them, betrays the same temper of mind as that of requiring a sign ; or at best, it is but that weak belief which says, « unless I handle and feel I » will not believe, » and which therefore loses the highest blessing, blessed are they who have not seen, and have believed. » Vol. iv. Tract. No. 80. part iii. p. 66. London edition.

(3) 3. p. qu. lxxvi. art. 5. Sed contra.

« Cum autem solum illud corpus quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit . . . oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuit, totum per partem fit in unoquoque, et ipsum in se totum maneat. »[1]

196. *Obj.* 7. Illa corporis Christi præsentia impossibilis plane est, « quia everteret naturam et proprietatem veri corporis, quod, ut quantum et extensum, debet esse visibile et palpabile, locatum, impenetrabile et circumscriptum, quod ita habeat partes extra partes, ut nec illud corpus penetrare queat, nec ab alio corpore penetrari. » Ita Turretini abbreviator.

197. *Resp.* Humano errore hæc dicuntur, quum naturalis non sit conditio Christi corporis in Eucharistia, sed ineffabilis prorsus, quam nec cogitatione assequi valemus. De natura corporum parum novimus, de proprietatibus eorum melius aliquanto edocti; sed plurima exempla suppeditant Scripturæ, in quibus quæ nobis innotuerunt proprietates non apparent, licet verum adfuerit corpus. Sic Christus e sepulchro clauso surrexit, et domum in qua erant Apostoli ingressus est, januis clausis. Quæ autem ad hæc reponunt Calviniani scriptores, impietatem et insipientiam redolent.[2]

198. *Obj.* 8. Corpus Christi haud potest sub parva hostia vel particula contineri, et os ingredi, quin omnes naturæ leges violentur.

199. *Resp.* Desinant homines carnis dictamina rebus accommodare cœlestibus. Naturalem non esse conditionem corporis Christi in Sacramento plus semel diximus, ideoque quæ naturæ leges spectant, non habent locum in re supra naturam divina potestate posita. Quid possit Deus periculose quæritur.[3]

200. *Obj.* 9. S. Cyprianus, ut Aqua-

(1) Orat. Catech. c. xxxvii.

(2) Vix potuit credi scriptorem christiano nomine gloriantem hæc scribere potuisse, quæ apud Turretini abbreviatorem leguntur. « Christus potuit ingredi ad discipulos τῶν θυρῶν κεκλεισμένων *januis clausis*, Joan. 20. 19. i. e. eo tempore, quo januas occlusas habebant propter metum Judæorum, sed non διὰ θυρῶν *per januas clausas.* Quod ad saxum sepulchri, dicendum, potuisse creaturam cedere ultro creatori citra penetrationem dimensionum, licet Angelus Domini non amovisset saxum, ut factum dicitur. Mat. 28. 3. Christus dicitur factus ἄφαντος ἀπ' αὐτῶν, scilicet discipulis Emaunticis. Luc. 24. 31. non evanescendo, sed vel oculos Apostolorum cohibendo, ne se abeuntem viderent, vel se celerrime ipsis subducendo. » Locus xvii. de Sacramentis p. 261.

(3) Oxonienses fatentur Rationalismum sapere eam argumentandi rationem quæ plerumque contra Eucharistiam adhibetur, desumptam scilicet ex rei natura, sicut etiam contra Trinitatis et Incarnationis mysteria. « The doctrines of the Trinity and Incarnation, form a most distressing subject of discussion, for two reasons; first, as involving the direct contemplation of heavenly things, when one should wish to bow the head and be silent; next as leading to arguments about things possible and impossible with God, that is (practically) to a rationalistic line of thought. How He is Three and yet One, how He could become man, what were the peculiarities of that union, how he could be every where as God, yet locally present as man, in what sense God could be said to suffer, die, and rise again, — all these questions were endured as a burden by the early Christians for our sake, who come after; and with the benefit of their victories over error, as if we had borne the burden and heat of the day, it were perverse indeed in us, to plunge into needless discussions of the same character. This consideration will lead us to put into the back ground the controversy about the Holy Eucharist, which is almost certain to lead to profane and rationalistic thoughts in the minds of the many, and cannot well be discussed in words at all without the sacrifice of « godly fear, » while it is well nigh anticipated by the ancient statements, and the determinations of the Church concerning the Incarnation. It is true that learned men, such as Stillingfleet, have drawn lines of distinction between the doctrine of transubstantiation and this high mystery; but the question is, whether they are so level to the intelligence of

riorum errorem evelleret, qui aqua tantum in calice utebantur, ad Cæcilium ita scripsit: « Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit: ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Nam cum dicat Christus: « Ego sum vitis vera; » sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicatur. » . . . . « Videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credidit, copulatur et jungitur. »[1] Juxta realis præsentiæ patronos nec aqua nec vinum habetur in calice, sed solus Christi sanguis, adeo ut ne quidem illa Christi cum populo fideli conjunctio in Sacramento exhibeatur, ni placeat aquam converti in populum, sicut vinum conversum dicitur in Christi sanguinem. Ita Cosinus, qui tamen Cypriani verba veluti adducens, sensum quem ex iis expressit, suis dat verbis, pessimo exemplo auctoris mentem male interpretans.[2]

201. *Resp.* Cyprianus duplici ex capite vini et aquæ admixtionem urget, primo quidem, quæ præcipua est ratio, quod Dominus calicem vini aqua temperati adhibuerit, « quod Jesus Christus, Dominus et Deus noster, sacrificii hujus auctor, et doctor fecit et docuit; » deinde quod mystica significatio huic admixtioni inhæreat: vinum quippe Christum exhibet, qui est vera vitis, aqua populum designat. Ex veteribus figuris, sicut et ex novi Testamenti testimoniis ostendit vinum apte Christum exhibere, et contendit illud omnino esse necessarium, quum, eo deficiente « nec potest videri sanguis ejus, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice. » Vinum igitur et aqua sacro poculo admixta fiunt verbis Domini ipse sanguis ejus, quo redempti sumus: licet enim adhibeantur ad conficiendum Sacramentum, non tamen ipsa Sacramenti tanti et Sacrificii possunt habere rationem: ideo typum cum rei veritate, Sacrificii materiem cum victima conferens dicit Cyprianus: « Quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus qui sacrificium Deo Patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem. » Sic et materiem ex qua conficitur Sacramentum, a Jacob, in vaticinio de Juda lavante in sanguine uvæ amictum suum, enuntiatam Cyprianus intellexit: « Quando autem sanguis uvæ dicitur, quid aliud quam vinum calicis Dominici sanguinis ostenditur? » Sic quod apud Isaiam de calcante torcular dicitur, ad Sacramentum refertur: « Vini utique mentio est, et ideo ponitur, ut Domini sanguis vino intelligatur. Et quod in calice Dominico postea manifestatum est, prophetis annuntiantibus prædicatur. Torcularis quoque calcatio et pressura taxatur,

the many, as to secure the Anglican disputant from fostering irreverence, whether in himself or his hearers, if he ventures on such an argument.» Oxford Tracts, Vol iii. N. 71.

(1) Ep. ad Cæcilium p. 51. edit. Basil.

(2) « Let that cup which is offered *to the people* (verba hæc quæ Italicis characteribus notavimus mala certe fide inseruntur a Cosino, quum Cyprianus loquatur manifeste de oblatione Deo facta, et de sacrificio) in commemoration of Christ be mixt with wine, for it cannot represent the Blood of Christ when there is no wine in the cup, because the Blood of Christ is expressed by the wine, as the faithful are understood by the water. » Hæc Cosinus: non hæc Cyprianus.

quia quomodo ad potandum vinum veniri non potest nisi botrus calcetur ante et prematur, sic *nec nos sanguinem Christi possemus bibere*, nisi Christus calcatus prius fuisset et pressus, et calicem prior biberet quem credentibus propinaret. » Liquet igitur Cyprianum agnovisse sanguinem Christi calice contineri, et a fidelibus potari: nec quid clarissimis his dictis detrahi, ex eo quod mysticam significationem aquæ cum vino admixtionis urgeat. Profecto quamvis aquam miscendam doceat, solo vino consecrato sanguinem adesse affirmat: « Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. » Eorum fastidium damnat qui a Sacramento suscipiendo abstinebant, ne per saporem vini redolerent sanguinem Christi. « Sic ergo, » inquit, « incipit et a passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit de sanguine ejus et cruore confundi . . . . Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere! » De mente Cypriani nullus est dubitandi locus. Porro hæc consona sunt Catholicæ fidei, et mori semper in Sacrificio celebrando servato. Habetur mystica significatio populi cum Christo conjunctionis, aquæ cum vino admixtione, et temperamentum calicis, mixtio illa, fit Christi sanguis: totum enim convertitur juxta ipsius exemplum et verba.

202. *Obj.* 10. S. Augustinus ait: « Sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est. »[1] Alias dicit: « Hæc enim Sacramenta sunt, in quibus, non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur: quoniam signa sunt rerum aliud existentia, et aliud significantia. »[2]

203. *Resp.* S. Anselmus[3] et Lantfrancus[4] testimonium prius a Berengario objectum explicant de modo præsentiæ, scilicet quod corpus et sanguis non adsint quo modo in cruce aderant. Possunt etiam verba illa ad species sacramentales referri. Cæterum constat Augustinum agnovisse ipsum corpus et sanguinem Christi vere adesse, et ore percipi. Sic vocat Eucharistiam « Sacramentum spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quamdiu bibitur quod de Christi latere manavit. »[5] — « Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra; cum eo accepto, ab omnibus gentibus respondetur, Amen. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. »[6] Alterum quod objicit Cosinus testimonium, non respicit Eucharistiam, vel alia Sacramenta, sed Joannis dictum de tribus in terra testibus, spiritu, aqua et sanguine. Quum inde Arianus argumentum contra unitatem divinæ naturæ in Patre et Filio desumeret, (hos enim unum dici contendit ea ratione qua illa unum dicta sunt), monuit eum Augustinus illa esse sacramenta, symbola scilicet et signa Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ideoque quum hi tres unum sint, illa recte dici unum, quia in signis symbolisque non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur. Ex latiori hoc Sacramenti vocis usu, non licet inferre ea quæ a Christo instituta sunt mera esse signa; quapropter perperam illa ad rem suam adhibet Cosinus, vocis ambiguitate ludens. Cæterum externæ species panis Sacra-

(1) Ep. xcviii. alias xxiii. ad Bonifacium.
(2) Contra Maximin. Arian. l. ii. c. xxii. n. 3.
(3) L. de Sacr. Altaris c. xi.
(4) L. de corpore et sanguine Domini c. xiv.
(5) L. xii. contra Faustum c. xx.
(6) Ibidem c. x.

menti nomine intelligi possunt, iisque accommodari possunt quæ de signis sacris generatim dicuntur: ostendunt scilicet et exhibent Christum animæ cibum, panem vitæ æternæ.

204. *Obj.* 11. Si dogma præsentiæ Christi substantialis in veteri Ecclesia viguisset, Ethnici illud veluti absurdum Christianis objecissent: scriptores christiani illud verbis perspicuis exposuissent, Ethnicorum calumnias ut diluerent.

205. *Resp.* Viguit profecto illud dogma in Ecclesia, uti ex documentis allatis constat. Cæterum non ita innotuit Ethnicis, ut occasio ipsis foret vel cura de ejus possibilitate disceptandi: nam Christiani plerumque fidei mysteria alto servabant apud se silentio, ne Sanctum daretur canibus, contra Salvatoris vetitum. *Disciplina arcani* quæ per tria priora sæcula obtinuit, quæque quarto et quinto sæculis haud penitus desierat, fecit ut vix noverint ipsi candidati Baptismum petentes, *catechumeni* dicti, aliud præter Dei unitatem, Christi propter hominum salutem in cruce mortem, et morum principia, altioribus mysteriis nonnisi paulo ante Baptismum traditis. [1] Hinc Julius I. arguit Arianos, quod de Eucharistia palam coram non initiatis egissent: [2] et Augustinum audivimus docentem catechumenum interrogatum de carne Christi manducanda nescire quid ei dicatur, quia Jesus non se ei credidit. » [3] Eucharistia idcirco « sanctum Domini » vocatur apud Cyprianum: et ab aliis Patribus ita indicatur, ut ab initiatis tantum se intelligi posse affirment. Sic Chrysostomus post verba Christi relata, adnotat: « Sciunt ii qui initiati sunt illa quæ dicuntur. » [4] Sic et Augustinus: « Corpus quod nostis, quod non omnes nostis: quod utinam qui nostis, omnes non ad judicium noveritis. » [5] Satis inde intelligitur cur Ethnicis non fuerit cum Christianis de mysterii hujus natura et possibilitate concertatio: sed nullo pacto explicari potest cur religionis christianæ vindices non totam rem panderint, ut calumniis Ethnicorum irent obviam, si revera panis et vinum symbola forent et signa, licet efficacia, Christi pro hominum salute mortui: nam facilis erat et omni periculo vacua hujusmodi explicatio. Solus qui noscitur rem explicuisse ad Ethnicos scribens, Justinus est, qui gravi necessitate ad id adactus censendus est, quique ea ratione loquitur quæ fidei Catholicæ omnino est congrua. Cæteri objectioni de epulis thyesteis respondentes, quam tamen aliunde derivatam, ex Gnosticorum scilicet turpitudine, putat Palma, de Eucharistia siluerunt, magnum subesse arcanum profanis haud revelandum ipso quod servarunt silentio indicantes. Si Eucharistia adeo sacrosancta non fuisset, et symbolis Christi mortis tantum constitisset, cum quavis virtute, vel spiritali quam fingunt præsentia, nulla fuisset ratio cur Ethnici et catechumeni ab ejus celebratione arcerentur; quum potius invitandi essent omnes, ad calumnias Christianis impactas penitus dissipandas. [6]

CAPUT VIII.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

206. *Realem* quam propugnavimus Christi præsentiam Lutherus, uti jam

(1) Vide Cyrillum Hierosolym. n. 12. procatechesis.

(2) Ep. ad Euseb. p. 378. apud Constantium.

(3) Sup. p. 97. (4) sup. p. 104. (5) In Ps. xxxix. 12.

(6) Disciplinam arcani erudite exponit argumentumque inde desumit eruditus Præsul Trevern, in opere dicto *Discussion amicale*. Lettre viii. Sed feliciter etiam et accurate Joannes Baptista Palma in opere pluries laudato: Prælectiones Hist. Eccl. t. i. c. xvi. xvii. xviii.

diximus, admisit, et contra Carlostadium et Zuinglium vindicavit, sed et panem et vinum manere dixit, adeo ut simul adessent corpus et sanguis Christi una cum pane et vino. *Consubstantiatio* vocatum est hoc ejus placitum, quum *transubstantiationis* nomen jam sæculorum plurium usu, et Concilii Lateranensis auctoritate, dogmati Catholico adhæserit. Calvinus *realem* Christi præsentiam se agnoscere professus est, sed quum Catholicum dogma una cum Lutheri placito rejiceret, non aliam quam præsentiam quamdam virtute et efficacia, non re, se admittere satis manifestavit. Hanc *spiritalem* vocavit. Igitur eam tantum agnovit elementorum mutationem qua sacro usui destinantur, ut symbola sint corporis et sanguinis Christi, quæ cum iis adesse et dari, sensu supra indicato, prædicavit. Ut erroribus simul et vaferrimis consiliis hæreticorum occurreret Concilium Tridentinum, *transubstantiationis* vocabulum, quod Latini sermonis elegantiam quidem non sapit, dogma tamen aptissime enunciat, veluti tesseram fidei adoptavit. « Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit. » [1]

207. Quo sensu *transubstantiatio* usurpetur, ex definitione illa constat, quod scilicet substantia panis et vini non maneat, sed *species* duntaxat, forma, scilicet, color, gustus. Philosophicam quæstionem utrum accidentia a substantia separari queant, Ecclesia haud curat; sed species agnoscit, quæ scilicet sensus nostros afficiunt ea ratione qua panis vinique substantia, si maneret; quam tamen superesse negat, Christo simpliciter credens corpus esse et sanguinem suum. Utrum illa conversio fiat *annihilatione*, uti dicunt, substantiæ panis et vini, ut eorum loco adducatur corpus et sanguis Christi; vel *reproductione*, ita ut ipsa substantia panis et vini transeat in substantiam corporis et sanguinis, inter Scholæ doctores quæritur; quorum partibus ne nos misceamus, altitudine mysterii terremur. Cum Magistro Sententiarum placet dicere: « Si quis modum quo id fieri possit quærit, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest. » [2]

208. Lutherus non tantum corpus et sanguinem Christi in Sacramento adesse profitebatur, [3] sed quoniam paradoxa amabat, ipsum panem corpus Christi esse, rem plane absurdam, se credere dicebat: « Credo firmiter, non modo corpus Christi esse in cœna, sed panem esse corpus Christi. » [4] Suis transubstantiationem credendi, mira certe dignatione, reliquit libertatem: « Permitto itaque qui volet utramque opinionem tenere. » [5] Postea tamen Henrico VIII. indignatus hanc revocavit licentiam. [6] Ut suam de Christi corporis et sanguinis præsentia tueretur, immani errore excogitavit humanam Christi naturam ex hypostatica unione divinæ naturæ proprietates derivare, ideoque habere omnipræsentiam: quod non puduit Walchium

(1) Sess. xiii. Can. ii.
(2) L. iv. Dist. ii.
(3) In tractatu: « Dass die Worte Christi, das ist mein Leib, noch fest stehen, » anno MDXXVIII. cit. Walchio. (4) L. de capt. Babylon. c. de Euch.
(5) Ibidem. (6) In resp. Henrico VIII.

fateri, imo profiteri : « Sacramentariis quum se opponeret Lutherus, primum contra Carlostadium, deinde etiam Zuinglium docuit, humanæ Christi naturæ omnino omnipræsentiam tribuendam; ex ea autem fundamentum præsentiæ realis corporis ejus in sacra cœna petendum esse. [1]

209. In Georgia, et duabus Carolinis, aliisque provinciis *Hinkelitæ* sunt, et alii e Lutheranorum secta, qui *consubstantiationis* placitum sequuntur, sed plerique, Lutherani licet dicti, Zuinglio assentiuntur, vel Calvino. [2] Episcopales, Anglicanorum insistentes vestigiis, Calvinianum adoptarunt errorem, et de *reali* Christi præsentia verbis amplissimis aliquando loquuntur, de iis vehementer querentes qui *spiritalem* præsentiam figmentum esse affirmant : plerique tamen remotis verborum involucris *realem* præsentiam plane denegant. Omnes vero *transubstantiationem* rejiciunt, nullamque elementorum agnoscunt mutationem, præter symbolicam, qua scilicet panis et vinum fiunt symbola corporis et sanguinis, et adeo pignora quædam et instrumenta quibus corpus et sanguis suscipientibus Eucharistiam communicantur. Anglicani præsulis verbis sententiam illam de *reali* præsentia placet exponere. [3]

210. *Realis* Christi præsentia, qualem Catholica Ecclesia tradit, *spiritalis* quodammodo dici potest, quatenus corpus et sanguis Christi non adsunt naturali conditione, sed sacramentaliter, vere tamen et substantia sua : adeo ut quæ dantur sacerdotis manu sint ipsum corpus et sanguis Christi. Quod si alio sensu prædicetur spiritalis præsentia, liquet eam *realem* non esse, sed *virtute* tantum, quod ipse Cosinus post speciosa verba prodit. [4]

Propositio.

In Eucharistiæ Sacramento non remanet substantia panis et vini, sed mirabilis et singularis conversio fit totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quæ conversio aptissime transubstantiatio a Catholica Ecclesia appellatur.

211. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christus dixit: « Hoc est corpus meum: hic est enim sanguis meus. » — τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου· τοῦτό γάρ ἐστί τό αἷμά μου [5] — Ergo quod dedit Apostolis fuit vere corpus et sanguis ejus, nihilque aliud. Profecto si panis et vinum adessent, alia verborum formula uti oportebat, ut ea signa, pignora, instrumenta corporis et sanguinis simul datorum intelligerentur. Dixisset adverbialiter

(1) Walchius Introd. ad lib. symbol. Luth. l. i. c. vii. § xxiii. p. 829.

(2) De Lutheranorum variationibus erudite agit Episcopus Carolopolitanus, Joannes England, in litteris editis in ephemeridibus dictis, *Catholic Miscellany*, anno 1838.

(3) « It is not questioned whether the Body of Christ be absent from the Sacrament duly administered according to his institution, which we Protestants neither affirm nor believe; for it being given and received in the Communion, it must needs be that it is present, though in some manner veiled under the Sacrament, so that of itself it cannot be seen. Neither is it doubted or disputed whether the Bread and Wine by the power of God and a supernatural virtue, be set apart and fitted for a much nobler use, and raised to a higher dignity than their nature bears; for we confess the necessity of a supernatural and heavenly change, and that the signs cannot become Sacraments but by the infinite power of God, whose proper right it is to introduce Sacraments in His Church, being able alone to endue them with virtue and efficacy. » Cosin ch. iv. operis jam citati.

(4) « It is far above philosophy and human reason that Christ from Heaven (where alone He is locally), should reach down to us *the divine virtue of his flesh*, so that we are made one body with Him. » Ch. vii. En quo desinunt tot de *reali* præsentia dicta!

(5) Matt. xxvi. 26. 28.

« hic, » vel, « una cum hoc, » vel certe usus fuisset sacer scriptor pronomine ejusdem generis, ac panis et vinum, masculini scilicet in Græco idiomate — ἄρτος — οἶνος. Nulla scribendi lex, nec ipsa Evangelistarum consuetudo sinit, ut pronomen relativum ab antecedente nomine, quod mox præcessit, genere discrepet : proinde ad panem et vinum referri nequeunt illa pronomina, sed ad id quod manibus tunc tenebat Christus, quodque absoluta sententia, corpus erat suum et sanguis. Ea est verborum vis ut illud quod Christus Apostolis dedit, nihil aliud esse præter corpus et sanguinem suum intelligamus : quod quum fieri non potuisset nisi conversa substantia panis et vini in corporis et sanguinis substantiam, panem enim et vinum præ manibus sumpsit, illa conversio substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, mirabilis plane et singularis, agnoscenda est. Nil igitur præter species panis et vini superest; et vere adsunt, iis tamquam velo obtecta, corpus et sanguis Christi.

212. *Probatur* 2. *Patrum testimoniis*. Tertullianus de Christo ait : « Acceptum panem, et distributum discipulis, *corpus illum suum fecit*, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. » [1] Sensum testimonii jam exposuimus, adeo ut jam sufficiat animadvertere Christum a Tertulliano dici panem corpus suum fecisse, quod conversionem plane indicat.

213. S. Gregorius Nyssenus dicit : « Panis statim per verbum *transmutatur*, sicut dictum est a Verbo : « Hoc » est corpus meum. » [2]

214. S. Cyrillus Hierosolymitanus, post lectionem ex Pauli ad Corinthios epistola : « Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis : » sic disseruit : « Vel hæc sola beati Pauli institutio abunde sufficiens est, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat : quibus digni habiti, concorporei et consanguinei Christi facti estis. Ille enim modo clamabat : « Quod in ea nocte » qua tradebatur Dominus noster Jesus » Christus, sumpto pane et gratiis actis, » fregit, et dedit suis discipulis dicens : » Accipite, manducate : Hoc est corpus » meum. Et sumpto calice, ac gratiis » actis, dixit : Accipite, bibite : Hic est » sanguis meus. » Quum igitur ipse pronuntiaverit, et dixerit de pane, « Hoc cor- » pus est meum, » quis audebit deinceps ambigere? Et quum ipse adseveraverit et dixerit : « Hic meus est sanguis : » quis unquam dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilææ transmutavit : et eum parum dignum existimamus cui credamus, quum vinum in sanguinem transmutavit? — οὐκ ἀξιόπιστός ἐστιν, οἶνον μεταβαλὼν εἰς αἷμα; — Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit, et non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur? Quare cum omni persuasione tamquam corpus et sanguinem Christi illa sumamus. Nam in figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis; ut quum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Ὥστε μετὰ πάσης πληροφορίας, ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνομεν Χριστοῦ. ἐν τύπῳ γὰρ ἄρτου, δίδοταί σοι τὸ σῶμα· καὶ ἐν τυπῷ οἴνου, δίδοταί σοι τὸ αἷμα· ἵνα γένῃ, μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτῷ. . . . Quamobrem ne tamquam nudis pani et vino adtende : sunt enim corpus et sanguis Christi,

(1) Adv. Marcion. l. iv. c. xl.

(2) Orat. Catech.

secundum Domini asseverationem; nam etiam si illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum et firmum efficiat. Ne judices rem ex gustu; sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto, te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse. Μὴ πρόσιχε οὖν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ σῶμα γὰρ καὶ αἷμα Χριστοῦ, κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀποφασιν. εἰ γὰρ καί ἡ αἰσθησις τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιούτω. μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνης τὸ πραγμα, ἀλλ' ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφορῆ ἀνενδοιάστως, σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ καταξιωθεις. [1]

215. S. Joannes Chrysostomus: «Non sunt humanæ virtutis hæc opera. Is qui tunc in illa cœna hæc confecit, et nunc etiam operatur. Nos ministrorum habemus ordinem: qui vero illa sanctificat et *transmutat* ipse est » — ὁ δὲ ἁγιάζων αὐτὰ καὶ μεταστοιχειώσων, αὐτός. [2] Alias : « Sed tempus demum est ad horrendam hanc mensam accedendi . . . . Adest Christus, et nunc is, qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, *qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi*, sed ipse Christus qui pro nobis crucifixus est — οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπος ἐστιν ὁ ποιων τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα καὶ αἷμα Χριστου. — Figuram implens stat sacerdos verba illa proferens : virtus autem et gratia Dei est : « Hoc est corpus meum, » inquit. Hoc verbum transformat ea quæ proposita sunt » — τοῦτο δὲ ῥῆμα μεταρρυθμίζει τὰ προκείμενα. [3]

216. S. Cyrillus Alexandrinus : « Ne horreremus carnem et sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, *convertens ea in veritatem propriæ carnis*, ut corpus vitæ, quasi quoddam semen, inveniatur in nobis. » [4]

217. S. Gaudentius Brixiensis : « Ipse igitur naturarum Creator et Dominus, qui produxit de terra panem, de pane rursus, quia potest et promisit, efficit proprium corpus; et qui de aqua vinum fecit, fecit et de vino sanguinem suum. » « Ne terrenum putes, quod cœleste effectum est per eum qui transit in illum, et fecit illud corpus et sanguinem. » [5]

218. S. Germanus, Episcopus Parisiensis, vel alius quivis auctor *expositionis brevis* Liturgiæ Gallicanæ antiquæ, quæ medio sexto sæculo prodiit, scribit : « Panis vero in corpore et vinum *transformatur* in sanguine, dicente Domino de corpore suo : « Caro » enim mea vere est cibus, et sanguis » meus vere est potus. » [6]

219. Alcuinus, seu Albinus, sæculi octavi scriptor, ad Paulinum Aquileiensem scripsit : « Ne, quæso, obliviscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini; sed in aliquo memoriæ gazophylacio manda illud et proferto eo tempore opportuno quo *panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi consecraveris.* » [7]

220. S. Joannes Damascenus : « Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Domini *transmutantur*. Si requiras quonam pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum sanctum. » [8]

Quæ jam adduximus Patrum testimonia ad veram, realem, et substantialem corporis et sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia probandam, dogma transubstantiationis adstruunt : nam sim-

(1) Cat. Myst. xxii.
(2) Hom. lxxxii. alias lxxxiii. in Mat.
(3) Hom. de prodit. Judæ.
(4) Ep. ad Cœlosyrium c. iv. de Fide.
(5) Tract. II. in Exod.
(6) Cit. a Lienhart de antiquis Liturgiis, Argentorati, 1829. præf. p. xlvi.
(7) Ibidem p. xxxii.
(8) Orthodoxa c. xiv. Centuriatores Magdeburgenses notant : « De Transubstantiatione habet multa Damascenus. » Cent. 8. c. 4.

pliciter ostendunt Eucharistiam esse corpus et sanguinem Christi, et proinde conversionem illam, quam transubstantiationem vocamus, panis et vini in corpus et sanguinem Christi pro re explorata habent.

221. *Probatur* 3. *auctoritate Conciliorum.* Quindecim Concilia sæculo undecimo habita in Italia et Galliis, magno consensu proscripserunt Berengarii sententiam transubstantiationi adversam, quam ejurare verbis maxime perspicuis coactus est. Concilium vero Lateranense anno 1215, cui aderat patriarchæ Græci Alexandrini Legatus, et plures Episcopi ex Græcia et Palæstina, summo omnium consensu, fidem de Eucharistia iis verbis declaravit: « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur : in qua idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina. »

222. *Probatur* 4. *ex Liturgiis.* Liturgiæ omnes vetustissimæ continent invocationem Spiritus sancti, ut efficiat panem et vinum corpus et sanguinem Christi, et substantiæ conversionem vocibus variis significant — μεταβαλων — μεταποιησον — et de corpore et sanguine veluti in altari positis, et ore fidelium sumptis loquuntur. Ergo dogma *transubstantiationis* in cultu publico orbis christiani semper est agnitum.[1]

223. *Probatur* 5. *argumento præscriptionis.* Quo tempore ortus est Carlostadius, transubstantiationis dogma ubique obtinuit : idem de tempore Berengarii, sæculo scilicet undecimo, dicendum est. Quum autem maxime difficile sit, et sensibus et rationi videatur adversum, non potuit facile induci, et apud omnes obtinere. Ergo vel agnoscendum est illud semper ab ipsis religionis christianæ exordiis viguisse, vel indicandum est tempus quo primum excogitatum est, et quo auctore, quibusque subsidiis propagatum et stabilitum. Attamen nemo hactenus hæc felici successu exposuit. Præterea quum Eucharistia pertineat ad publicum cultum, et quotidiana Christianorum munera, non poterat nova de ejus natura sententia proponi, quin omnes statim id animadverterent. Porro idem viguit cultus, idemque agnitum est dogma a Græcis et sectis omnibus Orientalibus, tum sæculo decimo sexto, tum sæculo decimo tertio, et undecimo, nec de eo ulla orta est controversia inter sectarios illos et Latinos; nec originis dogmatis post Apostolorum tempora ullum occurrit apud eos vestigium. Ergo illud ab ipso Apostolorum ævo traditum agnoscendum est, et proinde dogma divinum habendum.

Objectiones diluuntur.

224. *Obj.* 1. Verba Christi non excludunt panem et vinum : quæ proinde manere censenda sunt, quum videantur et gustentur. Sic si quis, dolio exhibito, dixerit : hoc est vinum ; non ideo dolium ibi quoque esse negasse censebitur.

225. *Resp.* Verba Christi simpliciter et absolute declarant quod dedit Apostolis corpus ejus et sanguinem esse. De pane et vino nil dixit; sed quum dixerit illud quod manibus tenebat esse corpus suum et sanguinem, non licet aliud de eo credere : nec enim verba ejus vera forent, prout sonant, si panis et vinum adessent. Quando dicitur : *hoc est vinum*, de dolio non agitur, sed de

(1) « It appears from Mr. Palmer's valuable work, that all the ancient Liturgies now existing, or which can be proved ever to have existed contain a prayer of consecration that God will make the bread and wine the Body and Blood of Christ.» Oxford Tracts, N. 3.

liquore qui eo continetur; sed panis et vinum non sunt instar vasum, ideoque non possunt intelligi verba Christi de iis veluti continentibus corpus suum et sanguinem.

226. *Obj.* 2. Christus dicendo : « Hoc est corpus meum ; » certiores quidem fecit Apostolos se corpus suum illis vere dare ; sed quod simul daretur panis, res erat obvia sensibus, quæ nulla indigebat declaratione. Ita Cosinus. [1]

227. *Resp.* Utique Apostolos Christus fecit certiores se corpus suum illis dare, sed quum id quod manibus tenebat corpus illud esse dixerit, non licet alias credere ; habuit enim potestatem panem in corpus convertendi, idque se fecisse ex verbis ejus omnino sequitur. Profecto in re tanti momenti, de qua universos christiani nominis professores per plurima sæcula obvium verborum suorum sensum amplexuros prævidit, non est censendum eum ita locuturum fuisse, si alia ei fuisset mens. Potuit enim dicere : Una cum hoc pane, et illius instar, do vobis corpus meum. Quum autem dicat : Hoc est corpus meum ; illud toto mentis obsequio excipimus, ejus verbo, magis quam sensibus nostris, fidentes. Nulla ejus declaratione opus fuit ut Apostoli panem esse æstimarent, qualis videbatur : sed postquam affirmaverat corpus suum esse, jam non licuit alias sentire.

228. *Obj.* 3. Paulus Christi mentem ita explicat, ut panis sit communicatio κοινωνία corporis Christi, scilicet quo corpus Christi datur, et fideles ejus participes fiunt : « Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? » [2] Ita ex divina institutione, et Apostoli explicatione, constat quidem nos corpus Domini recipere, æque ac si panis in illud converteretur, non ideo tamen conversus censendus est. [3]

229. *Resp.* Panis voce utitur Apostolus usitata et familiari ratione ob speciem externam. Cæterum satis ostendit ipsum Christi corpus esse : nec enim alias, eo accepto, Christi corporis participes essemus. Non dicit occasione panis tantum nobis beneficium contingere, sed ipsum nobis datum communionem esse corporis Domini. Si tanta vis, ipso fatente Cosino, verbis Domini, et Apostoli insit, ut de percepto corpore Domini à digne suscipientibus sit omnimoda certitudo, æque ac si panis vere in illud converteretur ; utique probant simpliciter et absolute Sacramentum esse corpus Domini, et omnes illud suscipientes, etiam indigne, ejus esse participes, reos idcirco corporis et sanguinis Domini. Quod panem manere dicat Cosinus, ex sensuum testimonio derivat, quo, in re divinitus extra ordinem naturæ consuetum posita, niti non oportet, contra vim obviam verborum Domini, prout Cyrillus, Chrysostomus, et alii Patres sapienter monent.

230. *Obj.* 4. Falso dicitur a Bellarmino aliisque verba Domini *transubstantiationem* necessario secum ferre : nam id divinæ omnipotentiæ derogat, quasi Deus non posset corpus Christi præsens sistere, et in Sacramento dare, manente panis substantia. Præterea divinæ benedictioni, qua res conservantur, detrahit : et Sacramenti naturæ repugnat, quod signo et re significata

(1) Cosin. History of Popish Transubstantiation, ch. v. (2) I. Cor. x. 16.

(3) « Though, by the divine institution and the explication of the Apostle, every faithful communicant may be as certainly assured that he receives the Lord's Body, as if he knew that the Bread is substantially turned into it; yet it doth not therefore follow that the Bread is so changed that its substance is quite done away. » Cosin. ch. v.

constat. Denique ipsam Christi corporis et sanguinis substantiam evertit; hæc quippe ex pane et vino a sacerdote effici, magna cum præsumptione dicitur. [1]

231. *Resp.* Verissime dixit Bellarminus verba Domini vera non esse, si quod tenebat manibus, non esset corpus suum, quod verbis adeo perspicuis affirmavit. Nec id Dei omnipotentiæ detrahit : nec enim quæritur utrum Christus potuerit corpus suum una cum pane dare, sed utrum dederit. Nihil divinæ benedictioni derogatur, sicut quando aqua facta est vinum, divinæ benedictioni derogatum non est : Dei scilicet est rerum substantias mutare. Sacramenti habetur natura : quæ enim manent species signi habent rationem, Christumque animæ cibum, iis tamquam velo obtectum, exhibent. Denique substantia corporis et sanguinis Christi non mutatur, sed panis et vinum, Dei omnipotentia, in eam convertuntur, mirabili prorsus et singulari ratione, adeo ut solum adsint corpus et sanguis. Nihil tribuitur sacerdoti, nisi veluti Dei ministro, id muneris peragenti, cui divinam illam conversionem Christus alligavit. « Nos, » dicimus iterum cum Chrysostomo, « ministrorum habemus ordinem : *qui vero illa sanctificat et transmutat, ipse est.* »

232. *Obj.* 5. Christi verba vera sunt, absque ulla substantiæ mutatione. Sic si testator, instrumenta et titulos hæredi tradens, dicat : « Accipe domum quam tibi lego : » nemo scripta illa domum ipsam esse dicet. Ita Cosinus.

233. *Resp.* Nemo non videt quam longe distent hujusmodi exempla a Christi institutione. Scripta noscuntur titulum tantum præbere ad rem possidendam, proinde ex usu communi verborum, quæ forsan adhibuerit testator aliquis, definitur sensus. Sed panis nulla ratione connectitur cum Christi corpore, neque consuetudine, neque reipsa : ideoque Christi verba non poterant intelligi de signo, pignore, vel instrumento sui corporis adipiscendi. Cæterum locutio illa testatoris quam fingit Cosinus, inusitata est, et insulsa.

234. *Obj.* 6. Apostolus de pane loquitur, tamquam qui superest et frangitur in Eucharistia : « panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? » [2] « Quotiescumque enim manducabitis panem hunc. . . . quicumque manducaverit panem hunc. . . . Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat. » [3] Inverosimile est eum panem tam sæpe nominasse, si panis nequaquam adesset.

235. *Resp.* Quum panis ad conficiendam Eucharistiam adhibeatur, et maneat ejus species, mirum non est eum nominari, licet substantia ejus divina potestate in Christi corpus transierit. Cæterum Apostolus cum vi quadam eum nominat, ut a pane, corporis cibo, distinguatur; et corpus Domini discerni et agnosci exigit, reum esse corporis violati declarans eum qui de *pane illo* indigne comederit. Frangitur panis ille, quatenus species franguntur : omnia enim divino consilio ita sensibus exhibentur quasi panis maneret substantia.

236. *Obj.* 7. Patres omnes spiritalem et mysticam esse Christi præsentiam in Eucharistia declarant, et panem et vinum superesse post consecrationem. Justinus dicit in cœtu fidelium dari panis et vini portionem, et carnem et sanguinem ali hoc cibo digesto.

237. *Resp.* Spiritalem et mysticam Christi præsentiam et nos agnoscimus, quatenus corpus et sanguis Christi naturali sua conditione non nobis exhibentur : species enim sacramentales tantum videmus, corpus et sanguinem

(1) Cosinus loco cit.

(2) I. Cor. x. 16. (3) I. Cor. xi. 26, 27, 28.

adesse fide tenemus. Cæterum veram, realem, substantialem præsentiam Patres omnes nobiscum fatentur, quod recitatis testimoniis probavimus. Panem et vinum superesse non tradiderunt, sed e contra sæpissime monuerunt ne sensibus hac in re decepti, Sacramenti veritatis, juxta Christi verba, obliviscamur. Cæterum quum panis et vinum ad Sacramentum conficiendum adhibeantur, et eorum externæ species maneant, mirum non est si Patres aliquando hæc nomina usurpent, familiari illa ratione loquendi in Scripturis sæpius adhibita, juxta quam qua ex re quid factum sit, vel quam præseferat formam respicitur, qua ratione et nos loquimur. Justini verba haud fideliter retulit Cosinus: nec enim portionem panis et vini dari adstantibus dicit, sed panem et poculum aquæ et vini afferri Præsuli, qui prolixe super iis preces et Eucharistiam facit, quibus absolutis, panis *consecratus*, una cum vino et aqua pariter consecratis distribuuntur a diaconis: διακονοι διδοασιν ἑκαστῳ τῶν παροντων μεταλαβειν ἀπο τυ ἐυχαριστηθεντος ἄρτυ και οἴνυ και ὑδατος: « Diaconi panem et vinum et aquam in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique præsentium participanda distribuunt. » Vis vocis illius ἐυχαριστηθεντος — prout eo loci adhibetur, eadem omnino est ac « consecratus, » uti ex iis quæ de precibus et Eucharistia dixerat, liquet: ἐυχαριστιαν ὑπερ τυ κατηξιωσθαι τῦτων παρ' ἀυτυ ἐπι πολυ ποιεῖται: « Eucharistiam pro his ab eo acceptis donis prolixe exequitur. » Non igitur panem simpliciter vocat, sed panem consecratum. Fallit etiam Cosinus, dum carnes nostras pane Eucharistico nutriri, veluti Justino auctore, dicit: non enim ea fuit huic mens, sed illam alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, quando fuerit solemni benedictione sacrata, esse dicit et carnem et sanguinem Christi: mirabilem scilicet et singularem conversionem ejus prædicat, et agnoscit. Ideo diligenter cavet ne quis eam cum corporis nutrimento confundat: « Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem, ipsius verba continentem, gratiæ actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, *incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse* edocti sumus. » τυν δὲ ἐυχαριστηθεν λογυ τυ παρ' ἀυτυ ἐυχαριστηθεισαν τροφην, ἐξ ἧς αἷμα και σαρκες κατα μεταβολην τρεφονται ἡμων, ἐκεινυ τυ σαρκοποιηθεντος Ιησυ και σαρκα και αἷμα ἐδιδαχθημεν ἐιναι.[1] Hæc adeo sunt perspicua, ut mirari sit Justinum mysterium christianum Imperatoribus ethnicis, ad quos vindicias illas direxit, tam clare enuntiasse, contra morem scriptorum christianorum, qui plerumque de altissimo arcano vix aliquid ad ethnicorum pervenire notitiam passi sunt.

238. *Obj.* 8. Quæ Patrum testimonia afferuntur, Eucharistiam corpus et sanguinem Christi esse affirmantia, explicanda sunt ratione significationis, quam habent elementa: ipsi enim Patres alias eam vocant Sacramentum corporis et sanguinis Christi, et satis suam explicant mentem. Ita Cosinus.

239. *Resp.* Nullus usus loquendi, nulla interpretationis lex sinit, ut quæ verbis adeo perspicuis a quamplurimis scriptoribus omnis ætatis affirmantur, de mera relatione signi ad rem signatam, vel de virtute qualibet signo adnexa intelligantur: præsertim cum Patres magnam in eo vim ponant quod

(1) Apologia i. alias ii. n. 66.

Eucharistia sit ipsum corpus et sanguis Christi, et argumentum inde desumant ad probandam humanæ naturæ Christi veritatem, et futuram corporum nostrorum resurrectionem. Falso asseritur eos alibi suam explicare mentem ratione quæ dictorum vim elevet: quamvis enim de mysterio adeo sublimi loquentes, eas aliquando usurpent voces quæ externas species respiciunt, quod et nos facimus, nihil dicunt quod veræ, reali, et substantiali præsentiæ, adeoque dogmati ipsi transubstantiationis adversetur. Omnia feliciter facileque cohærent, dogmate admisso, et ea consideratione haud neglecta de ratione loquendi diversa, prout vel species externa, vel Sacramenti veritas menti obversatur: sed si Calviniana placita obtineant, Patres verbis lusisse, et ita locuti ut errorem gravissimum lectoribus ingererent, videbuntur.

240. *Obj.* 9. Qui inter Patres asserunt sacerdotes conficere corpus Christi, intelligendi sunt de elementorum consecratione, qua panis communis fit sacramentalis, adeo ut fractus et receptus sit corporis Christi communio, et proinde sacramentaliter designari possit corpus Christi. Ita Hieronymus explicandus est; ita quoque Chrysostomus, qui tamen animadvertit Deum esse qui munerum mutationem sacramentalem operatur.

241. *Resp.* Patrum verba non patiuntur, ut eos de mera elementorum sanctificatione locutos intelligamus. Hieronymus verendum sacerdotum ministerium ea de causa dicit, quod « Christi corpus sacro ore conficiunt; »[1] et alias — « ad quorum preces, Christi corpus sanguisque conficitur. »[2] Vi illius consecrationis fit ut fideles corpus ipsum et sanguinem de manu sacerdotum accipiant: « Non Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus: ipse conviva et convivium; ipse comedens, et qui comeditur: illius bibimus sanguinem. »[3] Et alias: « Sanguis autem ipse est pretiosus, in quo redimimur in passione Domini Salvatoris; cujus carne alimur, et cruore potamur. »[4] Sic et Chrysostomus dignitatem sublimem sacerdotum et sanctitatem ex eo quod hæc celebrent mysteria effert, Dei quidem operationem, ministerium tantum humanum in iis agnoscens.

242. *Obj.* 10. Quæ ex Patribus allegantur testimonia de conversione, mutatione, transmutatione, transfiguratione, transelementatione panis et vini, non probant transubstantiationem: hæc quippe ab iis differt; nam quum agatur de Sacramento, mutatio necessario intelligenda est sacramentalis. Ita Cosinus.

243. *Resp.* Mira certe est hæc lex interpretationis, ut juxta suam de Sacramenti natura notionem explicet Cosinus quæcumque dixerint Patres ad declarandam panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversionem. Illa vocum varietas qua, ipso fatente, mutationem quæ fit in mysteriorum celebratione declararunt, — μετάβολὴ, μεταμόρφωσις, μετακοίνωσις, μεταστοιχείωσις, — nullius habetur, quia non usurparunt vocem Latinam qua nunc exprimitur, quamvis Græcis, quas plerique adhibuerunt, vocibus vim illam adnexam esse ex serie orationis, et ex aliis locis constet. Profecto cogitur White fateri Patres ea ratione locutos, quæ transubstantiationi faveat, adeo ut eos refugiat judices, qui ipso quarto Ecclesiæ sæculo floruerunt.[5]

(1) Ep. ad Heliodorum.
(2) Ep. ad Evagrium.
(3) Ep. ad Hedibiam.
(4) In c. xlvi. Ezech.
(5) « The present author would be misunderstood, were he conceived of as believing, that

244. *Obj.* 11. Patres hyperbolice locuti sunt de Eucharistia, uti patet ex Chrysostomi verbis, quæ prout sonant nemo accipit : dicit enim sacerdotis manum carnem Christi secare, fidelium linguam tingi Christi sanguine. Ita Cosinus.

245. *Resp.* Tot quæ adduximus testimonia, et plurima alia non possunt haberi meræ exaggerationes. Si elementa essent signa tantum, quantalibet virtute prædita, insulsa prorsus forent illa Patrum dicta, a quibus proinde omnes abhorrerent : sed fide mysterii prævia, hujusmodi dicta optime conveniunt, et facile ab omnibus intelliguntur. Manus sacerdotis carnem Christi secare dicitur, quia frangit hostiam, quæ vere est caro Christi, quamvis ob gloriosam hujus conditionem nulla possit affici mutatione. Fidelium etiam lingua obvio sensu tincta Christi sanguine prædicatur, quum eum bibamus in mysteriis. Sed insanire videretur qui panem et vinum symbola Christi corporis et sanguinis æstimans, Chrysostomi imitaretur sermonem. Hinc White non veretur dicere eum eloquentia raptum minus accurate locutum !

246. *Obj.* 12. Irenæus duas res, terrenam et cœlestem, in Eucharistia agnoscit : « Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti ; sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. » [1]

247. *Resp.* Irenæus respicit rem terrenam ex qua conficitur Eucharistia, et cujus speciem retinet, quin ejus substantiam manere innuat : nam vinum et panis « percipientia verbum Dei, *Eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi.* » [2] Ita ipse docet. Cæterum mirum non est eum de tanto arcano loquentem iis uti nonnumquam vocibus quæ cavillationibus novatorum ansam præbeant ; in re enim hujusmodi, cujus species sensibus obvia adeo differt a rei veritate, velo illo obtecta, duplex necessario inducitur loquendi ratio, uti sapienter monet scriptor egregii operis de fidei perpetuitate, alia scilicet secundum speciem sensibilem, alia secundum rei veritatem fide propositam. Perspicua autem sunt quæ tradit Irenæus de veritate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia.

248. *Obj.* 13. S. Joannes Chrysostomus manifesto rejicit transubstantiationem : monet enim Sacramenta haud consideranda carnaliter, sed oculis intellectus ; et corpus Domini haud percipi externo aliquo actu, sed fide. Hæc Cosinus.

249. *Resp.* Perperam omnino et contra Chrysostomi mentem hæc objiciuntur, uti testimonio integro recitato cuique patebit. « Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit, superet et sensum, et rationem nostram sermo ipsius, quod in omnibus et præcipue in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodo aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non possumus,

the question is to be brought to the test of what was held by the many eminent men who flourished in the fourth century. Further he knows, that they spoke commonly of a change made in the elements, but not destroying their substantial properties. That they expressed the former sentiment in language which led to transubstantiation, shall not be here denied. » Lectures on the Catechism of the Protestant Episcopal Church, and Dissertations, by William White, D.D. Bishop, etc. Philadelphia, 1813. p. 384.

(1) L. iv. adv. hær. c. xxxiv. alias xviii..

(2) L. v. c. xi.

sensus vero noster deceptui facillimus est : illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit : *Hoc est corpus meum :* nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis a Christo, sed rebus quidem sensibilibus : omnia vero quæ tradidit insensibilia sunt. Sic et in Baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur : quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet ac renovatio, intelligibile quiddam est. Nam si tu incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi : quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. O quot modo dicunt : Vellem ejus formam, typum, vestimenta, calceamenta videre! Ecce illum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. — *ἰδοὺ αὐτόν ὁρᾷς, αὐτῇ ἅπτῃ, αὐτὸν ἐσθίεις* — Et tu quidem vestimenta videre cupis : ipse vero seipsum tibi dat, non videndum modo, sed tangendum, comedendum, intus accipiendum. — *αὐτὸς δὲ ἑαυτόν σοι δίδωσιν, οὐκ ἰδεῖν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἅψασθαι, καὶ φαγεῖν, καὶ λαβεῖν ἔνδον.* — Neque enim satis habuit hominem fieri, alapis cædi, immolari, sed seipsum commiscet nobiscum, non fide tantum, sed reipsa nos corpus suum constituit. — *ἀναφύρει ἑαυτὸν ἡμῖν, καὶ οὐ τῇ πίστει μόνον, ἀλλα καὶ αυτω τῳ πράγματι σῶμα ἡμᾶς ἀυτω κατασκευάζει.* Quanta ergo puritate oporteret eum esse qui hoc fruitur sacrificio! quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quæ hanc carnem secat, os quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam! — *ποίας ἡλιακῆς ἀκτίνος τὴν χεῖρα τὴν ταύτην διατέμνουσαν τὴν σάρκα, τὸ στόμα πληρούμενον πυρὸς πνευματικοῦ, τὴν γλῶσσαν τὴν φοίνισσομένην αἵματι, φρίκωδεστάτω;* — Cogita quantum adeptus sis honorem, qua fruaris mensa? Quod Angeli tremunt videntes, nec sine metu respicere audent ob fulgorem inde manantem, eo nos alimur, huic commiscemur, factique sumus Christi unum corpus, et una caro. — *τούτῳ ἡμεῖς τρεφόμεθα, τούτῳ ἀναφυρόμεθα, καὶ γεγόναμεν ἡμεῖς Χριστου σῶμα ἓν καὶ σὰρξ μία.* — « Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor propriis sibi membris oves nutrit? Ecquid pastorem dico? Matres sæpe sunt, quæ post partum infantes aliis nutricibus dant : ipse vero id non passus est, sed nos proprio sanguine nutrit, et per omnia sibi copulat. — *ἀλλ' αὐτὸς ἡμᾶς τρέφει οἰκείῳ αἵματι, καὶ διὰ πάντων ἡμᾶς ἑαυτῳ συμπλέκει.*[1]

250. *Obj.* 14. Chrysostomus scribit : « Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus : divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis; dignus autem habitus Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum corpus Filii Dei prædicamus : sic et hic divina insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt. »[2]

251. *Resp.* Inter eruditos disceptatur de epistolæ illius authentia. Cæterum *naturæ* vox latiori sumitur sensu, prout sæpe apud veteres, pro proprietatibus et speciebus.[3] Sic Chrysostomus de pueris in fornace ardenti loquens, ait : « juvenum pietas rerum naturam mutavit. »[4] Ipso loco objecto negatur duo esse corpora, quamvis panis Dominici corporis appellatione dignus habitus sit, utique quia factus est ipsum unum ejus corpus, adeo ut

(1) Hom. lxxxii. alias lxxxiii. in Matth.
(2) Ep. ad Cæsarium monachum.
(3) Vide opus sæpe laudatum : *La perpétuité de la foi*, t. ii. l. v. ch. viii. et x.
(4) Hom. iv. ad pop. Antioch.

liberatus sit ab appellatione panis, amplius nonnisi corpus Christi nuncupandus.

252. *Obj.* 15. S. Ambrosius scribit: « Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur! »[1] Ergo manent panis et vinum, nec nisi sacramentaliter commutantur.

253. *Resp.* De librorum illorum auctore controvertitur, Cave Anglicano, cum Catholicis quibusdam, eos Ambrosio abjudicanti, Natali Alexandro, cum aliis emunctæ sane naris criticis, pugnante ex adversa parte. Nostrum non est tantas dirimere lites. Cæterum libenter agnoscimus eos esse probabilis valde et antiqui auctoris, qui Mediolanensem regebat Ecclesiam. Voces illæ « ut sint quæ erant, » in pluribus desiderantur codicibus; sed si placeat eas habere genuinas, facilem excipiunt sensum, scilicet panem et vinum non ad nihilum redigi, sed in aliud commutari, manentibus etiam eorum speciebus. Cosinum scriptoris hujus auctoritatem nobis objicere nimis inverecundum est: ex professo enim mutationem panis in corpus Christi, vini in ejus sanguinem, Dei potentia, tuetur: « Tu forte dicis: Meus panis est usitatus; sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, *de pane fit caro Christi*. Hoc igitur astruamus: Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. . . . . Ergo didicisti, quod *ex pane corpus fiat Christi*: et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed *fit sanguis consecratione verbi cœlestis*. Didicisti ergo, quia quod accipis *corpus est Christi*. »

254. *Obj.* 16. S. Ambrosius eam quæ in Eucharistia fit mutationem adsimilat ei quæ in homine fit Baptismo, qua nova dicitur creatura, substantia certe haud mutata. Ita objicit Cosinus.

255. *Resp.* Auctor ille venerabilis plurimis utitur similitudinibus et exemplis, ut suadeat miram illam quæ in Eucharistia fit mutationem; quibus certe opus non foret, si de sola *symbolica* relatione et virtute ageretur. Creationis exemplum in primis adducit: « Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: « Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. » Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: sed *post consecrationem dico tibi quod jam corpus est Christi*. Ipse dixit, et factum est; ipse mandavit, et creatum est. »[2] Transit auctor ad gratiæ opus in hominis nova nativitate, quæ non minus ostendit divinam potentiam, quamvis natura humana non desinat esse, sed labe peccati mundetur, et ad conditionem supernaturalem evehatur. « Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: postea quam consecratus es, nova creatura esse cœpisti. » Hæc nova creatio non dicitur esse imago perfecta mutationis quæ fit in Eucharistia, quamvis nec ipsa sua careat vi, quum revera magnum sit et divinum opus.

256. *Obj.* 17. Theodoretus dicit: « Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. — τῆς φύσεως οἰκείας οὐκ ἐξίστανται. — Manent enim in priore substantia et figura, et forma, et videri tangique possunt, sicut et prius. »[3] Affirmat Deum in Eucharistia non mutare naturam, sed naturæ adjicere gratiam — οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθείκως.

(1) L. iv. de Sacr. c. iv. (2) Ibid.

(3) Dialog. ii. qui dicitur *Inconfusus*.

257. *Resp.* Latiori sensu *natura* eo loci sumitur, sicut et *substantia*, pro figura scilicet qua videri tangique possunt. Dialogus hac de re sic se habet. Eutychianus Eranistes Catholicum interrogat : « Quomodo post sanctificationem symbola appellentur? » Orthodoxus respondet : « Corpus Christi et sanguis Christi. » Eranistes : « Et credis te corpus Christi et sanguinem percipere ? » Orthodoxus : « Ita credo. » Eranistes : « Sicut ergo symbola Dominici corporis et sanguinis, alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, — μίαν τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται — et alia fiunt, ita Dominicum corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est. » Respondet Orthodoxus : « Retibus quæ ipse texuisti captus es Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura; manent enim in priore substantia, et figura, et forma, et videri tangique possunt, sicut et prius : intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, et creduntur, — νοῦται ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται — et adorantur, ut quæ illa sunt quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum archetypo, et videbis similitudinem. Oportet enim figuram similem esse veritati. Illud enim corpus priorem habet formam, et circumscriptionem, et, ut semel dicam, corporis substantiam : immortale autem post resurrectionem, et immune a corruptione factum est, sedemque a dextris adeptum, et ab omni creatura adoratur, quia Domini naturæ corpus appellatur. » Ex dogmate de corpore et sanguine Domini, post consecrationem præsentibus, Eutychianus, unicam agnoscens Christi naturam, quærebat argumentum derivare, quo probaret post ascensionem corpus non esse palpabile, visibile, circumscriptum, nec alias habere proprietates. Huic ut responderet Catholicus, ostendit superesse in Eucharistia figuram et formam panis et vini; ideoque argumentabatur humanam Christi naturam suas retinere proprietates etiam post ascensionem. Voces naturæ et substantiæ Catholicus eucharisticis speciebus accommodat, sed ex usu Græcorum scriptorum notum est eas latius sæpe sumi, pro proprietatibus scilicet, vel pro natura quatenus concipitur plurimis communis. Mirum autem non est si in disceptatione de altissimo mysterio duarum in Christo naturarum, argumentum deductum ex alio mysterio vel minus accurate enuntietur, vel nimis probare videatur. Nostrum non est illud argumentandi genus vindicare : sed satis muneri nostro fecimus, ostendendo ex utraque parte in confesso fuisse, quæ apposita sunt invocatione mutari et alia fieri, et esse quæ facta sunt et credi, et adorari, ut quæ illa sunt quæ creduntur, et vocari corpus et sanguinem Christi. Quod si quis symbolorum vocem dogmati Catholico officere putet, fallitur : nam rite intellecta innoxia est; quum enim corpus et sanguis Christi non nobis exhibe antur intuenda, quæ ea obtegunt species, symbolorum instar sunt. De Theodoreti sententia nulla est dubitandi ratio; scribit enim : « Non solum undecim Apostolis, sed etiam Judæ proditori *pretiosum corpus et sanguinem* impertiit. »[1]

258. *Obj.* 18. S. Gelasius Papa scribit : « Certe Sacramenta quæ sumimus, corporis et sanguinis Christi, divina res est; propter quod et per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, et tamen esse non desinit substantia, vel natura panis et vini. »[2]

259. *Resp.* Liber ille Gelasium Cyzi-

(1) Comm. in ep. i. ad Corinth. c. xi. Difficultatem diluit præclare auctor operis : *La perpétuité de la foi*, tom. ii. l. v. per totum.

(2) L. de duabus in Christo naturis.

cenum auctorem habere censetur. Substantia, vel natura, latiori sumitur sensu pro proprietatibus, quod, uti pluries animadvertimus, græce scribentibus est admodum familiare. Quod similitudo adducatur omnino idonea rei de qua agebatur probandæ, scilicet duas esse in Christo naturas, ostendit haud vacare periculo a mysteriis exquirere similitudines, vel argumenta, ad alia commendanda mysteria. Non hujusmodi similitudinibus probavimus dogma, sed perspicuis testimoniis, quæ rem plane adstruunt, obscuris vel ambiguis locutionibus quorumdam haud infirmanda.

260. *Obj.* 19. Facundus Hermianensis scribit : « Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, et quando circumcisus est, et quando baptizatus est; et potest Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut Sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem dicimus : non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis, sed quod in se mysterium corporis ejus sanguinisque contineat. Hinc et ipse Dominus benedictum panem et calicem quem discipulis tradidit, corpus et sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi fideles Sacramentum corporis et sanguinis ejus accipientes, corpus et sanguinem Christi recte dicuntur accipere, sic et ipse Christus Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse. » [1]

261. *Resp.* Quæ scripsit Facundus ut tria capitula a Concilio V. damnata vindicaret, auctoritate carent, utpote schismatis fovendi studio exarata. Mirum non est argumentum deficere quod ex Sacramento ducit ad errorem sustinendum, illumque haud accurate de eo loqui. Cæterum ratione loquendi, potius quam sententia de Eucharistia, peccavit. Panis nomine post consecrationem intellexit species panis, quæ proprie corpus Christi non sunt, sed eas veluti velant. Ex eo quod quisque Eucharistiam recipiens fiat particeps corporis et sanguinis, contendit Christum ob Baptismum susceptum, adoptionem filiorum suscepisse dici posse: sed fefellit eum Theodori Mopsuesteni vindicandi studium.

262. *Obj.* 20. Beda in concione de Epiphania, dicit in locum carnis et sanguinis agni, Christum substituisse sacramentum corporis et sanguinis sui, in figura panis et vini; insuper « Dedit in cœna discipulis suis figuram corporis sui sancti et sanguinis. » Hæc omnino evertunt transubstantiationem. Ita Cosinus.

263. *Resp.* Hæc suo ingenio excogitavit Cosinus, et perperam tribuit venerabili scriptori, qui perspicuis verbis agnoscit corpus et sanguinem Christi ore fidelium sumi; ait enim : « Lavat itaque nos a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili spiritus sanctificatione transfertur; sicque *corpus et sanguis illius* non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur et occiditur, sed *fidelium ore suam sumitur in salutem.* Hujus recte figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Ægyptia servitute liberans, in memoriam ejusdem liberationis, per omnes annos immolatione sua populum eumdem sanctificare solebat, donec veniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque Patri pro nobis in hostiam odoremque suavitatis, mysterium suæ passionis oblato agno in creaturam

(1) L. ix. pro defensione iii. Capitulorum Cap. ult.

panis vinique transferret, sacerdos factus in æternum secundum ordinem Melchisedech. » [1]

264. *Obj.* 21. S. Bernardus, qui duodecimo sæculo ineunte floruit, in *Cœna Domini* Sacramentorum externam formam nuci comparat, occultam virtutem nucleo; formam iterum annulo hæreditatis investituræ signo, virtutem ipsi hæreditati. Sicut igitur nemo annulum in hæreditatem converti somniat, ita nec panem et vinum in corpus et sanguinem Christi, quorum sunt signa et pignora, converti docuit Bernardus.

265. *Resp.* Ipse Cosinus dubius videtur utrum concio hæc sit Bernardi: nam quæ deinceps citat, indubia pronuntiat. Nobis a stylo suavissimo sancti Abbatis longe videtur distare, quamvis nihil contineat fidei adversum. Auctor, quicumque fuerit, in die qui vocatur *Cœna Domini* disserens, de Sacramentis egit, hoc nomine complectens mysteria redemptionis, et pedum lotionem, et Baptismum et Eucharistiam. Cœpit igitur dicendo de passione Domini: « Tanta siquidem est vis Sacramentorum eorum quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, et pectus omne licet ferreum emollire sufficiant. » De his loquens utitur similitudine matris frangentis puero nucem, ut quam in fidei mysteriis evolvendis adhibuit industriam repræsentaret. Pergit dicere: « Multa quidem sunt Sacramenta, » et quum otium non suppeteret omnibus, de tribus tantum se acturum affirmat, inter quæ ablutionem pedum recenset. Præmittit notionem generalem Sacramenti, quatenus his conveniat, et utitur annuli imagine, ut majora nobis munera dari doceat, quam exterius videntur. Eucharistiæ divinam virtutem, postquam de Baptismo egerat, his declarat verbis: « Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite quia et in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis, Sacramenti Dominici corporis et sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, *gratias agat corpori et sanguini Domini*, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem. » Liquet hæc apprime consona esse catholico dogmati. Quod si quis contendat signum a re a Bernardo distingui, nulli repugnamus, quum externæ quæ oculis obversantur species corporis et sanguinis signa sint et velamina. Cæterum inverecundum est Bernardum Berengariani erroris vindicem exhibere, quum fidei studio claruerit, Pontificibus et toti Ecclesiæ ideo acceptissimus.

266. *Obj.* 22. In concione de Purificatione B. Mariæ Virginis, Bernardus dicit « corpus Christi in Sacramento cibum esse animæ, non ventris, ideoque nos eum haud manducare corporaliter, sed quo pacto ipse cibus est, a nobis manducatur. » Item in sermone de S. Martino docet: « quod usque hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter utique, non carnaliter exhibeatur. » Ita Cosinus.

267. *Resp.* Nihil hujusmodi in qualibet Bernardi de Purificatione B. Mariæ concione, diligenter licet legentibus,

(1) Beda, Hom. hiemales de Sanctis, in Epiphania Domini. tom. vii. p. 446. edit. Basil. MDLXIII. Pudeat Oxonienses Cosini opus luce iterum donasse, quum liqueat eum infidum esse in testimoniis citandis.

nobis contigit reperire.[1] Quod alio loco dicitur, ex contextu facile intelligitur. In illa Apostoli verba : « Jesus Christus heri, et hodie : ipse et in sæcula-, » disserens, dicit : « Jam transierat heri, jam illud nostrum illuxerat hodiernum, cum Apostoli loquerentur : « Et si cog- » novimus Christum secundum carnem, » sed jam nunc non novimus. » Videtur tamen et in hoc mane de carnibus Agni nonnihil esse servatum : sed quod residuum est utique jam datur igni : quod videlicet usque hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter utique, non carnaliter exhibeatur. » Liquet Christum dici haud carnaliter exhibitum, quia haud in typo agni, prout olim apud Israelitas, sed *spiritualiter*, velis obtectum Sacramenti, quod cum vera et substantiali præsentia non pugnat. De fide Bernardi nullus est dubitandi locus. Ipse narrat, in vita S. Malachiæ, clericum in Lesmor, de veritate corporis Christi in Eucharistia dubitantem, miraculo adactum ut eam confiteretur. « Is sciolus in oculis suis, præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodo Sacramentum, et non rem Sacramenti, id est solam sanctificationem, et non corporis veritatem. » Prædixit ei Malachias : « Dominus fateri te veritatem faciet vel ex necessitate. » Fugam meditatus est clericus infamiam hæreseos ferre non valens, sed correptus morbo in itinere reductus est in civitatem : « redit ad cor et ad misericordiam Domini. Eadem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas, abjicitur error : confessus reatum absolvitur; petit viaticum, datur reconciliatio, et uno pene momento perfidia ore abdicatur, et morte diluitur. »[2] Plura a Bernardo ipso patrata miracula occasione oblati Sacrificii refert coævus auctor Gulielmus Abbas.[3]

268. *Obj.* 23. Concilii Nicæni Patres nos a pane et vino ad Christum mentem attollere monent, nosque de elementis pauxillum ideo sumere docent, ne in ipsis hæreamus. Quis autem dixerit pauxillum de corpore Christi sumi? Ita Cosinus.

269. *Resp.* Verba a Gelasio Concilio tributa hæc sunt : « Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem et poculum : sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccatum mundi, *incruente a sacerdotibus immolatum* — πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ . . . . ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον — (*hæc verba de incruenta a sacerdotibus immolatione omisit Cosinus, mala, ut liquet, fide*), « et pretiosum ipsius corpus et sanguinem vere sumentes — καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς — credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum : — διὰ τοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον — ut sciamus quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus. » Insigne sane est testimonium de Christo vere in Sacramento præsenti, et a sacerdotibus incruente immolato, et a fidelibus vere recepto. Quod autem dicatur pauxillum sumi, ad sacras species obvio sensu refertur, sed corpus pretiosum et sanguis accepta agnoscuntur, etiam sub speciebus quantumvis parvis. Hæc omnia mire concordant cum Catholica doctrina, et disciplina, et probant tempore Gelasii, quinto scilicet sæculo, eamdem fuisse omnibus fidem; sed Concilii Nicæni auctoritatem certam non habent : eruditorum enim judicio scriptor ille res gestas plurimis auxit sui ingenii figmentis.

(1) Editio qua utimur operum Bernardi est Coloniæ Agrippinæ anno MDCLII.

(2) In vita S. Malachiæ v. c. XXVI.

(3) In vita S. Bernardi c. IX.

270. *Obj.* 24. Paschasius, monachus Corbejensis, qui ante nonum sæculum medium floruit, Eucharistia corpus et sanguinem Christi contineri primus inter Latinos excogitavit : de transubstantiatione tamen nihil somnians, quæ nonnisi sæculo undecimo cœpit propugnari, sæculo decimo tertio dogmatis auctoritatem tandem consecuta in Concilio Lateranensi. Paschasio autem vix aliqui ante sæculum undecimum assensi sunt, plerisque viris doctis repugnantibus, ex quibus sunt Amalarius, Rabanus, Joannes Erigena, Walafridus Strabo, Ratramus seu Bertramus.

271. *Resp.* Paschasius non singularem suam sententiam, sed totius orbis fidem se explicare professus est, nec ei id asserenti aliquis contradixisse noscitur : quamvis enim essent aliqui qui de tanto mysterio haud digne sentirent, nemo scripto Paschasio sese opposuit. Sub finem vitæ scribens id ipse testatus est : « Ideo quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod *totus orbis credit et confitetur.* » . . . « Videat qui contra hoc venire voluerit, magis quam credere, quid agat contra ipsum Dominum, et contra omnem Ecclesiam. »[1] Quod autem conversionem illam, quam vocamus transubstantiationem, tradiderit, omnino constat : « Sensibilis res, » inquit, « intelligibiliter virtute Dei per verbum Christi *in carnem ipsius ac sanguinem divinitus transfertur.* »[2] « Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra. Et quia voluit, licet in figura panis et vini, hæc sic esse, *omnino nihil aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt.* »[3] « Veram carnem Christi in mysterio sumimus. »[4] « Vera est Christi caro; vere creditur esse caro pro mundi vita : in veritate corpus et sanguis fit consecratione mysterii. »[5] Amalarius, quem Cosinus affirmat Paschasio repugnasse, adeo firmiter Christi corpus ore percipi in Eucharistia credidit, ut Stercoranistarum erroris incusetur : « Ita vero sumptum corpus Domini » inquit, « bona intentione, non est mihi disputandum utrum invisibiliter assumatur in cœlum, an reservetur in corpore nostro usque ad diem sepulturæ, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore. »[6] Rabanus, et Bertramus contra Paschasium non scripserunt, nec veritatem Christi corporis et sanguinis in Eucharistia negarunt, sed locutiones quorumdam, qui dicebant « quod nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat, » improbarunt : nam res agitur in mysterio sub specierum velo. Joannis Erigenæ placita nil faciunt contra manifestum totius Ecclesiæ consensum. Walafridus Strabo, testante Paschasio,[7] mysteria redemptionis nostræ vere esse corpus et sanguinem Domini tradidit. Quot absurdis scateat hypothesis de novo dogmate a Paschasio excogitato, et sensim sine sensu obtinente, feliciter exponit auctor operis de fide perpetua Ecclesiæ Catholicæ de Eucharistiæ Sacramento.[8]

(1) Epist. ad Frudegard.

(2) De corp. et sang. c. ii. (3) In Præf.

(4) De corp. et sang. c. i. et vi. (5) Ibidem.

(6) In litteris ejus in vii. vol. Spicilegii, cit. in opere. *La perpétuité de la foi*, t. i. l. viii. ch. xi.

(7) Pasch. de corp. et sang. c. i. et iv. Vide totam rem dilucide tractatam in opere : *La perpétuité* etc. loco cit.

(8) 1. « Il faut supposer, que la doctrine de la présence réelle étant inconnue à tous les Chrétiens du monde, ait été proposée par un jeune Religieux, dans quatre ou cinq chapitres d'un livre, comme l'unique doctrine de toute l'Eglise. Cela est fort difficile.

2. Il faut supposer, qu'après cette entreprise insensée, personne n'ait eu la charité trente ans durant de l'avertir qu'il était fou. Cela est encore très-peu probable.

272. *Obj.* 25. In fidei formula cui Berengarius subscripsit anno 1059, in Concilio Romano centum tredecim Episcoporum, præside Nicolao II. dicitur : verum corpus et sanguinem Christi « sensualiter non solum Sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri. » [1] Id autem nemo jam tenet.

273. *Resp.* « Intelligentia dictorum ex causis est sumenda dicendi. » Berengarius, ut suam hæresim celaret, corpus et sanguinem adesse in altari post consecrationem aliquando profitebatur, intelligens ea Sacramento adesse, signo scilicet, haud rei veritate. Ut igitur vera et substantialis agnosceretur præsentia, coactus est fateri illud vere manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri. Hæc tamen, instar plurium quæ ex Chrysostomo laudavimus, intelliguntur de corpore Christi sub speciebus sacramentalibus. Nihil igitur in ea formula affirmatur quod Catholicæ fidei non sit consonum. Optime S. Thomas ait : « Hoc modo intelligenda est confessio Berengarii, ut fractio et attritio dentium referatur ad speciem sacramentalem, sub qua vere est corpus Christi. » [2]

274. *Obj.* 26. Transubstantiatio nonnisi a Concilio Lateranensi IV. tamquam dogma proposita et definita est : nullum autem Concilium valet novum suo arbitrio cudere dogma.

275. *Resp.* Dogma quod voce illa exprimitur ab initio Ecclesiæ est traditum, uti ex tot quæ laudavimus testimoniis liquet : vox ipsa ante Concilium Lateranense est usurpata, centum

3. Il faut supposer, que cette nouvelle doctrine, si contraire à la raison, aux sens, et au consentement public, n'ait jamais été condamnée par aucun jugement ecclésiastique, et qu'elle n'ait pas même été déférée à aucun tribunal.

4. Il faut supposer, que tous les fidèles ayant passé de l'état de ne pas croire la présence réelle à l'état de la croire, aucun n'ait parlé de son changement, n'ait déploré le temps de son ignorance, et n'ait témoigné de la joie d'avoir appris un secret si important.

5. Il faut supposer, que de dix millions de personnes qui auraient dû s'employer à persuader aux autres la présence réelle, nul ne s'est mis en peine de faire aucun livre pour l'établir.

6. Il faut supposer que dix millions de prédicateurs de la présence réelle auraient tous résolu d'un commun accord de ne rien écrire, ni de leurs progrès, ni de la résistance qu'on leur faisait ; de ne point se plaindre de la dureté des peuples, et de ne point se réjouir des bénédictions que Dieu répandait sur leurs travaux.

7. Il faut supposer, que de cent millions d'hommes à qui on aurait dû proposer cette doctrine durant le dixième siècle, nul ne se serait mis en peine de la combattre par écrit.

8. Il faut supposer, que l'esprit de cent millions d'hommes se serait trouvé tourné à embrasser durant un siècle une opinion contraire à leur raison, à leur sens, à leur coutume, à leurs préjugés, à la foi dans laquelle ils avaient été nourris.

9. Il faut supposer, qu'un très-grand nombre d'expressions très-communes, très-populaires, et qui étaient dans la bouche de tous les Chrétiens du monde, auraient changé de sens par toute la terre, sans que personne s'en soit aperçu, et qu'on aurait commencé d'y substituer une idée toute nouvelle, en entendant le vrai corps de Jésus-Christ sous les mêmes termes par lesquels on ne comprenait autrefois que sa figure.

10. Il faut supposer, que toutes les passions qui portent à contredire ceux qui nous veulent montrer, que nous avons été dans l'ignorance et dans l'erreur pendant une partie de notre vie, se seraient éteintes, et n'auraient point fait leur effet ordinaire dans ce siècle.

11. Il faut supposer, que les haines, et les animosités, qui séparent les sociétés d'Orient de l'Eglise Romaine, n'auraient empêché aucune d'entr' elles de recevoir l'opinion de la présence réelle, qui aurait été inventée dans l'Eglise Latine au neuvième siècle.

12. Il faut supposer, que ces sociétés ne se seraient montrées dociles qu'en un seul point ; que leurs passions n'auraient cessé d'agir que dans un seul point ; et qu'ayant toutes pris de l'Eglise Romaine la foi de la transubstantiation, elles n'auraient voulu la suivre dans aucun des autres points pour lesquels elles se sont séparées d'elle. » *La perpétuité de la foi*, t. i. l. ix. c. xi.

(1) Apud Baronium Annalium t. xi. ad annum 1059.

(2) 3. p. qu. lxxvii. art. vii. ad 3.

saltem annis, a Stephano Augustodunensi : « Oramus ut cibus hominum fiat cibus Angelorum, scilicet ut oblatio panis et vini transubstantietur in corpus et sanguinem Jesu Christi. »[1] Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, qui anno 1133 obiit, transubstantiationis voce primus usus esse dicitur.[2] Sic etiam Petrus De Blois et plures alii eam adhibuerant. Cæterum licuit certe Concilio vocem novam adhibere ad vetus enuntiandum dogma, postquam hæretici, vocum ambiguitate usi, dogma impugnarunt; quod et fecit Nicænum Concilium « consubstantialem » Christum appellando. « An novitate offenderis, » inquit S. Athanasius, « an etiam rei ipsius veritatem, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum vocabulum accepit, non vocabulo rei veritas accessit. . . . . Etiamsi voces ita in Scriptura non extent, sententia tamen quam continent, vere in Scripturis habetur. »[3]

276. *Obj.* 27. Intima illa relatio panis et vini ad corpus et sanguinem Christi, quorum consecratione fiunt symbola, causa fuit cur ea fideles magna cum veneratione contemplarentur : unde per sæcula tenebricosa opinio Paschasii sensim sine sensu obtinuit, donec tandem nefas habitum sit de ea dubitare.

277. *Resp.* Relatio illa facile effugisset plerorumque mentem, nisi a pastoribus Ecclesiæ fuisset sæpissime inculcata. Facilius idcirco oblivioni fuisset data, quam in arcanum adeo stupendum aucta, vel præconum exaggeratis locutionibus, vel populorum fide. Sensim sine sensu non potuit nova sententia obtinere, quæ et sensibus humanis et rationi videbatur aperte adversari : nam nulla est societatis humanæ conditio, nulla ignorantia adeo crassa, ut non sentiatur quantum mysterium Eucharistiæ rationem superet, sensuumque relationi repugnet. Maximum foret in ordine morali miraculum, contra omnes leges quibus reguntur mentes, si universi ubique Ecclesiæ ministri, et qui ab Ecclesia divulsi sunt ab antiquis sæculis sectarum præcones per Orientis regiones, a fide de symbolis et signis ad veritatem præsentiæ Christi corporis docendam, sensim sine sensu transierint, et fideles et sectarii eos secuti sint duces in arcano colendo, quin mutationis doctrinæ et cultus ullum superesset vestigium, adeo ut qui sæculo undecimo impugnaverit realem Christi præsentiam, veluti novator et hæreticus, ab avita fide desciscens, a toto orbe christiano habitus sit.

278. *Obj.* 28. Transubstantiatio, utpote per se absurda et impossibilis, omnino rejicienda est : nec enim divinum dogma esse potest quod rationi aperte adversatur.

279. *Resp.* Quando de dogmatis revelatione perspicuis constat documentis, impium est rationem appellare judicem : constat autem omnino de transubstantiatione ex publica totius Ecclesiæ doctrina, assentientibus omnibus Orientis sectis etiam antiquissimis, et suffragantibus plurimis et lucidissimis Scripturæ testimoniis, et monumentis præclaris traditionis divinæ. Nullum profecto mysterium majoribus splendet revelationis indiciis. Quod si de ejus possibilitate agendum sit, et juxta rationis dictamina, prout ea nobis visa fuerint, judicandum de mysterio, actum est de revelatione. Sapienter igitur hanc objectionem deseruerunt Oxonienses, post dogmatis novissimum adversarium insignem.[4] Mysteria adoranda sunt, haud ratione

(1) De Sacr. Alt. c. iii. (2) Serm. xxxiii. et xciii.
(3) De decretis Synodi Nic.

(4) Juvat in rem nostram ipsius recitare verba : « The doctrine of Transubstantiation, like the

vestiganda, quod fatetur Cosinus, placiti sui de reali perceptione Christi in Eucharistia solicitus. [1]

280. *Obj.* 29. Repugnat ut accidentia maneant, substantia in aliam conversa: accidentia enim substantiæ sunt modi; quum ergo omnibus fatentibus accidentia panis et vini maneant, ipsa substantia adsit necesse est.

281. *Resp.* Accidentia, sensu philosophico, modi sunt substantiæ, sed species externæ aliquando sic nuncupantur. Equidem non repugnat ut speciei externæ rei veritas non respondeat: angelos enim sub humana forma latuisse novimus, et plurima visioni prophetarum exhibita, quæ rerum imagines et typi potius quam ipsæ res erant. Quis dicet repugnare, ut forma et color panis oculis exhibeantur, quin adsit vere panis? Quis asseret Deum non posse efficere ut gustus vini sentiatur, quin vinum potetur? Philosophicæ disceptationis de accidentibus haud soliciti, affirmamus fidenter formam et colorem manere absque substantia.

282. *Obj.* 30. Si sensibus referentibus panis vinique, etiam post consecrationem, præsentiam, credere non liceat, de omnibus rebus externis erit dubitandum: quum enim figura, color, gustus, et cætera omnia panis et vini adjuncta maneant, imo species ipsæ corrumpantur, et si nimio potu quis indulgeat, ebrietas sequatur, aut si venenum pani admixtum fuerit, moriatur manducans, certitudo de substantia panis et vini præsente maxima est; vel nihil unquam fidendum est sensuum relationi.

283. *Resp.* Sensuum relatio minime infirmatur, etsi credamus mentis nostræ judicium non debere eam sequi, Christo dicente corpus suum et sanguinem esse quæ nobis dantur. Profecto penes Deum est, ad suas perfectiones ostendendas, consuetum rerum ordinem nonnunquam mutare, præsertim quum nobis alia ratione rerum veritatis certam præbeat notitiam. Possumus quidem de rebus externis juxta sensuum relationem judicare, quotiescumque non constat Deum suam interposuisse potentiam. Sapientissime statuit Christus nullatenus variandas externas Sacramenti species, sed omnia exterius eadem videri, eosdemque sequi effectus, ne fidei deesset meritum, vel temeritati ac infidelitati pateret periculum divinæ veritatis faciendi ratio. Manent igitur figura, color, et gustus, externæ corruptionis species videntur, effectusque iidem sequuntur specierum receptionem, qui ex ipsa panis vinique substantia orirentur. Hæc omnia tamen

doctrine of the Trinity, is a question, not of abstract reasoning, but of pure evidence. We believe the revelation of God to be essential and unerring truth. Our business therefore, most plainly is, not to discuss the abstract absurdity, and the imagined contradictoriness of Transubstantiation, but to inquire according to the best means which we possess, whether it be indeed a doctrine of Holy Scripture. If sufficient evidence shall determine such to be the case, we may be sure that the doctrine is neither absurd nor contradictory: if the evidence be insufficient, we require not the aid of irrevelant abstract reasoning, for we then reject the doctrine because we have no sufficient evidence of its truth. Receiving the Scripture as the infallible word of God, and prepared with entire prostration of mind to admit his declarations, I shall ever contend that the doctrine of Transubstantiation, like the doctrine of the Trinity, is a question of pure evidence. » Faber, Difficulties of Romanism, c. iv.

(1) « If it seems impossible that the flesh of Christ should descend, and come to be our food, through so great a distance; we must remember how much the power of the Holy Spirit exceeds our sense and our apprehension, and how absurd it would be to undertake to measure His immensity by our weakness and narrow capacity; and so make our faith to conceive and believe what our reason cannot comprehend. » The History of Popish Transubstantiation, by John Cosin, Bishop of Durham, ch. iii.

panem et vinum manere non probant, Christo dicente : *Hoc est corpus meum : hic est sanguis meus.* Quod de veneno admixto dicitur, vi caret : nec enim Christus venenum, sed panem in suum corpus mutavit. Hanc nostram responsionem Augustini verbis de re alia placet confirmare. « Sed ne ipsi quidem oculi fallunt : non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant, ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro. . . . Si quis remum frangi in aqua opinatur, et cum inde aufertur integrari, non malum habent internuntium, sed malus est judex. . . . . Quare oculus recte, ad hoc enim factus est ut tantum videat; sed animus perverse cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Ille autem vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, et videre spiritalia, quod fieri non potest.»[1] Angelicæ et propheticæ visiones possunt etiam responsionem nostram illustrare.

284. *Obj.* 31. Transubstantiatio plurima includit miracula, quæ quotidie, imo singulis fere momentis, totum per orbem, a sacerdotibus peraguntur, quin aliquod prodeat eorum indicium : hæc miraculorum frequentia divinæ œconomiæ repugnat, quæ nonnisi perraro naturæ legibus derogari sinit, et miraculorum potestatem nulli hominum ordini alligavit, sed per sanctos plerumque viros, ex impulsione quadam divina ea patrari voluit, et quidem in fidei confirmationem, manifestis divinæ potentiæ indiciis, potius quam ad fidem exercendam, occulta quadam operatione.

285. *Resp.* Plurima quidem miracula divinæ potentiæ et bonitatis in mysterio eucharistico agnoscere oportet, qua de causa Chrysostomus et alii Patres ea verbis amplissimis celebrarunt : cæterum alterius sunt generis ab iis quæ ordinem naturæ interrumpunt, cum quibus proinde non sunt conferenda. Plurima singulis momentis contingunt gratiæ miracula, quibus scilicet Deus mentes illustrat superno lumine, cordaque dilectione cœlesti afficit, quæ non ideo deneganda sunt, quia a miraculis ordinis physici differunt. Equidem constat Christum hoc instituisse Sacramentum, illud conficiendi potestatem hominum certo ordini, sacerdotibus scilicet, tradidisse, illud perpetuo celebrandum voluisse, et ipsum corpus suum et sanguinem adesse declarasse. Quæ inde sequuntur non possunt allegari ut divinis ejus consiliis repugnetur; penes ipsum enim est qua voluerit ratione sua perficere opera. Sane conceptio virginea ab aliis miraculis discrepabat : nec enim quomodo contigerit poterat sensuum testimonio constare, nec ad fidem confirmandam inserviebat, sed in ea colenda fides exercetur.

286. *Obj.* 32. Transubstantiatio inutilis prorsus est : Christus enim se suis dare potest, absque panis et vini in corpus et sanguinem suum conversione.

287. *Resp.* Nostrum non est Christo præscribere leges, sed consilia ejus adorare, et beneficia nobis oblata grato amplecti animo. Si corpori anima conjuncta non fuisset, divina munera nobis donasset absque specie aliqua externa, uti monet Chrysostomus ; sed nostræ se misericorditer attemperavit conditioni, Sacramentum instituendo, quo eum sub externis illis speciebus accipimus, certi hac ratione facti cœlestis doni quo ditamur. Agnoscamus et adoremus tan-

(1) L. de vera Rel. c. xxxiii.

tam Dei et Salvatoris nostri munificentiam.

CAPUT IX.

DE LITURGIIS.

288. De Liturgiis aliquid diximus, sed quum gravissimum constituant argumentum, de iis specialius agendum duximus. Equidem fieri non potuit ut cultus publicus doctrinæ prædicatæ et apud omnes receptæ non responderet. Merito idcirco scripsit Cœlestinus I. ad Galliarum Episcopos, anno 431 : « Obsecrationum quoque sacerdotalium Sacramenta respicianus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. »

289. Λειτουργια vox est Græca quæ *munus publicum* significat, sacrum præsertim ministerium populi fidelis nomine a sacerdote peractum. De ministerio sacerdotii veteris apud Lucam usurpatur in Evangelio, [1] de sacro novi Testamenti munere in Actis Apostolorum : λειτουργουντων αυτων τῳ κυριῳ. [2] Illud a Vulgato interprete redditum est : « Ministrantibus illis Domino ; » ab Erasmo : « Cum illi sacrificarent Domino; » quam vim voci inesse Episcopus Anglicanus Buckeridge apud Oxonienses haud diffitetur. [3] Græci vocem retinuerunt, eaque designant ritum sacrificium celebrandi, quem Latini Missam vocant. Libros tum græcos, tum latinos, vel alia quavis lingua conscriptos qui ritum celebrandi Sacrificium novæ legis continent, hic intelligimus Liturgiarum nomine.

290. De Liturgiarum antiquitate, quarum plures Apostolorum Petri, Jacobi, et Evangelistæ Marci præseferunt nomina, inter eruditos homines disceptatum est : sed eorum nobis probatur sententia qui agnoscunt earum substantiam ad Apostolos referendam esse auctores, [4] quatenus quæ præcipua sunt præscripserunt viva voce, et sacris ministris demandarunt, ad eorum successores transmittenda. Eam primis ipsis sæculis scripto traditam verosimile est : nam de prece altera schismaticorum et hæreticorum ad altare, illicitis vocibus constante, Cyprianus loquitur; quapropter jam precem solemnem certis constantem verbis adhiberi a Catholicis, datur intelligere. Eam vero sola ministrorum memoria nixam ut servaretur vix credet qui Liturgias vetustissimas perlegerit, quæ prolixæ nimis sunt ut facile retineantur. Harum mira in rebus præcipuis concordia, communem e quo fluxerunt fontem denotat, et quæ ex publica oratione a Cypriano aliisque citantur, iis inveniuntur consona, ita ut tota Liturgia inde colligi quodammodo possit. Cæterum verosimile est Liturgias per tria priora sæcula manibus sacerdotum vel aliorum sacrorum ministrorum tantum teri consuevisse, nec fuisse vulgatas.

291. Præcipuæ Liturgiæ Orientales græco idiomate exaratæ sunt. Liturgia S. Jacobi ea dicitur quæ Hierosolymis

(1) Luc. i. 23. (2) Act. xiii. 2.

(3) « That which we read *ministering*, is translated by Erasmus to be sacrificing, *sacrificantibus illis*, and sacrificing did surely imply the representation of Christ's Sacrifice; and the word is λειτουργίαν, « offering of divine worship : » and so there was then a Liturgy, and all Liturgies had this Sacrament in them. » Bishop Buckeridge apud Oxonienses, vol. iv. N. 81.

(4) « All the ancient liturgies agree in this Form of Prayer almost in the same words, but fully and exactly in the same sense, order, and method ; which whosoever attentively considers, must be convinced that this order of prayer was delivered to the several churches in the very first plantation and settlement of them. » Bishop Bull xiii. Sermon apud Oxonienses, vol. ii. Tract. N. 64.

et apud Ecclesias alias Orientales in usu erat. Extitit certe ante Cyrilli Hierosolymitani tempora, qui quarto sæculo medio floruit; ea enim usus est, uti liquet ex catechesi ejus quinta cum Liturgia quæ superest collata. Eam in compendium redegerunt, testante S. Proclo, S. Basilius M. et S. Joannes Chrysostomus. Liturgia vetustissima quæ in libro octavo Constitutionum Apostolicarum legitur, ante Nicænum Concilium, uti eruditi censent, conscripta, præsupponit Liturgiam Jacobi.

292. Liturgia S. Marci, in Alexandrina Ecclesia, adhiberi consuevit ab antiquissima ætate; Eutychiani enim, qui Jacobitæ dicuntur ab anno 451, quo Chalcedonense habitum est Concilium, ab Ecclesia Catholica divulsi, ea adhuc utuntur.

293. Liturgia Clementis Romani ea dicitur quæ in libro Constitutionum Apostolicarum habetur.

294. Liturgia Dionysii Areopagitæ nomine insignita, in libro tertio de Hierarchia ecclesiastica occurrit. Scriptum hoc opus nonnullis eruditis videtur ante medium quintum sæculum.

295. Liturgia a Basilio Magno in novum ordinem disposita noscitur, sicut et a Chrysostomo, quarum tamen codices aliquas habent varietates: sed utraque Liturgia a mille trecentis et amplius annis a Græcis adhibita est. Nestoriani, ab Ecclesia ab anno 431 divulsi, Chrysostomi Liturgiam retinent.

296. Inter Liturgias Occidentales primum occupat locum Romana, quæ S. Petri dicitur, utpote juxta ejus instituta composita. Codex vetustissimus ille est qui dicitur: *Codex Sacramentorum vetus Romanæ Ecclesiæ, a S. Leone Papa I. confectus.* Superat cæteros omnes codices liturgicos, sive Orientales, sive Occidentales, ætate et integritate, nihilque continet quod quinto saltem sæculo sit posterius. Alter codex est Gelasianus, Gelasio primo auctore, dictus idcirco Gelasii Sacramentarium. In tres distribuitur libros, quorum primus agit *de mysteriis*, seu *de anni circulo*, per quem celebrantur, secundus *de Natalitiis Sanctorum*, tertius est *pro Dominicis diebus* post Pentecosten. Tertius codex est liber Sacramentorum Gregorii M., qui apud plerasque Occidentis Ecclesias usurpatus, plurimas varietates passus est.

297. Liturgia Ambrosiana dicitur quæ in Ecclesia Mediolanensi usurpata a remota valde antiquitate a S. Ambrosio recognita est, et in ordinem redacta.

298. Liturgia Gallicana dicitur quæ ante Caroli Magni tempora adhibita est in Galliis, sed cessit, ipso agente, Romanæ. Habentur plures ejus codices, quorum aliqui ad octavum sæculum referuntur, vel ad septimum.

299. Liturgia Mozarabica, quæ et Hispanica dicitur, ea est qua utebantur Hispani, Arabibus dominantibus: solebant enim hi Mostarabes, vel Mozarabes, Hispanos vocare, veluti *extra Arabes*, uti vox illa explicatur. Dicta est etiam *Gotho-hispanica*, et *Gotho-gallicana*, quia Gothis dominantibus antea Hispaniis et Galliæ meridionali, usurpari consuevit: magnæ proinde est antiquitatis.

Hac brevi Liturgiarum notitia præmissa, quam ex libro de antiquis Liturgiis a Theobaldo Lienhart ante paucos annos edito,[1] compendio damus, argumentum ipsum de re eucharistica, quod jam indicavimus, fusius exponendum est.

Propositio.

Vera, realis, et substantialis præsentia corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Sacramento Eucharistiæ, et transubstantiationis dog-

(1) Argentorati, 1829.

ma invicte demonstrantur ex Liturgiis omnibus antiquissimis, toto orbe christiano usurpatis.

300. *Probatur*. Liturgia S. Jacobi, juxta codicem in Bibliotheca veterum Patrum, invocationem continet Spiritus sancti : « Ut superveniens sancta et bona et gloriosa sua præsentia sanctificet et *efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui*. Amen. *Et calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui*. Amen. »[1] Alter codex quem exhibet Renaudotius habet : « Ut adveniens efficiat panem istum corpus cœleste, corpus animabus et corporibus salutem præstans, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et vitam æternam accipientibus illud. » Populus dicit : « Amen. » « Et mistum quod est in hoc calice, efficiat sanguinem Testamenti novi, sanguinem salutarem, sanguinem vivificum, sanguinem cœlestem, sanguinem animabus et corporibus salutem præstantem, sanguinem Domini nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et vitam æternam suscipientibus illum. » Populus dicit : « Amen. »[2]

301. Ille quem prius laudavimus codex, post Dominicam orationem presbyterum exhibet precantem : « ut efficiamur digni qui socii et participes simus sanctorum tuorum mysteriorum. » Alter codex habet : « ut digni simus communicandi corpori et sanguini Christi Salvatoris nostri. »

302. Ad fractionem hostiæ dicit sacerdos, juxta priorem codicem : « Unio sanctissimi corporis et pretiosi sanguinis Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. » Juxta alterum : « Inspergitur sanguis Domini nostri corpori ejus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. »

303. Ille codex *circa communionem* hæc habet : « Gustate et videte, quod benignus est Dominus, qui in partes distributus, ac non divisus, et fidelibus impertitus, nec consumptus est, in remissionem peccatorum et vitam æternam. » Precatur insuper sacerdos : « ut citra condemnationem particeps fiam sancti corporis et pretiosi sanguinis in remissionem peccatorum, et vitam æternam. »

304. Codex Renaudotii habet : « Sacerdos accipit corpus Christi dicens : « Præsta, Domine, ut sanctificentur » corpora nostra per corpus sanctum » tuum, et purificentur animæ nostræ » per sanguinem tuum propitiatorium. » « Dat Eucharistiam dicens : « Corpus et » sanguis Domini nostri Jesu Christi » datur tibi in veniam delictorum, et » remissionem peccatorum in utroque » sæculo. »

305. Cyrillus Hierosolymitanus plane usus est hac Liturgia, ritum autem exponens dicit invocari Spiritum sanctum, « ut faciat panem corpus Christi, vinum sanguinem Christi. » — ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα Χριστοῦ, τὸν δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ. Refert sacerdotem porrigentem panem eucharisticum dicere : *corpus Christi* : cui respondebatur, *Amen* ; post communionem corporis Christi propinare sanguinis poculum, quem pronus adorabat qui illum bibebat.[3]

306. Liturgia S. Marci hanc habet invocationem Spiritus sancti : « Emitte præterea super nos, et super panes et calices istos Spiritum sanctum tuum, ut eos sanctificet et conservet, tamquam Deus omnipotens (*elata voce*) et « *faciat panem quidem corpus*. » *Populus* dicit : Amen. *Sacerdos elata voce : Calicem autem sanguinem* Novi Testamenti ipsius Domini et Dei, et Servatoris, et summi Regis nostri Jesu Christi. »

(1) Bibliothecæ Patrum t. ii. edit. Lugdun.
(2) Apud Renaudot, Tom. II. Liturgiæ Orientis.
(3) Catechesi xxiii. mystag. v. n. vii.

Post plura orat : « ut digne participemus iis quæ nobis proposita sunt bonis immaculati corporis et pretiosi sanguinis unigeniti Filii tui. » Cum distribuit Clero, dicit : « Corpus sanctum. » Ad calicem : « Sanguis pretiosus Domini et Dei, et Salvatoris nostri. » Post communionem tres orationes dicuntur; in prima dicitur « communio sancti corporis et pretiosi sanguinis; » in secunda, « sumptio intemerati corporis tui et pretiosi sanguinis tui; » in tertia, « participatio sanctissimi corporis et pretiosi sanguinis unigeniti Filii tui. »

307. Liturgia quæ inter Constitutiones Apostolicas reperitur, hæc habet in invocatione : « Supra hoc *sacrificium* mittas sanctum tuum Spiritum, testem passionum Domini Jesu; ut exhibeat panem hunc corpus Christi tui — ὅπας ἀποφήνῃ τον ἄρτον τουτον σῶμα τῦ Χριστῦ συ — et calicem hunc sanguinem Christi tui — καὶ τό ποτήριον τοῦτο αἷμα τῦ Χριστῦ συ. » Episcopus post plura populum alloquitur : « Sancta Sanctis — τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις . . . Episcopus quidem tribuat oblatum, dicens : *Corpus Christi* — σῶμα Χριστῦ, et qui recipit, respondeat : Amen; Diaconus vero teneat calicem, ac tradendo dicat : *Sanguis Christi, calix vitæ* — αἷμα Χριστῦ, ποτήριον ζωῆς; et qui bibit, *Amen*, respondeat. »[1] *Descriptio Ecclesiæ, et Cleri, et quid facere debeat unusquisque Clericus vel laicus in Synaxi congregatus*, alibi in Constitutionibus datur, cujus in extrema parte hæc habentur : « Post illa Sacrificium fiat, stante omni populo, et tacite precante : cumque oblatum fuerit, unusquisque ordo seorsum dominicum corpus ac pretiosum sanguinem sumat, — μεταλαμβάνετω ἑκαστη τάξις καθ' ἑαυτὴν τῦ κυριακῦ σώματος καὶ τῦ τιμίου αἵματος — accedentes ordinate, ac cum reverentia et timore, utpote ad corpus Regis. »[2] Oratio post communionem incipit : « Percepto pretioso corpore et pretioso sanguine Christi : — Μεταλαβόντες τῦ τιμίου σωμάτος, καὶ τόυ τιμίου αἵματος τόυ Χριστου — agamus gratias ei. »

308. Liturgia S. Basilii tres præcipue varietates codicum habet, *usualem* scilicet, *Copticam*, et *Alexandrinam*. In *usuali* precatur sacerdos, post explicatum corporale, linteum scilicet quo hostia est excipienda : « Fac me virtute sancti tui Spiritus idoneum, ut sacerdotii gratia indutus huic sanctæ mensæ assistam, et sanctum tuum et immaculatum corpus tuum et sanguinem pretiosum consecrem . . . tu enim es qui offers, et offerris — συ γαρ ει ὁ προσφερων καὶ προσφερομενος. » In *Coptica* sic precatur sacerdos : « Ostende faciem tuam super hunc panem et super hunc calicem, quos super mensam hanc tuam sacerdotalem posuimus : benedic eos, sanctifica eos et consecra eos. *Transfer eos, ita ut panis quidem hic fiat corpus tuum sanctum, et hoc mistum in hoc calice, sanguis tuus pretiosus.* » In singulis exemplaribus Liturgiæ hujus, quod fecit Christus Eucharistiam instituendo recitatur magna cum solemnitate, et fit invocatio Spiritus sancti. In *usuali* : « Proponentes antitypa[3] sancti corporis et sanguinis Christi tui, te rogamus et te obsecramus, Sancte Sanctorum, per tuæ bonitatis placitum, ut Spiritus sanctus tuus ad nos veniat, et ad hæc proposita dona, et ea benedicat, et sanctificet, et efficiat . . panem quidem pretiosum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi

(1) Vide Constit. Apost. l. viii. c. 5-16.

(2) Ibidem l. ii. c. 57.

(3) Vox hæc typo nonnunquam respondet, aliquando typi impletioni. Panis et vinum antitypa sunt corporis et sanguinis Christi : hæc enim oblatione Melchisedeciana præsignata sunt; vocari etiam possunt hoc nomine species quibus velantur corpus et sanguis.

— αὐτὸ τὸ τίμιον σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ — hunc vero calicem pretiosum sanguinem Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi . . . qui pro mundi vita effusus est . . . . immutans — μεταβαλὼν — Spiritu sancto tuo. » In *Coptica* invocat Spiritum sanctum ut : « panem quidem hunc (*ter panem cruce signabit*) faciat corpus sanctum ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod datur in remissionem peccatorum et vitam æternam ei qui illud percipiet. » *Populus :* Amen. *Sacerdos ter cruce calicem signabit et dicet :* « Et hunc calicem sanguinem pretiosum Novi Testamenti tui, (*tunc corpus et sanguinem pretiosum designabit*) ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui datur in remissionem peccatorum , et vitam æternam illis qui illum percipient. » *Alexandrina* continet etiam invocationem similem, iisdem fere verbis, adeo ut ea repetere supervacaneum.

309. Precatur deinceps : « Fac ut nemo nostrum ad judicium vel condemnationem sit particeps sancti corporis et sanguinis Christi tui. » Ita in *usuali* habetur. *Ad communionem* orat Christum : « qui supra cum Patre sedes, et hic nobiscum invisibiliter versaris, dignare potenti tua manu impertiri nobis illibatum corpus tuum, et pretiosum sanguinem, et per nos toti populo. » In *Coptica* post fractionem hostiæ, tres illius partes dexteræ manui imponit et dicit : « *Corpus sanctum et sanguis pretiosus*, *purus*, *verus*, *Jesu Christi Filii Dei nostri.* Amen. *Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri*, *hoc est in rei veritate.* Amen. Credo, credo , credo et confiteor usque ad extremum vitæ spiritum hoc esse corpus vivificum Filii tui. . . Jesu Christi. » In *Alexandrina* Sacerdos elevans Σπουδαῖον ait : « Sancta Sanctis . . . . Corpus sanctum et sanguis pretiosus, verus Jesu Christi Filii Dei Amen. Corpus sanctum et sanguis pretiosus, verus Jesu Christi Filii Dei. Amen. Corpus et sanguis Emmanuelis Dei nostri, hoc est vere. » *Populus :* « Amen. Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod hæc ipsa est caro vivifica, quam accepisti, Christus Deus noster, ex sancta Domina nostra, Deipara, semper Virgine Maria . . . tradiditque pro nobis omnibus ipsam carnem super lignum crucis sanctæ. »

310. Liturgia S. Chrysostomi Græci utuntur plerumque, utpote breviori. Basilii Liturgiam Dominicis per magnam Quadragesimam, Paschali tempore, et nonnullis aliis diebus adhibentes, prout testatus est Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus anno 1576 acatholicis Germaniæ respondens. In ea sacerdos cruce ter signat sancta, et dicit secreto : « Fac quidem panem hunc, pretiosum corpus Christi tui. » *Diaconus*. Amen. *Et iterum diaconus:* « Benedic, Domine, sanctum calicem. *sacerdos autem benedicens, ait :* « Quod autem est in hoc calice, pretiosum sanguinem Christi tui. » *Diaconus*. Amen. *Et rursus Diaconus utraque sancta stola demonstrans*, ait : « Benedic, Domine. » *At sacerdos utraque sancta manu benedicens ait :* « Immutans — Μεταβαλὼν — Spiritu tuo sancto. » *Diaconus* Amen, Amen, Amen. » *Ad Communionem, sacerdos tenens sanctum panem porrigit diacono,* et *exosculans diaconus porrigentem sibi manum, accipit sanctum panem, dicens :* « Impertire mihi, Domine, pretiosum et sanctum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. » *Sacerdos autem dicit :* « Impertior tibi pretiosum et sanctum et illibatum corpus Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum, in vitam æternam. » *Et secedit retro sanctam mensam inclinans caput, et orat eodem modo quo sacerdos. Similiter autem sacerdos accipit sanctum panem, inclinans caput ante sanctam mensam et*

precatur hoc modo : « Credo, Domine, et confiteor, quod tu es Christus Filius Dei vivi. » . . . « Dignare me participem effici sanctissimi tui corporis et sanguinis. » . . . « Indulge mihi cuncta, ut bonus, et clemens, intercessionibus intemeratæ tuæ et semper Virginis Matris incondemnatum me custodi, ut sumam pretiosum et immaculatum corpus tuum.»[1]

311. In Missali Chaldaico habetur Liturgia Chrysostomo tributa, quæque verosimiliter ad Liturgiæ suæ exemplum facta est. In ea precatur sacerdos ut Spiritus sanctus adveniat : « Et panem istum exhibeat corpus Christi Dei mei. » *Populus :* « Amen. » *Sacerdos :* « Et mistum, quod est in hoc calice perficiat sanguinem ejusdem Christi Dei nostri. »

312. Liturgia Nestorianorum præcipua sanctorum Apostolorum nomine insignitur, et ab Apostolo Thaddæo, et sancto Mari dicitur composita. In ea sacerdos Deo gratias agit : « fecisti nos dignos administrandi mysteria sancta corporis et sanguinis Christi tui » Accedens ad hostiæ fractionem, dicit : « Accedimus, Domine, cum fide vera, frangimusque cum confessione, et signamus per misericordiam tuam, corpus et sanguinem vivificatoris nostri Jesu Christi. »Postcommunio incipit his verbis : « Christus, Deus noster, Dominus, Rex, Salvator et Vivificator noster, per gratiam suam dignos fecit nos suscipiendi corpus ejus, sanguinemque ejus pretiosum. » Christiani qui dicuntur S. Thomæ in Indiis Orientalibus Liturgia utuntur, in qua verba Domini sic recitant : *Hoc est in veritate corpus meum : Hic est in veritate calix sanguinis mei.* Ad fractionem hostiæ dicitur : « Accedimus, Domine, in fide veritatis nominis tui ad hæc sancta mysteria; ac pietate tua frangimus, et misericordia tua signamus corpus et sanguinem Salvatoris nostri Jesu Christi. » Ad communionem : « Fratres mei, suscipite corpus ipsius Filii Dei, dicit Ecclesia, et bibite ipsius sanguinem. »[2]

313. Liturgia Armenorum, prout Uscanus Episcopus Armenus, schismati licet addictus, anno 1666 testatus est, dum Amstelodami versaretur, invocationem continet Spiritus sancti : « Quo panis iste benedictus *corpus vere factum est Domini nostri Jesu Christi*, et calix iste benedictus *factus fuit sanguis vere Domini nostri Jesu Christi.* » Varie tamen id legi dixit; nonnulli enim codices habent : « Quo panis et vinum benedicta facta vere corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi. Amen. » Nonnulli sic legunt : « Quo panem istum benedicens, corpus facies Domini nostri; et calicem istum benedicens, vere facies sanguinem Domini nostri Jesu Christi. » Postea panem consecratum sacerdos appellat « *verum corpus Salvatoris Domini nostri;* » et ter dicit super calicem : « *Sanguis verus est Domini nostri Jesu Christi.* »[3]

314. Cophti, Ægyptii scilicet, præter Liturgiam S. Basilii, utuntur Liturgiis S. Cyrilli Alexandrini, et S. Gregorii. Invocatur Spiritus sanctus in Liturgia quæ Cyrilli fert nomen : « super hunc panem et super hunc calicem, ut purificentur et transferantur . . . et hunc panem quidem faciat corpus Christi . . . et hunc calicem faciat quoque sanguinem pretiosum Testamenti Novi . . . ejusdem Domini, Dei, Salvatoris et Regis omnium nostrum Jesu Christi. »

315. In Liturgia quæ fert nomen S.

(1) Melanchton ut Lutheranam de reali præsentia sententiam defenderet, « adducit canonem Missæ apud Græcos, in quo aperte orat sacerdos, ut *mutato pane ipsum corpus Christi fiat.* » In Conf. Aug. apol. apud Walchium Introd. l. c. iii. p. 289. (2) In Biblioth. Patrum.

(3) Cit. in opere. *Perpétuité de la foi,* l. v. ch. vii. p. 377. 380.

Gregorii precatur sacerdos : « Ipse igitur, Domine, tua voce hæc proposita transmuta — μεταποίησον. — Ipse Spiritum tuum sanctum mitte, ut adveniens, sancta, bona et gloriosa sua præsentia sanctificet et transmutet proposita pretiosa, et sancta dona ista, in *ipsum corpus et sanguinem* nostræ liberationis. » *Populus* : « Attendamus. » *Diaconus :* « Amen. » *Sacerdos alta voce :* « Et faciat panem quidem istum fieri sanctum corpus tuum Domini Dei et Salvatoris, supremique Regis omnium nostrum Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam communicantibus ex illo. » *Ad communionem sacerdos ter dicit :* « Corpus sanctum et sanguis pretiosus, verus Jesu Christi Filii Dei, Amen. Emmanuel Dei nostri, hoc est vere. Amen. *Populus :* « Amen, Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum spiritum, quod *hæc ipsa est caro vivifica*, quam accepisti, Christe Deus noster, ex sancta Domina nostra Deipara, et semper Virgine Maria. » Post communionem dicitur : « Concede nobis per immaculatum corpus tuum et pretiosum tuum sanguinem redemptionem, sicut benigne præstitisti nobis nunc ut ex ipsis Eucharistiam acciperemus. »

316. Jacobitæ, Eutychiano errore infecti, in Syria, Ægypto et Abyssinia, præter S. Jacobi Liturgiam, utuntur alia quam S. Maruthæ catholico tribuunt, qui circa finem sæculi quarti floruisse dicitur. In ea habetur invocatio S. Spiritus iisdem fere verbis quibus aliæ Liturgiæ, et post recitatam Sacramenti institutionem dicit Sacerdos : « Illos etiam corporis et sanguinis sui sancti participes faciens, doctrina divina erudiit. » Alia utuntur Liturgia quæ beati Jacobi Edesseni dicitur. In invocatione legimus : « ut efficiat panem hunc ipsum corpus Christi Dei nostri, et calicem hunc exhibeat ipsum sanguinem Christi Dei nostri. »

317. Æthiopes in sua Liturgia, post Christi verba in panem recitata a sacerdote, clamant : « Amen, Amen, Amen. Credimus et certi sumus, laudamus te, Domine Deus noster, hoc est vere, et ita credimus, corpus tuum. » Similiter post verba in calicem, populus dicit : « Amen. Vere est sanguis tuus, credimus. »

318. In Liturgia Romana, juxta antiquissimos Gelasii et Gregorii codices, habetur, uti hodie, oratio : « ut nobis *corpus et sanguis fiat* dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. » Post consecrationem dicit sacerdos : « Offerimus præclaræ majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. » Ad postcommunionem in festo SS. Processi et Martiniani orat sacerdos : « Corporis sacri et pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus. » Ad S. Petrum ad Vincula : « Corporis sacri et pretiosi sanguinis repleti libamine, » etc. In Exaltatione S. Crucis ad postcommunionem : « Jesu Christi Domini nostri corpore et sanguine saginati, per quem crucis est sanctificatum vexillum. » [1]

319. In Missa Ambrosiana ea quæ supra ex Romana recitavimus ad verbum fere habentur. Præterea ad fractionem sacerdos dicit : « Corpus tuum frangitur, Christe, calix benedicitur. » Partem in calicem demittens, ait : « Commixtio consecrati corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis edentibus et sumentibus profi-

(1) Mirum est Bullum aliosque Missam Romanam dogmati transubstantiationis adversari affirmasse, quum verbis perspicuis, quamvis minus vehementibus, illud adstruat.

ciat ad vitam et gaudium sempiternum. » Sumens calicem ait : « Præsta, quæso, Domine, ut perceptio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi ad vitam nos perducat æternam. » Postea : « Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, ut de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat nobis remedium sempiternum. »

320. Missa Mozarabica in Missali *omnium offerentium*, institutionem exhibet, et post verba : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; » præscribitur : « *Hic elevetur corpus.* » Post verba consecrationis calicis, præscribitur elevatio calicis, et deinceps dicit : « *elevet corpus Christi*, » quod super calicem tenens recitat Symbolum Constantinopolitanum. Ante communionem orat sacerdos : « Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere. Ave in ævum *sanctissima caro Christi*. . . . . Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus et animam meam in vitam æternam. Amen. » Post communionem orationes variæ recitantur : « Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod accepimus, et sanctus sanguis ejus, quem potavimus, adhæreat visceribus nostris, æterne omnipotens Deus. » — « Refecti Christi corpore et sanguine pariter · quia sanctificati Deo Patri omnipotenti gratias referamus. »

321. Ex Missali Gothico, seu Gothico Gallicano, Missa XI, quæ est in diem sanctum Epiphaniæ, sic incipit : « Venerabilem ac primitivum in mirabilibus Epiphaniæ diem . . . veneremur, pia obsecratione poscentes, ut qui tunc aquas in vina mutavit, nunc in sanguinem suum oblationum nostrarum vina convertat. » In Missa XX in Cathedram S. Petri Apostoli post mysterium sacerdos precatur : « ut immittere digneris Spiritum tuum sanctum super hæc solemnia, ut fiat nobis legitima Eucharistia in tuo Filiique tui nomine, et Spiritus sancti, in *transformatione* corporis ac sanguinis Domini nostri Jesu Christi, Unigeniti tui, edentibus nobis vitam æternam, regnumque perpetuum collatura bibentibus. » Missa LXXX dominicalis post secreta habet : « Explentes sacrosancta cæremoniarum solemnia, ritu Melchisedech summi sacerdotis oblata, precamur mente devota te, Majestas æterna, ut operante virtute, *panem mutatum in carne*, *poculum versum in sanguine* illum sumamus in calice qui de te fluxit in cruce ex latere. » Et post orationem dominicam : « Libera nos a malo, Domine Jesu Christe. Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus, et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus. »

322. Missale Francorum in ordinatione presbyteri Episcopum orantem inducit : « Ut per obsequium plebis tuæ corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transformet. » Missa XXI super oblata : « Deus qui legalium differentias hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti; accipe sacrificium a devotis tibi famulis . . . ut Filius tuus Jesus Christus, qui se usque in finem sæculi suis fidelibus promisit adfuturum, et *præsentiæ corporalis mysteriis* non deserat quos redemit, et majestatis suæ beneficiis non relinquat. »

323. Missale Gallicanum vetus plura suppeditat. In Missa S. Germani Episcopi, collectio post Eucharistiam : « Sumpsimus ex sacris altaribus Christi Domini ac Dei nostri corpus et sanguinem . . . aspice, Domine, qui et tuo vesci corpore, et tuum corpus effici vis fideles. » In Missa XVII feria V in cœna Domini, post *Sanctus* : « Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem jejunii cœnæ dominicæ, in qua Dominus noster Jesus Christus Filius tuus in Novo Testamen-

to sacrificandi ritum instituit, dum panem et vinum, (quæ Melchisedech in præfiguratione futuri mysterii sacerdos obtulerat), in Sacramento sui corporis et sanguinis *transformavit;* quæsumus, Domine, ut placatus accipias. »

324. Sacramentarium Gallicanum, in Missa *quadragesimali*, *contestationem* habet : « Hunc panem, Domine, nobis ministrare non desinas, quem ut sitiamus (*esuriamus*) indesinenter hortaris, cujus carne a te ipso sanctificata dum pascimur, roboramur, et sanguine dum potamur, abluimur. » In Missa S Sigismundi regis, *contestatio :* « Tua dona sunt, Domine, ut in nomine electi tui Sigismundi per communionem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi Filii tui a famulo tuo, *ill.* [1] tempestatis frigora, febrium ardorem repellas. »

325. In ipsa quam Matthias Flaccus Lutheranus edidit anno 1557, Missa Latina, quæ in Galliis olim recitari consuevit, documenta clarissima realis præsentiæ habentur : « Sanctifica, Domine, hanc oblationem, ut nobis unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus fiat. » « Oblatum tibi, Domine, calicem sanctifica, ut nobis Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi sanguis fiat. » Post orationem dominicam præscribitur : *Misceatur corpus dominico sanguini, et dicatur :* « Hæc sacrosancta commixtio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus nobis sumentibus salus mentis et corporis. » Communio sic se habet : *Quando corpus dominicum sacerdos in manus accipit, dicat :* « Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo. » Sequitur oratio : « Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quam indignus sumere præsumo, etc. » *Cum corpus sumitur :* « Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam. » . . . « Communicatio et confirmatio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, et conservet me ad vitam æternam. » *Cum sanguis sumitur :* « Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam æternam. » Post perceptam communionem : « Corpus tuum, Domine, quod accepi, et calix quem potavi, adhæreant in visceribus meis. » *Deinde presbyteris et diaconis corpus in manus accipientibus, et communicantibus dicitur singulis :* « Pax tecum : R. Et cum Spiritu tuo. » *Alia :* « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. » Calicem vero cum sacrosancta commixtione dando unicuique, dicat : « Hæc sacrosancta commixtio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi ad vitam æternam. » Post communionem inter preces dicit : « Præsta, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, ut qui corpus et sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus, et bibimus, fiat nobis ad salutem. »

326. Ex his omnibus Liturgiis patet veram, realem, et substantialem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia præsentiam, et transubstantiationem, semper et ubique agnitam fuisse in Ecclesia catholica per orbem, imo agnosci adhuc a sectariis toto Oriente diffusis, et ab iis qui in Ægypto versantur. Equidem omnes Liturgiæ panem et vinum Spiritus sancti virtute mutari et converti in corpus et sanguinem Christi tradunt, hæcque ore fidelium sumi. Ideo hæ occurrunt voces μεταβαλων, μεταποιησον, *transformatio.* Quum autem Liturgiarum substantia ab Apostolis derivetur, uti patet ex earum antiquitate, et in rebus præcipuis con-

(1) *Illo :* ita olim nominandus designabatur, qui littera N. nunc indicatur.

cordia, liquet dogma fidei de vera, reali, et substantiali præsentia, adeoque de transubstantiatione, fuisse ab Apostolis traditum, et basim esse totius cultus christiani.

Objectiones.

327. *Obj.* 1. Liturgiæ fere omnes invocationem Spiritus sancti, ut transmutet et transformet panem et vinum, institutionis narrationi subjungunt, ideoque verbis consecrationis prolatis nulla agnoscitur substantiarum mutatio, nec aliud proinde postulatur, quam ut Spiritus sancti benedictione fiant symbola et signa corporis et sanguinis Christi, cum cœlesti quadam virtute et efficacia conjuncta.

328. *Resp.* Hanc interpretationem nullo modo patiuntur perspicua illa quæ protulimus testimonia. Quamvis autem daremus iis qui Orientales Liturgias composuerunt, et qui eas adhibent, persuasum esse illa Spiritus sancti invocatione, potius quam verbis Dominicis confici Eucharistiam, vel ex verbis Domini una cum invocatione integram formam consecrationis constare, non ideo licebit de præsentia reali et substantiali, quæ adeo manifeste in Liturgiis declaratur, dubitare. Cæterum eruditi homines, Græcorum et Orientalium testimoniis innixi, judicarunt consecrationem verbis Christi perfici, sicut olim docuit Chrysostomus, Liturgiæ licet auctor insignis: invocationem autem Spiritus sancti rem veluti adhuc peragendam spectare, adeo ut sacerdos divinum opus veluti admirans, orat ut fiat mira illa substantiæ mutatio, quam jam factam esse novit. Sic in oblatione panis hostiam immaculatam se Deo offerre dicit, miram illam panis in corpus Christi conversionem, quæ futura est, veluti factam contemplans. Ita post Episcopum Ostunensem Naironus, [1] cui assentitur Assemanus, [2] Orientalis uterque, et consuetudines et sententias suorum apprime edocti. Græci ipsi in Concilio Florentino de verbis Domini interrogati, responderunt se fateri per hæc verba consecrari divinum panem et fieri corpus Christi. — τελειοῦσθαι τὸν θεῖον ἄρτον καὶ γίνεσθαι σῶμα Χριστοῦ. [3]

329. *Obj.* 2. « Ex ipsis hisce Liturgiis, si consideramus quæ sequuntur, patet quod nulla mutatio, aut conversio substantiæ indicetur. » Ita Walchius. [4]

330. *Resp.* Id gratis asseritur, et contra rei evidentiam: nam quæ sequuntur ostendunt corpus et sanguinem Christi adesse, et sacerdotis manu dari, et ore fidelium suscipi, nec aliud quidquam; proinde veram contigisse substantiæ panis et vini mutationem.

331. *Obj.* 3. In Liturgiis pluribus orat sacerdos ut Spiritus sanctus exhibeat — ἀναδεῖξαι — ἀποφαίνειν — corpus et sanguinem Christi. Ergo veritas corporis non ibi agnoscitur, nec ulla substantiæ mutatio.

332. *Resp.* Non orat sacerdos ut panis et vinum exhibeant corpus et sanguinem Christi, sed ut ipse Spiritus sanctus panem et vinum faciat et exhibeat corpus et sanguinem Christi; vocum enim Græcarum eadem est vis, uti Isaacus Causaubonus, Græcis litteris insignis, et Protestantium in castris militans, agnovit. [5] — ἀναδεῖξαι quippe dicitur magistratibus creatis, sicut et ἀποφαίνειν. [6] Equidem unaquæque Liturgia verum corpus adesse declarat, et ideo mutationem substan-

(1) In Euoplia p. 159.
(2) Bibliotheca Orientalis p. 200.
(3) Acta Conc. Flor. Sess. xxv.
(4) Introductio ad lib. symb. l. i. c. iii. § xxxiii. p. 291.
(5) Exercit. in Baron. p. 520. Ed. Lond.
(6) Vide apud Renaudotium Liturg. Oriental. t. i. p. 241.

tiæ statuit, quam pleræque verbis valde perspicuis enuntiant.

333. *Obj.* 4. *Antitypa* vocantur quæ jacent in altari post verba Dominica prolata et Spiritus sancti invocationem. Non sunt igitur ipsum corpus et sanguis Christi.

334. *Resp.* Optimum damus vocis interpretem S. Joannem Damascenum, quem Græci plurimi faciunt : « Antitypa vero futurorum dicimus, non quod non sint vere corpus et sanguis, sed quia per ipsa divinitatis Christi nunc sumus consortes; tunc autem intellectuali ratione per solam visionem percipiemus. » [1]

CAPUT X.

DE FIDE ORIENTALIUM SECTARUM.

Insignia quidem fidei documenta, quam de Eucharistia fovent Græci et Orientales omnes, in Liturgiis quibus utuntur habemus; sed in re tanti momenti abundare præstat, quam vel minimum relinquere locum dubitationi. Alia igitur testimonia adducemus.

Propositio.

Viget, viguitque semper apud Græcos et Orientales omnes fides de vera, reali, et substantiali præsentia Domini nostri Jesu Christi in Eucharistia, adeoque dogma transubstantiationis.

335. *Probatur* 1. *ex protestanticorum scriptorum confessione.* Crusius, Lutheranus professor Tubingensis, post litteras nuntiosque missos ad Jeremiam, patriarcham Constantinopolitanum, fassus est de Græcis, « quod septem Sacramenta habent, ac transmutari panem in corpus Domini, et vinum in sanguinem putant; quod hæc in Liturgiis Deo Patri offerunt pro peccatis sacerdotum, et ignorantiis populi : » [2] Eques Anglus Eduardus Sandius id etiam fatetur; [3] Grotius irridet Rivetum contradicentem; [4] Flavius Lutheranus pariter irridet Hottingerum; Forbesius Episcopus Edimburgensis plerosque Græcos ita sentire agnoscit, [5] nec aliquos contra sentire probare aggreditur; Dannawerus, Professor Agrigentinus, inter eorum errores recenset transubstantiationem. [6]

336. *Probatur* 2. *ex silentio Græcorum de transubstantiatione, orto inter eos et Latinos dissidio.* Undecimo sæculo medio, anno scilicet 1053, vehemens ortum est dissidium Græcos inter et Latinos, Michaele Cerulario patriarcha Constantinopolitano Leoni IX. objiciente quidquid in Latinorum moribus reprehensioni locum aliquatenus dare videbatur. Attamen de transubstantiatione siluit, quamvis Leo paulo antea Berengarium ob eam denegatam in Concilio damnasset, et Michael de usu panis azymi in Sacramento conficiendo graviter quereretur. Ergo illo ex capite nullus erat querelæ locus, sed utraque ex parte concordia fidei et cultus. Græcos tunc temporis Romæ versatos fuisse, ritus suos servantes, ipso haud improbante, testatur Leo, « quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest uni Deo commendat omnes. » [7] De unitate fidei igitur constabat utrinque. Humbertus Cardinalis et alii Constantinopolim profecti, legatione pontificia fungentes, Imperatori obtulerunt scri-

(1) L. iv. de fide Orthodoxa c. xiv.

(2) Germano Græc. l. v. p. 226.

(3) Cap. xlii. cit. in opere celeberrimo : » La perpétuité de la Foi de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie défendue. » l. ii. ch. iv. p. 116. 2dæ edit.

(4) Discussio Apologetici Riveti.

(5) Consid. modest. de Sacr. Euch. c. iv. p. 412.

(6) De Ecclesia Græcanica hodierna p. 46.

(7) Leo IX. ep. i. t. 3. epist. Rom. Pont. c. 8.

ptum quo Cerularii querelis respondebatur, in quo, dum de azymo ageretur, dicebatur : « Taliter præparatus azymus, fideli invocatione totius Trinitatis fit verum et singulare corpus Christi. » Excommunicatione perculerunt Cerularium, causis recensitis, quin erroris contra Eucharisticum dogma, paulo antea definitum in Occidentis Conciliis, eum accusarint; civitatem et Imperatorem orthodoxam esse simul testantes. Petrus patriarcha Antiochenus, ad quem scripsit Cerularius respondens, nihil dixit unde suspicari liceat de re Eucharistiæ esse inter tres illas sedes ullam discrepantiam, cui e contra testimonium præbuit insigne in epistola ad Episcopum Gradensem. [1]

337. Occasione illius dissidii scripta edita sunt a Niceta, monacho Constantinopolitano, qui e partibus Cerularii stabat, quibus respondit Humbertus Cardinalis. Accusabat Latinos Nicetas eos jejunium frangere Quadragesimale, Missam celebrando hora tertia, scilicet, quæ apud nos nona dicitur. Respondens Humbertus Nicetam arguebat veluti corpus Domini cibis cæteris adsimilantem, Stercoranistarum more. Cæterum Nicetas scribebat : « Sanctus autem Spiritus vivificusque in vivificata ejus carne permansit, quam comedentes in pane qui immutatus est per Spiritum, et effectus corpus Christi, vivimus in ipso, tamquam vivam et deificatam ejus carnem edentes. » [2]

338. Lanfrancus, Italus gente, vindex insignis dogmatis Eucharistici, scripsit anno 1079, et appellavit Græcos, Armenos, et universos prorsus Christianos, utpote credentes mysterio, adeo ut totam Ecclesiam periisse dicendum foret, si transubstantiationis dogma divinum non esset. Berengario idcirco objicit immanem superbiam : « fastu quo plenus es contra orbem terrarum sentire cœpisti. » [3] Durandus etiam paucis Berengarii asseclis orbis christiani consensum objicit : « Absit tam perversis et a veritate ipsa tantum aversis pari jungamur perfidia, atque in sancta dominici corporis ac sanguinis communione minus aliquid fateamur quam Catholica per orbem universum prædicat Ecclesia. » [4]

339. Theophylactus, Archiepiscopus Bulgariæ, sæculo undecimo, clarissimis verbis dicit carnem et sanguinem adesse, nobisque dari in Sacramento, quamvis panis speciem corpus præseferat, ne a comedendo abhorreremus. Transubstantiationem his verbis declarat — εἰς δυναμιν σαρκὸς καὶ αἱματος μεταστοιχωσι — [5] « in virtutem carnis et sanguinis transmutat; » seu potius in ipsam carnem et sanguinem; hæc est enim vis verborum, uti ex pluribus ejus dictis liquet : vocat enim Sacramentum — αὐτὸ τὸ σωμα τοῦ κυρίου » — ipsum corpus Domini; » — τῷ ὄντι σάρξ ἐστὶ — « reapse caro est; » — αὐτὴ τοῦ κυρίου σάρξ — « ipsa Domini caro. » [6] Εἰκὸν δὲ, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, δεικνύει ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου ἐστὶν ὁ ἁγιαζόμενος ἐν τῇ θυσιαστηρίῳ, καὶ οὐχὶ ἀντίτυπον, ἐ γὰρ ὅπερ τοῦτό ἐστιν ἀντίτυπον, ἀλλα τοῦτό μοῦ ἐστὶ τὸ σῶμα. ἀρρήτῳ γὰρ ἐνεργείᾳ μεταποιεῖται, κἂν φαίνεται ἡμῖν ἄρτος. [7] « Porro dicens, Hoc est corpus meum; ostendit, quod ipsum corpus Domini est panis sanctificatus in altario, et non respondens figura *(antitypon)*. Non enim dixit : Hoc est figura *(antitypon)*, sed : hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiam si nobis

(1) Vide *Perpétuite de la foi*, Vol. i. l. ii. c. v. p. 129. (2) Ibid. c. vi. p. 137.

(3) Lanfranc. L. de corp. Domini c. iv.

(4) Durandus part. ii.

(5) In Marc. Comment. c. xxiv.

(6) In Matth. comm. c. xxvi. Vide et comment. in Joan. c. vi.

(7) In Matth. comm. c. xxvi.

videatur panis. » Iterum : ὁ γὰρ ἀντίτυπος τοῦ κυριακοῦ σώματός ἐστιν ὁ ἄρτος. ἀλλ' εἰς αὐτὸ ἐκεῖνο μεταβάλλεται τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. [1] « Non enim figura et exemplar quoddam Dominici corporis panis est; sed in illum ipsum convertitur corpus Christi. »

340. Ex crucesignatorum bellis fidei Græcorum et Latinorum hac de re concordia liquet. Immanis hominum multitudo, ad millionem facile pertingens, in Orientem transivit, quibus omnibus firma erat de transubstantiatione fides, quæ ex recenti Berengarii damnatione magis claruerat Urbibus captis plerumque Episcopus Latinus constituebatur in Occidentalium utilitatem, cui aliquando Orientales sese subjiciebant, quibus tamen sæpe concessum est, ut Episcopo Græci ritus subjecti manerent. Patriarcha Antiochenus, Græcus, capta civitate, a Latinis in suo gradu est servatus, qui et ei sese subjecerunt. Magnum igitur erat Græcos inter et Latinos commercium vitæque societas, et utrorumque doctrinam et fidem noscendi occasio : nec tamen de fide hujus mysterii ulla contigit disceptatio.

341. Occasione schismatis, quod tandem conflatum est, prodierunt utraque ex parte scripta, et acerrima jacta sunt probra, quin transubstantiationis dogma in medium adductum sit. Scripsit quidem Nicolaus, Methonensis Episcopus, Latinorum infensissimus hostis, librum contra quosdam dubitantes de hoc mysterio, quod a nonnullis in dubium revocatum contra fidem publicam Græcorum inde colligitur : nulla tamen secta illorum extitit. Titulus libri est — Πρὸς τοὺς διστάζοντας καὶ λέγοντας ὅτι ὁ ἱερουργούμενος ἄρτος καὶ οἶνος οὐκ ἐστὶ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. [2] — « Contra dubitantes et asserentes panem et vinum consecratum non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. » Dicit « corpus et sanguinem Christi esse quæ in mysteriis fiunt. » — σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ τὰ τελούμενα.

342. Nicetas Choniates de Latinis querens, eos in urbis Constantinopolitanæ direptione anno 1203, ipsum corpus Christi et sanguinem in terram projecisse et fudisse affirmat. — τὸ δὲ φρικῶδες καὶ ἀνακυκλούμενον ὃν ὁρᾶν τὸ θεῖον αἷμα καὶ σῶμα Χριστοῦ κατὰ γῆς χεόμενον καὶ ῥιπτόμενον.

343. Fidei extat confessio, quam Græci a Saracenis ad fidem conversis exigebant, ante tempora Manuelis Comneni, in qua profitebatur conversus se credere, panem et vinum mysticis precibus consecratum esse vere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

344. Gregorius IX. anno 1233 Græcos ad unitatem revocare studens, ad Germanum Episcopum Constantinopolitanum scripsit, et post transubstantiationem panem, seu azymum, seu fermentatum, haud superesse docuit; mutatus scilicet est in corpus Domini. [3] Tota inde secuta inter Legatos pontificios et Græcos disputatio fuit : « An Christi corpus in azymo confici possit? » [4]

345. Clemens IV. ad Michaelem Paleologum Imperatorem professionem fidei misit subscribendam, in qua quum de azymorum usu agere oportuerit, Græcis affirmantibus in azymo corpus Domini confici non posse, transubstantiationis dogma ea occasione expositum est : « Sacramentum Eucharistiæ ex

(1) Comm. in Marcum cap. xiv. p. 272. Conjicit Walchius hunc locum ante oculos habuisse Melanchtonem, dum in apologia Augustanæ confessionis scriberet Theophylactum scripsisse *panem non tantum figuram esse, sed vere in carnem mutari*. Introd. ad libros symbol. Luther. l. i. c. iii. p. 289. Frustra autem laborat Walchius testimonia Theophylacti de mutatione accidentali interpretari.

(2) Bibl. vel. pat. l. ii. Græco-lat.

(3) Rainaldus an. 1233. n. 2. par. an. 1237. n. 4.

(4) Ibidem. n. 19.

azymo conficit Romana Ecclesia, tenens et docens quod in ipso Sacramento panis vere transubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. »[1] Hanc fidei confessionem nomine Imperatoris juratus professus est Gregorius Acropolitanus, ejus Nuntius, in Concilio generali Lugdunensi anno 1274, et Legatus Concilii Græcorum nomine Metropolitani Ephesini, et triginta Episcoporum. Post Concilium Lugdunense habitum est in Græcia Concilium, præside patriarcha Joanne Vecco, in locum Josephi, qui pertinax in schismate recesserat in monasterium, et quæ acta sunt Lugduni probata sunt. In litteris Concilii nomine a Vecco scriptis hæc habentur : « Credentes et nos, ipsum azymum panem in ipso sacro officio Eucharistiæ vere transubstantiari in corpus Domini nostri Jesu Christi, et vinum in sanguinem ejus per sanctissimi Spiritus virtutem et operationem. »[2]

Renovato, sub Andronico, Michaelis filio, schismate, de transubstantiationis dogmate nemo questus est.

346. S. Thomas Aquinas contra Græcos scribens, de errore contra transubstantiationem nihil dicit, quamvis de azymis agat. Ex alio ejus opere constat Saracenos Christianis universis id dogma objicere : « Improperant etiam Christianis, quod in altari comedunt Deum suum, et quod corpus Christi, si esset ita magnum sicut mons, jam deberet esse consumptum. »[3]

347. Joannes Paleologus, Imperator, anno 1369, iter Romam suscepit, et fidei professionem juratus emisit, in qua de azymis dicitur : « Sacramentum Eucharistiæ ex azymo sacrificat Ecclesia Romana prædicta, tenens et docens quod in ipso Sacramento *panis vere transmutatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* » — ἐν αὐτῷ τῷ μυστηρίῳ ὁ ἄρτος ἀληθῶς μεταβάλλεται εἰς σῶμα, καὶ ὁ οἶνος εἰς αἷμα τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.[4]

348. Clemens VI. de Græcis Serviæ, Dalmatiæ, et Macedoniæ anno 1351 questus est : « Mendaciter asserunt, contra ea quæ præfata Romana tenet et docet Ecclesia, corpus Christi non in azymo, sed in fermentato pane confici debere, et quod in azymo confectum est, esse denegant corpus Christi. »[5]

349. In Concilio Florentino Græci ad unitatem redierunt post maturum rerum omnium examen; de transubstantiatione autem nulla occurrit difficultas, sed tantum de azymorum usu.

350. Jeremias, patriarcha Constantinopolitanus, a Lutheranis interrogatus de Græcorum fide, anno circiter 1574 respondit panem mutari in ipsum corpus Domini — εἰς αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου — vinum in ipsum sanguinem Domini. — εἰς αὐτὸ τὸ τοῦ κυρίου αἷμα.[6]

351. In Concilio Constantinopolitano anno 1642, præside Parthenio, tribus aliis Patriarchis, pluribus Metropolitis, et Episcopis considentibus, confessio fidei a Petro Mogila, Russiæ Metropolita, conscripta, probata est : in qua dicitur : « quod tempore quo (*sacerdos*) consecrat sancta dona, substantia panis et substantia vini mutetur in substantiam veri corporis et veri sanguinis Jesu Christi, operatione sancti Spiritus quem invocat . . Post hæc verba transubstantiatio fit eodem instanti, et panis mutatur in verum corpus Jesu Christi, et vinum in ejus sanguinem,

(1) Rainaldus an. 1267. n. 77.

(2) Ibidem an. 1277. n. 39.

(3) *Declaratio quorumdam dubiorum contra Græcos, Armenos, et Saracenos.* Objectio supra recitata Saracenorum nomine proponitur.

(4) Allatius de perpet. cons. p. 846.

(5) Ep. ad Episcopos Latinos in Græcia dimorantes apud Rainaldum an. 1351. n. 20.

(6) In resp. Jeremiæ passim.

apparentiis panis et vini remanentibus, ex divina œconomia.[1]

352. Armeni, testante Gerlaco, Lutherano, « in cœna Domini verum et substantiale corpus et sanguinem Domini adesse dicunt, sed videntur transubstantiationem probare. »[2] Olearius, Lutheranus etiam, id testatur : « Quod Armeni etiam credunt transubstantiationem, cognovi ex patriarcha qui nos invisebat Scamachiæ in Media. »[3]

353. Jacobitæ, testante Dionysio Barsalibeo, in Liturgiam S. Jacobi, qua utuntur, scribente, una nobiscum credunt transubstantiationi : « Dicimus panem hunc cœlestem in veritate et effectu esse corpus Filii Dei, et illud idem esse corpus personæ ipsius, quod assumpsit ex Maria, et factum est sacrificium in cruce pro nobis. »[4]— « Sacramenta autem vocantur corpus et sanguis, quoniam non illud quod videtur sunt : secundum speciem autem panis et vinum sunt, sed agnoscuntur atque sunt corpus et sanguis Dei. »[5]

354. Maronitæ prope Libanum et in aliis Syriæ partibus degentes, nunquam erroris contra transubstantiationem accusati sunt : dogma perspicuis verbis declaratur in commentario in Liturgiam S. Jacobi, quod Joannem Maronem sexti sæculi exeuntis auctorem habere censetur.[6]

355. Æthiopes, testante Damiano Goez, Eucharistiam « indubitatum Christi cum corpus, tum sanguinem esse sincera fide profitentur. » Anno 1651 tres Æthiopes Romæ subscripserunt fidei declarationi : « Nos Æthiopes in veritate attestamur, gentem nostram venerari imagines Sanctorum, et credere corpus et sanguinem Jesu Christi præsentialiter adesse in sancta Eucharistia. »[7]

356. Porro ex hac omnium sectarum consensione argumentum derivatur validissimum divinæ traditionis : nam liquet eam fuisse fidem sæculis quarto vel quinto, quo plures sectæ suam referunt originem, et fuisse publico et solemni omnium cultu celebratam. Adeo altas egerat radices, ut nequidem partium studiis evelli potuerit Erat igitur antiqua et certissima doctrina, quæ ad ipsa rei christianæ primordia necessario referenda est.

CAPUT XI.

DE PERMANENTI PRÆSENTIA.

357. Martinus Bucerus, e Dominicana familia apostata, verborum ambiguitate et fallendi studio notissimus, Lutheranos cum Sacramentariis ut conciliaret, Christum in Eucharistia adesse docuit, sed in actione tantum, dum sumeretur : hoc scilicet pacto iis favit qui fide suscipientium Christum percipi tradebant; Luthero, præsentiæ confessione, gratificans. Hic tamen non satis id habuit, sed per totam actionem Sacramentalem Christum adesse definivit Kemnitius eum agnovit præsentem in iis actibus qui cum cœna connectuntur, veluti dum Eucharistia paulo post ad ægrotantes defertur. Ecclesia Catholica conversionem panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi prædicans, eum adorat præsentem quamdiu servantur species sacramentales, et anathemate ferit contrarium errorem : « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili

(1) Part. i. in resp. ad interrog. cvii.

(2) Crucius in Germano-Græcia.

(3) Cit. in opere *Perpétuité de la foi*, l. v. ch. vii. vol. i. p. 374.

(4) Comm. in Lit. S. Jacobi c. i.

(5) Ibidem c. xiii.

(6) Vide opus *Perpétuité de la foi*, l. v. ch. xii. p. 401.

(7) Cit. in opere : *Perpétuité de la foi*, l. v. ch. xiii. vol. i. p. 404, 406.

Eucharistiæ Sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit. »[1] Ita Tridentini Patres.

Propositio.

In hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, remanet verum corpus Domini.

358. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christi verba vera erant eo quo prolata sunt momento, et quod porrigebat Apostolis suum erat corpus et sanguis, antequam ipsi acceperint: ergo ex usu, vel ex fide sumentium non pendebat ut Sacramentum Christi corpus foret et sanguis. Nulla sinit ratio ut illa censeamus desinere adesse, quum semel prolatis Christi verbis præsentia fiant.

359. *Probatur* 2. *ex Patrum auctoritate.* S. Optatus Milevitanus in Donatistas vehementer invectus est ob confracta Catholicorum altaria, et Eucharistiam horrenda impietate violatam: « Quid enim est altare nisi sedes corporis et sanguinis Christi? « Quid vos » offenderat Christus, cujus illuc per » certa momenta corpus et sanguis in- » habitabat? . . . An modo Judæos » imitàti estis? Illi injecerunt manus » Christo in cruce: a vobis percussus » est in altari. » . . . . Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores. »[2]

360. S. Joannes Chrysostomus ad S. Innocentium I. scribens, de militibus ab Imperatore missis ait: « Locum in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, et viderunt omnia quæ intus erant; quin et testes sumus, quod Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est. »[3]

361. S. Cyrillus Alexandrinus: « Audio aliquos esse, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt; neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus ejus immutatur, sed benedictionis vis ac facultas, et vivificans gratia perpetua in illo existit. »[4]

362. *Probatur* 3. *ex antiquissima consuetudine conservandi Eucharistiam.* S. Justinus M. testatur eam deferri a diaconis ad absentes — τοῖς δὲ παρουσι ἀποφερουσι: « ad absentes perferunt. »[5]

363. S. Irenæus monuit Victorem Episcopum Romanum suos decessores consuevisse Eucharistiam mittere ad Episcopos, in quorum ecclesiis Pascha servabatur die eodem quo Judæi suum servabant. — τοῖς ἀπο των παροικιων τηρουσιν ἔπεμπον ἐυχαριστίαν.[6]

364. Tertullianus, uxorem suam ab ineundis novis nuptiis, post mortem suam, cum ethnico homine ut deterreat, id inter cætera adducit argumentum, quod maritus non satis veneraretur cœleste hoc Sacramentum, quod juxta illius ætatis disciplinam, fideles domi in arca parva tenebant, mane illud sibi administrantes: « Non sciet maritus, quid in occulto ante omnem cibum sumas. »[7]

365. S. Cyprianus narrat: « Mulier quædam cum arcam suam, in qua Sanctum Domini fuerat, indignis manibus

(1) Sess. XIII. Can. IV.
(2) L. de schismate Donatistarum, n. I. 2.
(3) Ep. ad Innoc. (4) Ep. ad Cælosyrium.
(5) Apologia I. n. 65.
(6) Apud Euseb. l. v. hist. Eccl. c. XXIV.
(7) L. II. ad Uxorem.

tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. »[1]

366. S. Basilius M. dicit : « Alexandriæ et per Ægyptum unusquisque etiam de plebe, ut plurimum habet domi suæ communionem. »[2]

367. Paulinus diaconus in vita S. Ambrosii narrat S. Honoratum Vercellensem Episcopum, cum in superiori tabulato decumberet, cœlitus de nocte admonitum, ut Ambrosio morituro subveniret : « qui descendens obtulit Sancto *Domini corpus :* quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum. »[3]

368. Græci ex antiquissima disciplina feria quinta Majoris Hebdomadæ Eucharistiam consecrant, infirmorum causa per annum servandam, quam periclitantibus vita administrant. In Ecclesiis eam servant juxta parietem, coluntque, testante viatore protestantico.[4]

369. Calvinus ipse fassus est veteris Ecclesiæ exemplum suffragari consuetudini servandi Eucharistiam ut ægrotis administretur, cui tamen reluctari inverecundus ausus est « Quorsum igitur, » ait, « evadet altera (*consecratio*) cujus vis ad ægrotos usque pervenit ? Sed enim qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor : verum in re tanta et in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est, quam ipsam veritatem sequi. »[5]

Objectiones solvuntur.

370. *Obj.* 1. Ecclesia Hierosolymitana, teste Hesychio, solebat comburere quod supererat ex Eucharistia.[6] Ecclesia Constantinopolitana reliquias Eucharistiæ pueris e scholis evocatis dabat munducandas.[7] Nonnunquam cadaveribus Eucharistia inserebatur. Vino consecrato intinxit calamum Theodorus Papa, Pyrrhi Constantinopolitani, Monothelismi patroni, damnans errorem. Episcopi qui Photium damnarunt illud exemplum imitati sunt! Augustinus narrat mulierem cataplasma ex Eucharistia confecisse, quo sanatus est filius ejus qui ægrotabat.[8] Hæc maleconveniunt fidei de Christo in Eucharistia præsente, absoluta jam actione sacramentali.

371. *Resp.* Plurimæ quidem pro temporum locorumque diversitate fuerunt consuetudines, quas cum reverentia Eucharistiæ debita ægre conciliamus. Cæterum indubia aliunde habentur documenta fidei ubique vigentis de præsentia Christi in Sacramento quamdiu manebant species. Equidem id semper pro re explorata habitum est, Christum ea ratione adesse, qua nil pati possit, quascumque vices species sacramentales contigerit subire. Quando hæ commode servari non poterant, vel haud erant necessariæ, hostiis in ægrotorum communionem alias jam servatis, Hierosolymis igni tradebantur, puriori scilicet elemento, sicut de reliqua victimarum carne in veteri Testamento præceptum est. Nicephorus testatur incorruptis pueris et jejunis particulas illas distributas fuisse, et eas immaculatum divinumque corpus Domini vocat, miraculumque narrat quod ea occasione contigit puero judaico, in fornace ardente per tres dies servato illæso, quum pater iratus eum immisisset, eo quod, inter pueros christianos, errore ad sacras particulas percipiendas accessisset. Reprobavit autem Ecclesia morem Eucharistiam in os mortuorum immittendi;[9] qui tamen

(1) L. de lapsis.
(2) Ep. CCLXXXIX. ad Cæsariam Patriciam.
(3) In Vita S. Ambrosii.
(4) In opere *Perpétuité de la foi*, vol. i. l. ii. ch. iv. p. 117.
(5) Inst. l. iv. c. 17. n. 39.
(6) L. ii. in Levit. c. viii.
(7) Nicephorus l. xvii. hist. Eccl. c. xxv.
(8) L. iii. op. imperf. c. lxii.
(9) Conc. Carthag. iii. c. vi.

in fide de corpore Domini, resurrectionis pignore, habuit originem. Ex eadem fide contigit, ut Theodorus et Episcopi ad horrorem hæreseos et schismatis declarandum, exemplo sane stupendo, ipso Christi sanguine signarent decretum. Quod de muliere pia narrat Augustinus, ex eadem profectum est fide, cui Deus testimonium tulit.

CAPUT XII.

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ.

372. Quum Christus in Eucharistia sit præsens, summo cultu honorandus est, uti recte docent Tridentini Patres: « Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum; nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: « Et adorent eum omnes » Angeli Dei; » quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur. »[1] Anathemate idcirco feriunt hunc Eucharistiæ impugnantes cultum: « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit. »[2]

373. Ex novatoribus ipsis fuerunt qui agnoscerent Christum esse colendum in Eucharistia, si adesset: « Nos semper » inquit Calvinus, « sic ratiocinati sumus, si Christus est in pane, esse sub pane adorandum. »[3] Beza etiam consentit.[4] Lutherus aliquando docuit Christum colendum in Eucharistia in actione sacramentali;[5] aliquando negavit.[6] Leibnitius adorationem Eucharistiæ probat.[7] Anglicani genibus flexis recipiunt panem et vinum eucharisticum; sed Rubrica declarat nullam adorationem eorum, vel corporalis Christi præsentiæ eo pacto intendi: Christi enim corpus naturale in cœlo tantum adesse.[8]

(1) Sess. xiii. cap. v. Jeremias Taylor, Episcopus ex Anglicana secta, Catholicos a crimine idololatriæ vindicat: « The object of their adoration, that which is represented to them in their minds, their thoughts, their purposes (by which God principally, if not solely, takes estimate of human actions) in the B. Sacrament is the only true and eternal God hypostatically joined with his holy humanity, which humanity they believe actually present, under the Sacramental signs. » Liberty of Prophesying, Sect. xx.

(2) Can. vi.

(3) Tract. Theol. de vera part. cœnæ.

(4) L. de cœna Domini.

(5) L. de formula Missæ.

(6) L. de Eucharistia ad Waldens.

(7) Syst. Theolog. p. 258.

(8) « No adoration is intended or ought to be done, either unto the Sacramental Bread or Wine there bodily received, or unto any corporal presence of Christ's natural Flesh and Blood. » Communion. Buckeridge tamen ritum Anglicanum genibus flexis suscipiendi Eucharistiam contra sectarios alios tuetur, adorationem ex Apostoli testimonio probans: « As in St. Paul there is *mensa Domini*, « the table of the Lord; » so there is *habemus altare*, « we have an altar, » etc. and the word altar, in the Fathers, is more common than the word table; so that as the name of table may plead for sitting, so the name of altar enforceth worship, and sacrifice, and that implied adoration and kneeling. » Discourse concerning kneeling at the communion, p. 229. apud Oxonienses, tract. 81. p. 90.

Propositio.

Christus in Eucharistiæ Sacramento etiam extra actionem sacramentalem, cultu latriæ, tum interno tum externo, adorandus est.

374. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Liquet adorationem Christo præstandam, et humanæ ejus naturæ utpote divina subsistentia præditæ : de Christo enim in orbem terræ a Patre introducto dicitur : « Et adorent eum omnes Angeli Dei. »[1] « In nomine Jesu omne genu flectatur. »[2]

375. *Probatur* 2. *ex Patribus*. S. Cyrillus Hierosolymitanus dicit : « Tum vero post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis poculum, non extendens manus, sed pronus, et adorationis ac venerationis in modum dicens, Amen. »[3]

376. S. Ambrosius : « Per scabellum terra intelligitur, » explicat scilicet illud Psaltis : *Adorate scabellum pedum ejus ;* « per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus. »[4]

377. S. Gregorius Nazianzenus, in oratione de obitu sororis suæ Gorgoniæ, narrat « illam ad altare cum fide procubuisse, ipsumque qui super eo honoratur cum ingenti clamore invocasse. »[5]

378. S. Augustinus : « Quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit : nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed etiam peccemus non adorando. »[6]

379. S. Joannes Chrysostomus : « Considera, quæso ; mensa regalis est apposita : Angeli mensæ administrantes. Ipse Rex adest ; et tu astas oscitans ? Igitur adora et communica. »[7]

380. *Probatur* 3. *ex totius orbis christiani consuetudine vetustissima*. De Græcorum moribus et doctrina illustre præbuit testimonium Concilium Hierosolymitanum anno 1672 : « Credimus supremo colendum honore, cultuque latriæ idem Domini corpus et sanguinem esse adorandum. Quippe sanctissimæ Trinitatis, et corporis sanguinisque Domini una est adoratio. Credimus ante usum, statim a consecratione, ac post usum id quod sacris in pyxidibus communioni moribundorum asservatur, corpus esse Domini verum. » De Russis testatur Olearius Lutheranus eos Eucharistiam adorare. De Armenis, Syris, et sectis omnibus Orientalibus id omnino constat, quamvis non iidem sint ritus ubique, supremi cultus indicia. Ipsi Anglicani genu flectendi ritum dum sumitur Eucharistia retinuerunt, quamvis novitiis opinionibus obsequentes eum adorationem haud indicare doceant nonnulli, juxta Rubricam ; aliis contra sentientibus.

Objectiones.

381. *Obj.* 1. Apostoli non procubuerunt, Christo eis Eucharistiam porrigente.

382. *Resp.* Non semper, nec eadem ratione, adorationis indicia præstantur ; nec enim leguntur Apostoli coram Christo procumbere consuevisse, quamvis eum Dominum ac Deum suum agnoverint.

383. *Obj.* 2. Pleraque cultus indicia quæ Eucharistiæ impræsentiarum exhibentur, vetustis temporibus ignota fuerunt, v. g. benedictionis ritus, processiones, ipsa hostiæ elevatio in Missa : quorum pleraque apud Orientales adhuc non obtinent.

(1) Heb. ii. 6. (2) Phil. ii. 9.
(3) Catechesi v.
(4) L. iii. de Spir. S. c. xii.
(5) Orat de obitu.
(6) Enarr in Ps. xcviii.
(7) Hom. iii. in ep. ad. Eph.

384. *Resp.* Indicia cultus varia exhibentur, pro temporum varietate, sed adoratio Christi in Eucharistia semper viguit, uti liquet ex laudatis testimoniis. Occasione hæreseos contigit ut plura darentur fidei de hoc mysterio argumenta, sicut et divinitas Christi magis claruit, Ario eam impugnante. Orientalium quod spectat mores, a nostris quidem plurimum discrepant, quamvis et hi nobiscum credant corpus et sanguinem Christi adesse, et ea supremo colant obsequio, cujus documenta in Liturgiis plurima attulimus.

385. *Obj.* 3. Adoratio Christo in Eucharistia præstita adversatur Sacramenti institutioni : nam corporis et sanguinis symbola dedit Christus, non sui, et divinitatis.

386. *Resp.* Quum Christus dicat se dare corpus et sanguinem suum, sequitur necessario eum totum adesse: nam humana ejus natura divinæ indissolubili nexu conjuncta est hypostatica unione. Igitur adoratio debetur ei, in Sacramento vere præsenti.

Animadversiones.

387. Præter solemnem celebrationem institutionis Sanctissimi hujus Sacramenti quæ feria quinta Majoris Hebdomadæ fit, institutum est festum quod dicitur *Corpus Domini*, anno 1246, ab Archiepiscopo Tolosano, quod ad universam Ecclesiam anno 1263 extendit Urbanus IV. Non tantum in templis, sed et per vicos solemni pompa circumferebatur hostia sacra, ut publicus honor Christo tribueretur, sicut olim solemniter arca lata est. Supplicationes illæ adhuc fiunt in regionibus Catholicis.

388. *Benedictio* Sanctissimi Sacramenti dici solet ritus minus solemnis, quo Christus in Sacramento colitur, *benedictione* ei prolata, eo sensu quo in Apocalypsi Angeli et seniores dicunt benedictionem sedenti in throno et Agno. [1] Benedicit etiam sacerdos populo, elato in modum crucis Sacramento, nullis autem prolatis verbis.

CAPUT XIII.

DE SACRAMENTI RATIONE.

389. Ex his quæ adeo fuse disseruimus liquet Eucharistiam omnia habere quæ novæ Legis constituunt Sacramentum : est enim ritus externus a Christo institutus, ipsum gratiæ et salutis auctorem continens, quem qui digne recipiunt, pignus habent certissimum vitæ æternæ, et cœlestibus jam donantur muneribus. Hæc ex iis quæ Joannes refert a Christo dicta constant, et ex ipsa Eucharistiæ natura, ut sileamus de tot traditionis divinæ monumentis in quibus Sacramentum vocatur, et quidem novæ Legis præcipuum. Nec natura Sacramenti tollitur transubstantiatione : manent enim species, quæ signi habent rationem, Christum animæ cibum indicantes.

390. *Materia* ex qua Eucharistia conficitur panis est et vinum. Erant olim hæretici *Artotyritæ* dicti, qui pane et caseo in ea conficienda utebantur, primos homines, qui de fructibus terræ et ovium offerebant, imitati. [2] Gnostici horrendum facinus patrare consuevisse dicuntur : contundebant scilicet abortivum infantem in mortario pistillo, eique mel et piper cum aromatibus et unguentis admiscebant : tum in unum collecti, e comminuto corpusculo infantuli digito delibabant, perfectum Pascha id appellantes. [3] De Cataphrygibus refert Augustinus : « Sacramenta perhibentur habere funesta : nam de

(1) Act. v. 13.
(2) Epiphan. hær. xlix. Aug. l. de hær. c. xxviii.
(3) Epiph. hær. xxvi.

infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes : qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, si autem vixerit, pro magno sacerdote. »[1]

391. Græci, Michaele Cerulario, Patriarcha Constantinopolitano, et Leone, Archiepiscopo Acridano, in Bulgaria ducibus, anno 1053, Latinum morem utendi azymo pane carpere et improbare ausi sunt; quos idcirco gravissima perstrinxit epistola S. Leo IX. In Concilio Florentino Græcos inter et Latinos convenit utrosque suum ritum sequi posse : « Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet, juxta suæ Ecclesiæ Orientalis, sive Occidentalis, consuetudinem. » Quod consueverunt Græci objicere, panem azymum veri nominis panem non esse, quum ἄζυμος indicet massæ elationem, quæ fit fermento, fundamento caret, quum illa etymologia fictitia sit, et in voce Hebraica לחם nulla sit ejusmodi ratio. Profecto panes propositionis azymi designantur *panes* in Scripturis,[2] et panis quem fregit Christus redivivus,[3] azymus certe fuit, quum non licuerit Judæis fermentum intra ferias Paschales domi retinere. Quo pane usus sit Eucharistiam instituendo controvertitur, Tourneminio et Calmeto assentientibus Græcis qui contendunt fermentatum panem ab eo adhibitum : putant enim Pascha celebrasse pridie festi ; plerisque Latinis contradicentibus. Disputatur etiam utrum constans fuerit hac in re Græcorum et Latinorum disciplina. Qui velit rem penitius investigatam videre, Calmetum adeat,[4] vel Sardagnam.[5] Panis *triticeus* adhibeatur necesse est, nec sufficit panis hordeaceus, vel alius qui panis simpliciter non vocatur. Triticeum panem, sed usualem exigunt Anglicani.[6]

392. *Vinum* ex vite necessaria est materia Eucharistici poculi : genimen enim vitis a Christo constat adhibitum fuisse. Ebionitæ aquam in ejus locum suffecisse dicuntur. Tatianus et Encratitæ ejus asseclæ a vino, tamquam diaboli fructu, in mysteriis abstinebant ;[7] quos imitati sunt Manichæi. Sæculo tertio Aquarii, seu Hydroparastatæ, in Africa nomen sortiti sunt ab aqua tantummodo in calice adhibita, de quibus jam audivimus Cyprianum disserentem. Qui ex Armenis non sunt Ecclesiæ Romanæ conjuncti; aquæ admixtionem negligunt, ne utramque videantur in Christo fateri naturam : errore quippe Eutychiano inficiuntur.[8] Eos reprobavit Trullana synodus. Lutherus aquæ admixtionem figmentum esse humanum dixit, ad regem Angliæ scribens anno 1522 ; sed postea se hærere significavit.[9]

393. De aquæ vino admixtione in calice Dominico silet Scriptura, sed constans veterum auctoritas et traditio nos certiores facit. Juxta Irenæum « temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit »[10] Christus. Cyprianus eam ex professo vindicavit.[11]

(1) L. de hær. c. xxvi.
(2) I. Reg. xxi. (3) Luc. xxiv.
(4) Dissertations sur la Bible.
(5) Theol. Dogm. Polem. t. vii.
(6) « To take away all occasion of dissention and superstition, which any person hath or might have concerning the Bread and Wine, it will suffice that the Bread be such as is usual to be eaten ; but the best and purest Wheat Bread that conveniently may be gotten. » Rubric.
(7) Hær. xlvi. et xlvii.
(8) Nicephor. l. xviii. hist. Eccl.
(9) Formula Missæ. (10) L. iv. adv. hær. c. xxxiii.
(11) Ep. ad Cœcilian. lxiii.

Hieronymus dicit : « Christus format sanguinem suum in calice, vino et aqua mixtis. » [1] Concilium Carthaginense III. anno 397, decrevit : « ut in Sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum. » [2] Rosenmüller ex consuetudine Judæorum idem infert : « Fuisse autem in eo calice vinum aqua temperatum, docet nos liber *Mischnaiot de benedictione VII.* » [3] Bloomfield dicit apud omnes in confesso esse, vinum aqua temperatum esse, moremque apud nos servatum agnoscit. [4] Rationes ob quas aqua admiscenda est indicat Concilium Tridentinum : « tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur. » [5]

394. *Forma* Eucharistiæ constat verbis dominicis quibus conficitur. Manichæos Christum ubilibet sumi asserentes redarguit Augustinus : « Noster panis et calix, non quilibet (quasi propter Christum in spicis et in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt), sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis et calix, alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis. . . . Vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur, adhuc ligandus vestris visceribus, solvendusque ructatibus. Nam et cum manducatis, Dei vestri defectione vos reficitis, et cum digeritis, illius refectione deficitis. » Calvinus dicit « promissiones illas quibus conficitur consecratio, non ad elementa ipsa, sed ad eos qui recipiunt, destinari. » . . . « Non hic magicam aliquam incantationem imaginari nos decet, ut satis sit verba demurmurasse, quasi ab elementis exaudiantur, sed verba illa vivam prædicationem esse intelligamus, quæ auditores ædificet. » [6] Græci schismatici recentiores censere dicuntur consecrationem non perfici, nisi invocatione Spiritus sancti verbis dominicis adjecta; quem tamen ritum in Concilio Florentino ita explicuerunt, ut consecratione jam verbis dominicis perfecta, invocatio Spiritus sancti fieret, ut fructus nobis ex corpore et sanguine Christi proveniret. [7] Catharino placuit sententia quam Innocentius III. ante pontificatum fovit; [8] Christum voluntate consecrasse panem et vinum, verbis deinceps certiores fecisse Apostolos se corpus et sanguinem suum iis vere dare : sed Theologi communiter tenent ipsis quibus nunc peragitur consecratio verbis, a Christo peractam : jussit enim Apostolis facere quod eum viderant facientem.

395. In decreto pro Armenis dicitur : « Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur. » Ita perpetua docuit nos Ecclesiæ traditio.

396. S. Irenæus dicit : « Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia san-

(1) Comm. in c. xiv. Marci.
(2) Can. xxiv. (3) In Matth. xxvi. 27.
(4) « That the wine was mixed with water, all are agreed. » In Matth. xxvi. 27.
(5) L. xx. contra Faustum Manich. c. xiii.
(6) Inst. l. iv. c. xvii. n. 39.
(7) Acta Conc. Flor. Sess. xxv.
(8) L. iv. de mysteriis Missæ.

guinis et corporis Christi. » [1] S. Gregorius Nazianzenus dicit : « Inter sermones de carne, præcipui sunt illi Christi : « Hoc est corpus meum : » illisque prolatis a sacerdote, qui non credit verum esse corpus Christi, sine dubio fidem derogat. » [2] Auctor librorum de Sacramentis, Ambrosio adscriptorum, rogat : « Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi ? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus ? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur ; oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris : ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. » [3]

397. Forma integra, prout in Missali Romano præscribitur, hæc est : « Hoc est enim corpus meum. » « Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. »Vox« enim » respondet γὰρ quod in Liturgia S. Marci utroque loco invenitur. « Pro vobis et pro multis » in Liturgia S. Jacobi habetur. « Æternum » vocatur Testamentum et « fidei mysterium » ex traditione Romanæ Ecclesiæ, Petro, uti videtur, auctore : nec enim occurrunt hæ voces in Græcis Liturgiis. Tota forma accurate recitanda est, juxta Ecclesiæ ritum : [4] quod fatetur Grabius, Anglicanus, eruditione sacra celebris, [5] qui tamen videtur invocationem Spiritus sancti ad formam referre.

CAPUT XIV.

DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

398. Anno circiter 1412, Petrus Dresdensis et Jacobellus, Misna, Bohemiæ oppido, oriundus, Ecclesiæ disciplinam, qua sub specie tantum panis administratur Eucharistia, impugnarunt, *Calixtini* ob calicis usum vindicatum nuncupati. Lutherus aliquando professus est se nolle disciplinam receptam hac in re mutare, nisi ex Concilii generalis auctoritate ; [6] deinceps consuluit Episcopis ut utramque speciem concederent ; [7] tandem dixit : « Si quod Concilium statueret aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, sed in despectum Concilii, ejusque statuti, aut una aut neutra, et minime utraque uti vellemus, maledicturi universos, qui ex potestate aut statuto Concilii utraque uterentur. » [8] Calvinus scribit : « Ex eadem (*diaboli*) prodiit officina et altera constitutio, quæ dimidiam cœnæ partem meliori populi Dei numero vel furata est vel eripuit. » [9] Attamen Lutherani et Calviniani aliquando permiserunt abstemiis sub specie panis communicare. [10] Recte monet Hugo Grotius in adnotatis in *Cassandri consult*, *p.* 161, « nihil aliud esse, quod hac in re obstet

(1) L. v. adv. hær. c. ii. alias iv.

(2) Orat. ii. de Paschate.

(3) L. iv. de Sac. c. iv.

(4) III. par. qu. 78. art. 3. in resp. ad 4.

(5) « The form of consecration and opinion of the consecrated elements, in which both Catholics and Heretics, in the age immediately succeeding the holy Apostles, have agreed together, and which, ever since, has been kept in all ancient Churches, and is by some of the Fathers expressly reckoned amongst the unwritten apostolical traditions, and is moreover hinted at in the very writings of the New Testament, cometh undoubtedly from our Lord himself, and ought, therefore, by no means, to be changed. » Grabe de forma Consecrationis Eucharistiæ, apud Oxonienses, Vol. iv. No. 78.

(6) In decl. Serm. de Euch.

(7) In assert. art. xvi.

(8) D. de formula Missæ. (9) L. iv. Inst. c. xvii.

(10) Vide Calvinian. discipl. c. xii. tit. de cœna art. vii. apud Bossuet in expos. fidei cath.

concordiæ, præter atroces accusationes illas, quibus Protestantium nonnulli Ecclesiam Romanam heic sacrilegii ream faciant; quum tamen initio Lutherus, Melanchton, Bucerus crediderint sine peccato sub uno symbolo hoc Sacramentum sumi posse. » [1]

399. Id in confesso est apud omnes, publicam communionem, per duodecim priora Ecclesiæ sæcula, plerumque sub utraque specie administratam fuisse; [2] quam tamen antea arbitrio fidelium relictam, Gelasius Pontifex quinto sæculo præcepto injunxit, [3] quum Manichæorum errore infecti, a specie vini abhorrentes, alteram tantum speciem reciperent. Constat pariter ex plurimis antiquitatis monumentis privatam communionem plerumque quolibet sæculo sub altera tantum specie tributam. [4]

400. Mutatio disciplinæ de publica communione contigit sensim sine sensu, occasione, uti videtur, effusionis sacri poculi, quæ in fidelium turba facile contingebat. « Quia crevit multitudo populi christiani, in qua continentur senes, et juvenes, et parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus Sacramenti adhibeant : ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur. » [5] Huic accessit quod diaconorum qui sacrum propinarent calicem copia non semper haberetur, et vini etiam in plurimis regionibus esset inopia, et non parvus foret numerus abstemiorum, vel eorum qui ex eodem cum aliis poculo bibere refugerent. Consuetudo jam invecta probata est Concilio Constantiensi : « Cum hujusmodi consuetudo, » inquit « ab Ecclesia et sanctis Patribus rationabiliter introducta, et diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ pro libito mutare. » [6] Ad argumenta intelligenda quæ hac in re allaturi sumus, juvat animadvertere per *concomitantiam* sanguinem dici cum corpore in Eucharistia adesse, ob naturalem conjunctionem, quum corpus Christi jam non sit exangue, sed vivum. Ea etiam ratione divinitas Christi in Sacramento adest, quum humana Christi natura divinam habeat subsistentiam. Inde liquet totum Christum sub alterutra specie recipi. Rem feliciter explicuit Guido de monte Rochen : « Notandum etiam quod licet ex virtute verborum formæ consecrationis corporis, sub specie panis sit tantum corpus Christi : et virtute verborum formæ consecrationis sanguinis, sub specie vini sit tantum sanguis : tamen ex quadam naturali concomitantia, sub utraque specie est totus Christus verus Deus et verus homo. » [7]

401. Christus etiam sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus continetur; quum enim dividi nequeat, immortalis jam et gloriosus, et nulla sit ratio potior cur, separatione speciei partium facta, sub altera parte sit præsens, necesse est eum fateri sub qualibet parte integrum manere. Constat ex Liturgiis fractionem hostiæ semper fieri consuevisse, et Christi corpus sanguini admisceri dici, dum pars hostiæ in calicem demitteretur, et illud in parte altera adesse simul agnitum.

402. Merito igitur Tridentini Patres, mysterii naturam et antiquitatis fidem moresque perpendentes, decreverunt : « Si quis negaverit, in venerabili Sa-

(1) Apud Walchium introd. l. i. c. iii. § xlii. p. 339. (2) Card. Bona. l. xi. rerum liturgic. c. xviii. § i. (3) Apud Gratian. de Consecr. dist. ii. cap. xii.

(4) Bona, ubi supra.
(5) S. Thomas, iii. p. qu. lxxx. art. xii. Resp.
(6) Sess. xiii.
(7) Manipulus Curat. c. iv. quarti tract. i. par.

cramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit. » [1] Explicuerunt etiam concomitantiam, de qua supra locuti sumus : « Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie, una cum ipsius anima et divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum : ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur : divinitatem porro propter admirabilem ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. » [2] De hac concomitantia varie sensit Lutherus, eam agnoscens, [3] vel irridens, [4] pro animi mobilitate. Brentius, Chemnitius, Leibnitius aliique eam agnoverunt.

403. De communione sub utraque specie decrevit synodus Tridentina : « Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christifideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit. » « Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit. » « Si quis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit. » [5]

Propositio.

Nullo Dei præcepto, nullaque necessitate salutis omnes Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debent.

404. *Probatur* 1. *ex natura Sacramenti.* Sacramentum constat corpore et sanguine Christi, quæ a se invicem non separantur : nam « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. » [6] Ergo totus recipitur Christus sub alterutra specie : quamvis enim vi verborum corpus Christi tantum sub panis specie ponatur, concomitantia tamen, naturali scilicet conjunctione, sanguis quoque adest.

405. *Probatur* 2. *argumento negativo.* Si quod sit Dei præceptum, illis Christi verbis continetur : « Bibite ex hoc omnes : » [7] si qua necessitas salutis, ex illis verbis derivatur : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » [8] Attamen divinum præceptum omnes obstringens fideles priori illo testimonio non probatur : nam præceptum adstantibus Apostolis datum est, et ab ipsis statim impletum, uti refert Evangelista Marcus : « Et biberunt ex illo omnes. » [9] Alterum autem testimonium præceptum quidem ostendit corpus et sanguinem Christi recipiendi, cui tamen satisfit alterutram sumendo speciem : corpus enim a sanguine non separatur, ideoque utrumque sumitur sub alterutra specie, uti ingenue fatetur Leibnitius : « Et quidem negari non potest, sub alterutra specie integrum sumi Christum vi concomitantiæ, ut loquun-

(1) Sess. xiii. can. iii.
(2) Ibidem. (3) In assert. art. xvi.
(4) Inform. ad quemdam amicum de commun.
(5) Sess. xxi. Can. i. ii. iii.
(6) Rom. vi. 19. (7) Matth. xxvi. 27.
(8) Joan. vi. 54. (9) Marci xiv. 23.

tur theologi, neque enim caro ejus a sanguine separata est. » [1]

406. *Probatur* 3. *argumento positivo ex Scripturis.* Christus dicit : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. . . . . Qui manducat me, et ipse vivet propter me. . . . . Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. » [2] Vita æterna promittitur manducanti panem illum, carnem scilicet Christi, et qui eum sumit, manducare Christum dicitur, totum et integrum, corpus utique et sanguinem. Ergo non extat præceptum divinum, vel salutis necessitas, ut omnes alteram sumant speciem.

407. *Probatur* 4. *ex vetustissima Ecclesiæ consuetudine.* Constat sæpissime privatam communionem sub alterutra specie administratam fuisse. Eusebius narrat, ex Dionysio Alexandrino, presbyterum ægrotum misisse puerum ad Serapionem moribundum, et jussisse ut particulam sacræ hostiæ madefactam — βραχύ τῆς τοῦ χαρίστιας ἐπέδωκεν τῷ παιδαρίῳ ἀποβρέξαι κελεύσας — seni in os instillaret, qua ille paulatim absorpta continuo exhalavit animam. [3] S. Ambrosius moribundus corpus Domini suscepit a S. Honorato, statimque decessit. Græci adhuc tantummodo sacras particulas vino communi humectant, antequam eas ægrotantibus dent. [4]

408. Infantibus statim post Baptismum solebat guttula sanguinis pretiosi infundi, uti adhuc fit apud Græcos. [5] Miraculum narrat Cyprianus contigisse, quando puella, quæ apud nutricem merum idolorum gustaverat, a matre ad Ecclesiam delata esset ad sacrum bibendum sanguinem : « Ubi vero, solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit; faciem suam parvula *instinctu divinæ majestatis* avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit : tanta est potestas Domini, tanta majestas! » [6]

409. Pueris innocentibus apud Græcos particulæ dabantur manducandæ, quoties magna earum copia supererat : « consuetudo a multo tempore imperanti Urbi fuit, ut quum plusculum de partibus immaculati divinique corporis Domini et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi reliquum esset, sacerdotes pueros incorruptos — ἀφθόρους — ex eis qui ad præceptores in ludum litterarium eunt, accerserent, qui jejuni reliquias eas ederent. » [7]

410. Persecutionis occasione fidelibus permittebatur ut hostias arca inclusas domum secum deferrent, easque suis manibus reciperent, sacerdotis copia, qui communionem illis præberet, haud suppetente. Tertulliani verba jam citavimus de pane ante omnem cibum gustando. S. Cyprianus dicit : « Cum quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde

(1) System. Theolog. p. 250.

(2) Joan. vi. 52.

(3) Carpunt protestantici nonnulli scriptores Valesium quod particulam aqua intinctam affirmaverit : sed eam esse vim vocis ex eo satis constat quod ἀποβρεγμα *aqua dilutum* significet, et βρέχω ad pluviam referatur : cæterum seu vino seu aqua intinctum intelligatur, idem est, quum ex narratione liqueat liquorem a puero non allatum, sed apud senem repertum, et proinde non esse vinum consecratum.

(4) Vide Goar. in notis ad Euchologium.

(5) Vide Leonem Allatium in adnot. de comm. Orientali.

(6) L. de Lapsis.

(7) Apud Nicephorum hist. Eccl. l. xvii. c xxv.

surgente deterrita est, ne auderet attingere. » [1] Monachis in eremo, imo fidelibus universis in Ægypto, id concessum Basilius narrat: « Illi omnes qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit sacerdotis, cum habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem et per Ægyptum unusquisque, etiam de plebe, ut plurimum habet domi suæ communionem. . . . . Nam et in Ecclesia ipse sacerdos partem aliquam in manus tradit, et illam apprehendit qui percipit cum omni libera potestate, atque ita suis propriis manibus eamdem suo ori admotam ingerit. » [2] Narrat Ambrosius fratrem suum Satyrum e naufragio evasisse incolumem, hostia sacra collo alligata: « Etenim ligari fecit in orario, et orarium involvit in collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. » [3]

411. Publica etiam communio aliquando fiebat sub una specie, libertate utriusque recipiendæ plerumque suscipientibus relicta. Narrat Cyprianus hominem maculatum crimine, cinerem se manibus ferre, accepta Eucharistia, invenisse, dono cœlesti ob crimen sublato; « Ipse maculatus, Sacrificio a sacerdote celebrato, panem cum cæteris ausus est latenter accipere, *Sanctum Domini* edere, et contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus invenit. » [4] Sozomenus et Nicephorus narrant mulierem Macedonianam, viro jam ad fidem Catholicam converso ut gratificaretur, simulasse Eucharistiæ a manibus S. Joannis Chrysostomi receptionem: eam scilicet manu acceptam retinuit — ἄχρι διέξαρε καταχουσα — et ori admovit panem, quem domo attulerat ancilla, sed pane obdurescente instar lapidis, eam ad fidem ex animo traductam. Lapidem cum dentium vestigio in Ecclesia Constantinopolitana suo tempore servari dicunt, ne fides rem miram narrantibus denegetur. [5] Liquet autem eam non potuisse simulare, si e calice unusquisque biberet. Libertatem illam e calice bibendi tempore Leonis Magni extitisse constat, qua tamen abusos esse Manichæos graviter questus est: « Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. » [6]

412. *Probatur* 5. *Ecclesiæ judicio.* Quum Præsules Ecclesiæ divinitus constituti sint ministri Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, iisque ad mundi usque consummationem se adfuturum pollicitus sit Christus, nunquam fieri poterit, ut ipsi sua auctoritate sanciant aliquid de Sacramentis administrandis, quod vel naturæ Sacramenti, vel divino præcepto adversetur, vel salutis subsidium necessarium fidelibus subtrahat.

Objectiones solvuntur.

413. *Obj.* 1. « Edictum æterni Dei est, ut omnes bibant: quod homo nova et contraria lege antiquare et abrogare audet, edicens, ne omnes bibant. » Ita Calvinus. [7]

414. *Resp.* Edictum illud nullatenus probatur: nam verba Christi ad Apostolos directa legem omnibus latam

(1) L. de lapsis.
(2) Ep. cclxxxix. ad Cæsariam Patriciam.
(3) Orat. de obitu fratris.
(4) L. de lapsis.
(5) Sozomen. l. viii. hist. Eccl. c. v. et Nicephorus l. xiii. c. vii.
(6) Serm. iv. de Quadrag.
(7) L. iv. Inst. c. xvii. n. 47.

non demonstrant, præsertim Marco testante præceptum statim impletum. Syriaca, Arabica, et Æthiopica versiones, prout exhibentur a Waltono, habent: « Bibite ex hoc omnes *vos*; » quod ostendit ita Christi verba intellecta. Onus probandi iis est qui edictum affirmant.

415. *Obj.* 2. « Cur de pane simpliciter dixit, ut ederent, de calice, ut omnes biberent? Ac si satanæ calliditati ex destinato occurrere voluisset. » Ita Calvinus. [1]

416. *Resp.* Ideo hoc servatum est discrimen, quia panis in plures fractus partes consecratus est, ideoque unusquisque corpus Christi seorsim accepit; poculum unum omnibus est datum. Eæ igitur voces: « bibite ex hoc omnes: » idem sonat ac, « accipite et dividite inter vos. » [2]

417. *Obj.* 3. « Dominus, panem ostendens, corpus suum esse dicit: calicem dum ostendit, calicem vocat. Humana rationis audacia contra reclamat, panem esse sanguinem, vinum esse corpus: ac si Dominus nulla causa corpus suum a sanguine et verbis et signis distinxisset. » [3]

418. *Resp.* Humanæ rationis audacia in eo apparet, quod Christo dicenti corpus esse et sanguinem suum quæ tradit, haud credatur, et symbola et signa pro veritate donorum cœlestium prædicentur. Agnoscimus sub specie panis, vi verborum, esse corpus Christi, sub specie vini, vi verborum, esse sanguinem ejus; nec tamen audemus corpus a sanguine separare, sed utrumque nexu indissolubili conjunctum, ex quo resurrexit a mortuis, credimus. Corpus a sanguine distingui verbis Domini novimus, et quidem sapientissimo consilio, ut mors ejus, sanguinis fusione in cruce, in mysteriis exhiberetur. Ideo quoties Sacrificium offertur, et Sacramentum conficitur, illa corporis a sanguine separatio quæ in cruce facta est, repræsentatur, quamvis pro conditione Christi corporis præsenti, sanguis cum eo conjungatur.

419. *Obj.* 4. « Si designare se totum voluisset, dicere poterat, *ego sum*, qualiter loqui in Scripturis consuevit, non autem, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. » [4]

420. *Resp.* Dixit Christus, de Sacramento utique loquens: « Qui manducat *me*, et ipse vivet propter me. » Credat igitur Calvini assecla Christum totum nobis dari. Dixit autem Sacramentum instituens verba illa, ut certos nos faceret verum ejus corpus et sanguinem esse quæ dat munera in mysteriis.

421. *Obj.* 5. « Calicem seorsum a pane statuit, ut doceat, se ad potum non minus quam cibum sufficere. Nunc tollatur pars una, nonnisi dimidium alimentorum in eo reperiemus. » [5]

422. *Resp.* Frivola est et inepta ratio: non enim alimentorum symbolis variis indiguit, ut quibus nos reficiat et refocillet rationibus exhiberet; sed suæ mortis pro mundi salute memoriam perpetuo celebrandam, corpore et sanguine suo præsentibus, jussit.

423. *Obj.* 6. « An mentiebatur Paulus, quum dicebat Corinthiis (1 Cor. xi. 23), se accepisse a Domino, quod illis tradiderat? Nam postea traditionem declarat, ut omnes promiscue utroque symbolo communicarent. » [6]

424. *Resp.* Non mentitus est Paulus, qui se accepisse a Domino dicit, eum corpus suum et sanguinem in qua nocte tradebatur Apostolis dedisse; sed mentitur Calvinus, (vocem ab ipso liceat mutuari) dicens Paulum tradi-

(1) L. iv. Inst. c. xvii. n. 50.
(2) Luc. xxii. 17.
(3) Inst. l. iv. c. xvii. n. 47.
(4) Ibidem. (5) Ibidem. (6) Ibid. n. 50.

tionem declarare, ut omnes promiscue utroque symbolo communicarent. Nihil hujusmodi ab ipso est dictum, quamvis moneat fideles, manducando panem hunc et calicem bibendo se mortem Domini annuntiare. Inde quidem inferre licet sub utraque specie Eucharistiam tunc ministratam, quamvis sub alterutra corpus et sanguinem contineri ex iis quæ addit manifesto sequatur : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne : reus erit corporis et sanguinis Domini. » [1] Perperam Anglicani Bibliorum interpretes verterunt : *and* ; sacrum textum vitiantes, ut argumentum inde desumptum declinarent.

425. *Obj.* 7. « Cur meliore illo sæculo ab Apostolis ad mille usque annos postea, sine exceptione omnes fiebant utriusque symboli participes? ignorabatne vetus Ecclesia, quos Christus convivas ad cœnam suam admisisset ? » [2]

426. *Resp.* Optime quidem pro ratione locorum et temporum administrabatur Eucharistia publice sub utraque specie ; sed et laudabiliter recentioribus temporibus immutata est disciplina, ut periculo effusionis obviam iretur, et iis consuleretur qui in septentrionalibus regionibus, ubi vini laboratur inopia, degunt. Præsertim vero falsa propugnata sententia de Sacramenti natura, quod in pane et vino constituebant novatores, necesse fuit disciplinam sensim sine sensu inductam tueri.

427. *Obj.* 8. Lege olim præscriptum est ut omnes sub utraque specie Eucharistiam perciperent, et quorumdam contraria consuetudo superstitionis damnata est : « Sic enim loquitur Gelasius (de consecr. dist. 2. Cap. *Comperimus*) : Comperimus, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice abstineant : qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione videntur adstricti, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Divisio enim istius mysterii sine grandi sacrilegio non admittitur. » [3]

428. *Resp.* Manichæos notat Gelasius, qui vinum a malo principio ortum censentes, a calice sacro abhorrebant, eo quod illud in eo conficiendo adhibitum fuerit. De iis questus fuerat S. Leo. In iis rerum adjunctis certe licuit jubere ut sub utraque specie administraretur, ne superstitio illa sacrilega lateret. Hæc est illa divisio mysterii quæ sine grandi sacrilegio non admittitur, quippe quæ Dominicum sanguinem rejicit ex superstitione impia, qua Creatori derogatur. Sic altero orto errore de Sacramenti natura, optime statuit Ecclesia disciplinam retinere jam inductam, ne error foveretur, quo in pane et vino Sacramentum constituebatur.

429. *Obj.* 9. Frustra tales legislatores « pericula obtendunt, quæ accidere possent, si omnibus passim exponeretur sacer hic calix : ac si ab æterna Dei sapientia prospecta ea et animadversa non essent. » [4]

430. *Resp.* Omnia sunt a Deo prævisa, qui tamen legem tulisse de utraque specie sumenda gratis dicitur. Idcirco Dei lege hac de re haud lata, Ecclesiæ erat id statuere circa Sacramentorum administrationem, quod pro temporum locorumque adjunctis expedire videatur.

431. *Obj.* 10. Mancum est Sacramentum, quale Catholici habent, et ab illo quod Christus instituit et tota celebravit antiquitas, diversum.

(1) I. Cor. xi. 27.
(2) Calvinus Inst. l iv. c. xvii. n. 48.
(3) Ibidem, n 50. (4) Ibidem.

432. *Resp.* Integrum est Sacramentum, quum Christus totus adsit et detur salutis æternæ ipse largitor. Cum Christi institutione omnino concordat, quod pertinet ad substantiam : est enim corpus et sanguis ejus. Sed ratio qua datur diversa est, sicut et adjuncta : quod nemo nobis vitio vertere debet qui non servet ad amussim omnia quæ in ejus institutione servata sunt. Quis autem dicat Eucharistiam in diversorio vel privati alicujus hominis domo, post agni esum, vel aliud convivii genus, sub noctem, celebrandam esse, ut quæ in ejus institutione contigerunt imitemur?

Animadversio.

433. Quum administratio Eucharistiæ sub utraque specie res sit disciplinæ, ex auctoritate suprema Ecclesiæ pendet. Indulsit calicis usum Bohemis et Moravis Concilium Basileense ; Germanis Pius IV, sed nullo cum fructu : inde enim vires cepit error de Sacramenti natura; quapropter brevi indulgentiæ est derogatum, et disciplina universalis Ecclesiæ restituta.

CAPUT XV.

DE SUSCIPIENTIBUS EUCHARISTIAM.

434. Eucharistiam nonnisi a baptizatis hominibus suscipiendam docuit Justinus : « Cujus nemini alii licet esse participi, nisi qui credat vera esse quæ docemus, atque illo ad remissionem peccatorum et regenerationem lavacro ablutus fuerit, et ita vivat ut Christus tradidit. » [1] Id consonum est iis quæ refert Lucas Baptismo initiatos esse eos qui Petro concionante ad fidem conversi sunt, quos deinceps panis fractione, Eucharistiæ scilicet perceptione, donatos esse testatur. Lutherus pro more paradoxon tradidit : « Optima dispositio est nonnisi ea, qua pessime es dispositus; et e contrario tunc pessime es dispositus, quando optime es dispositus. » [2] Concilium Tridentinum e contra docet : « Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : « Probet autem seipsum homo. » Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat : quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit ipsis copia confessoris ; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. » [3] Anathema etiam tulit in Lutheri errores : « Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit. » [4] « Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ; anathema sit. » [5]

435. Equidem Apostoli monitum de conscientiæ indagine — δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτόν — ostendit magna animi puritate opus esse, ut quis ad tantum Sacramentum secure accedat. Id liquet ex Justini verbis etiam, quæ mox recitavimus; ex Cypriani gravissimis increpationibus, quibus temere accedentes, « ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo et clero impositam, » [6] exagitat; ex Chrysostomi

(1) Apologia i. n. 66.
(2) In concion. an. 1518 de præp. ad S. Euch.
(3) Sess. xiii. can. vii. (4) Ibid. can. v.
(5) Ibid. can. xi. (6) Ep. x.

etiam documentis lucidissimis, quibus maximam exigit puritatem ut quis tanto beneficio fruatur.

436. Attamen in Liturgiis plura occurrunt quæ peccatorum remissionem veluti Sacramenti fructum indicant: « Hæc nos communio purget a crimine: » . . . . « sit ablutio scelerum; » sed hujusmodi dicta respiciunt plenam delictorum indulgentiam, quæ tamen planxerit peccator, et quorum pœnitens veniam in tribunali assecutus fuerit, antequam divinum cibum degustare auderet.

437. Jejuni accedere debent ad Eucharistiam fideles, adeo ut a media nocte nihil quantumvis minimum, vel cibi, vel potus, vel medicinæ sumere liceat. Vetustissima est hæc disciplina, in honorem tanti Sacramenti instituta, et occasione, uti verosimile est, excessuum qui Corinthi contigerunt. Eam memorat Tertullianus, uxorem a secundis nuptiis ut absterreret: « Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes. »[1] Augustinus non dubitavit dicere: « Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. »[2] Vita periclitantibus, tamen non jejunis, tamquam *Viaticum* datur. Quod autem instituta fuerit Eucharistia post cœnam, non obstat: oportebat enim agni paschalis typum in Christo mystice immolato implere, ideoque novum sacrificium veteri statim subjicere. Instituta autem Eucharistia, penes Apostolos erat ea statuere quæ ad quotidianam et perennem ejus celebrationem pertinebant; eos enim ministros suos, et dispensatores mysteriorum divinorum Christus constituit.

438. Juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, quæ ad sæculum usque decimum, aut undecimum apud Latinos obtinuit, et quæ apud Græcos adhuc retinetur, parvulis statim post Baptismum Eucharistia ministrabatur, pretiosi sanguinis gutta ori infusa. Id fiebat ut divino munere donati intimius conjungerentur Christo, ipso sanctitatis auctore et salutis, accepto. De arctissima conjunctione Patres aliqui ita locuti sunt, ut eam prorsus necessariam esse viderentur dicere; sed dicta hujusmodi benignius sunt exponenda, quum baptizatis infantulis nemo salutem denegaverit. Augustinus, cujus testimonia necessitatem illam adstruere maxime videntur, docet: « Si percepto Baptismate de hac re vita emigraverit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius. perficitur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, justificatos præsentia Creatoris illuminat. »[3] Lanfrancus, Cantuariensis, Domnaldo Hiberniæ Episcopo respondens ait: « Revera et procul pulsa omni ambiguitate, sciatis, neque transmarinas Ecclesias, neque nos Anglos, hanc de infantibus tenere sententiam, quam putatis. Credimus enim generaliter omnes, omnibus ætatibus plurimum expedire, tam viventes, quam morientes, Dominici corporis et sanguinis perceptione sese munire. Nec tamen si priusquam corpus Christi et sanguinem sumant, contingit baptizatos statim de hoc sæculo ire, ullatenus credimus eos, quod Deus avertat, propter hoc in æternum perire. »[4] Jure igitur optimo Tridentina Synodus docet, « parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem; siquidem per Baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate

(1) L. ii. ad uxorem c. v.
(2) Ep. liv. alias cxviii. ad Januarium.
(3) L. i. de pec. merit. et remiss. c. xix.
(4) Vol. vi. ed. 1184. Conc. col. reg.

amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis servavit; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est. »[1] Decrevit etiam : « Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem anathema sit. »[2] Antiquum morem à superstitionis labe merito vindicant Oxonienses.[3]

439. Adulti tenentur divino præcepto ad percipiendam Eucharistiam, juxta Christi verba : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. »[4] Ut illud urgerent Lateranenses Patres, jusserunt fidelibus omnibus saltem semel in anno Eucharistiam suscipere : quo nixi decreto Tridentini Patres censuerunt : « Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; anathema sit. »[5]

Hæc de Sacramento Eucharistiæ disseruimus, fuse quidem si instituti nostri habeatur ratio, sed breviter pro rei gravitate. De ea prout Sacrificium est nunc agendum.

(1) Sess. xxi. cap. iv. (2) Ibidem, can iv.

(3) « Would not most men maintain, on the first view of the subject, that to administer the Lord's supper to infants, or to the dying and insensible, however consistently pious and believing in their past lives, was a superstition, and yet both practices have the sanction of primitive usage. » Oxford Tracts, vol. ii. Advertisement.

(4) Joan. vi. 54.

(5) Sess. xiii. can. ix.

PARS II.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

PRÆNOTANDA.

1. Sacrificii nomen latius sæpe sumitur pro actu quocumque cultus, vel virtutis quolibet exercitio, quo Deo placere studemus, dono aliquo oblato in ejus honorem, vel cupiditatibus vi illata. Proprie autem sacrificium est actus supremi cultus quo Deus supremus rerum Dominus agnoscitur, re aliqua in illius honorem oblata. *Sacrificium* notionem animalis mactati in Dei honorem juxta communiorem acceptionem ingerit. Sic quæ immolabantur apud Judæos ex legis præscripto animantia, sacrificia vocantur. Horum tria fuerunt genera, quorum unum totum comburebatur, עוֹלָה idcirco dictum, *ascendens* scilicet, ὁλοκαυστον apud Græcos, ascendebat enim flamma victimæ ad supremum Dei dominium testandum. חַטָּאת *peccatum* dicebatur victima ad delicti veniam assequendam oblata. שְׁלָם duas victimarum species complectebatur, eas scilicet quæ ad impetrandum beneficium offerebantur, et eas quæ gratum animum ob beneficium acceptum testabantur. Præter sacrificia, oblationes quædam fiebant מִנְחָה ex simila, oleo et thure; et libationes ex vino. Quo vocabulo designantur etiam Caini et Abelis oblationes, quarum hic e pecoribus, ille e fructibus terræ Deo dicabat : θυσια vero a Septuaginta redditur. Sacrificii nomen tribuitur oblationi ad Dei testandum supremum dominium factæ, licet nulla sit mactatio victimæ : Incruentum sacrificium est, quando sanguis non funditur, uti fructuum a Caino oblatio : *cruentum* e contra vocatur sacrificium in quo victima mactatur, sanguine ejus fuso.

2. Christo adveniente, et in cruce mortuo, omnia vetera cessasse sacrificia res est explorata. Unica illius oblatione pretium pro nobis solutum constat, adeo ut nulla alia opus sit qua luantur peccata, nonnisi ipsius sanguine delenda. Monumentum quoddam suæ mortis in Eucharistia ab ipso relictum apud plerosque in confesso est; sed disputatur Catholicos inter et Protestantes, utrum veri sacrificii habeat rationem. Protestantes fere omnes negant; exceptis Anglicanis, quorum plurimi illud fatentur, quamvis gravissimo errore sacrificii rationem in pane et vino, tamquam symbolis corporis et sanguinis Christi, consti-

tuant. Dicunt igitur Eucharistiam sacrificium esse *commemorativum* et *mysticum* : nonnulli illud *verum*, *reale*, *impetratorium*, et *propitiatorium* prædicant, aliis latiori sensu vocem usurpantibus, paucis omnino victimam vere præsentem sisti, et manu sacerdotis offerri agnoscentibus. Ipsi Oxonienses non satis suam mentem produnt, forsan quod principium ab ipsis traditum sequi velint, caute parceque de religionis arcanis disserentes. [1]

3. Sectarii omnes in his regionibus prorsus denegant Eucharistiam esse sacrificium veri nominis, si exceperis quosdam ex Episcopalibus, qui nomine delectantur, rem abjiciunt. White, tamquam errorem notat quorumdam Protestantium doctrinam, in Eucharistia agnoscentium sacrificium : quapropter ab altaris et sacerdotis vocibus se prodidit alienum. [2] Seabury, alter ejusdem sectæ præsul, aliter sensit; adeo inter se de vocibus dissident, rem, prout in Christi Ecclesia se habet, minime agnoscentes.

4. Ne verborum ambiguitate nos ludificentur Anglicani, id præ omnibus exigendum est, ut victimam vere præsentem, non *mystice* tantum, *spiritaliter*, et *sacramentaliter*, quo sensu voces hæ plerumque ab eis usurpantur, sed *vere*, *realiter*, et *substantialiter*. Hic cardo est controversiæ : nam si vera, realis, et substantialis agnoscatur præsentia, quæ nonnisi panis et vini in ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi conversione contingit, victima aderit, manu sacerdotis vere Deo oblata; ideoque *verum* et *proprium* erit sacrificium, quod commemorativum tamen, incruentum, et mysticum sit. Verum et proprium sacrificium alio sensu prædicantes verbis ludunt. [3]

5. Apud Syros ܩܘܕܫܐ, *sanctum*, vocatur sacrificium Eucharisticum, seu ritus integer illud celebrandi : Λειτουργία apud Græcos; *Missa* apud Latinos. Hujus vocis origo ad formulam qua dimittebantur catechumeni ante mysteriorum celebrationem, fideles, cele-

(1) « The doctrine of the early Church was this: that « in the Eucharist, an oblation or sacrifice » was made by the Church to God, under the » form of his creatures of bread and wine, ac- » cording to our Blessed Lord's holy institution, » in memory of His Cross and Passion; » and this they believed to be the « pure offering » or sacrifice which the Prophet Malachi foretold that the Gentiles should offer; and that it was enjoined by OUR LORD in the words « Do this for a memorial of Me; » that it was alluded to when our Lord or St. Paul spake of a Christian « altar » (St. Matt. v. 23. Heb. xiii. 10.), and was typified by the Passover which was both a sacrifice, and a feast upon a sacrifice . . . . It is, then, to use our technical phraseology, « a commemorative, *impetratory* sacrifice » which is all one with saying that it is well-pleasing to GOD; for what is well-pleasing to Him, how should it not bring down blessings upon us! *They* preferred to speak of it in language, which, while it guarded against the errors of their days, the confusion with the sacrifices of Jew or Pagan, expressed their reverence for the memorials of their SAVIOUR'S Body and Blood, and named it « the awful and unbloody sacrifice, » or the like, as men would, with a sense of the unfathomable mystery of GOD'S goodness connected therewith. This pleading of our SAVIOUR'S merits, by a sacrifice instituted by Himself, was (they doubted not) regarded graciously by GOD for the remission of sins; as indeed our Lord had said : « This is My Blood which is shed for you and for many for the remission of Sins. » Vol. iii. Tract. 81. p. 5. London edition.

(2) « The error referred to, is that the doctrine of the Eucharist involves the being therein a real or material sacrifice; an altar; and a priest, in the sense of an offerer of sacrifice. » White. Dissertation on the Eucharist, Sect. iii. p. 389.

(3) « If we deny the Eucharist to be A REAL AND PROPER SACRIFICE we give the Papists a great advantage over us. Because they may easily prove from the institution of this Sacrament by CHRIST, from this and divers other texts of Scripture, and from the primitive Fathers of the Church that it is a Sacrifice. » Brett, presbyter Anglicanus : *The Christian Altar and Sacrifice. A Sermon.* On Heb. xiii. 10. apud Oxonienses tract. 81. p. 386.

bratione peracta, « Ite, Missa est, » referenda videtur; missa scilicet idem est ac missio, seu dimissio. In plerasque Europæ linguas vox adscita est, cum levi aliqua immutatione *Messa*, *Messe*, *Misa*, *Mass* apud Anglos. Jam Ambrosii ætate usu recepta erat: « Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum ut subveniret. »[1] Vocem non improbant aliqui Anglicani, qui et sacrificium ipsum agnoscere videri volunt.[2]

CAPUT I.

DE SACRIFICII VERITATE.

6. Tridentinum Concilium definivit: « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit. »[3] Est igitur fidei doctrina in Missa offerri Deo verum et proprium sacrificium. Mentem suam explicant Patres Tridentini: « Is igitur Deus, et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba: « Hoc » facite in meam commemorationem; » ut semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit. »[4]

Propositio.

In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium.

7. *Probatur* 1. *ex Christi sacerdotio secundum ordinem Melchisedech.* Psaltes Deum Patrem Filium alloquentem exhibet: « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. »[5] — אתה-כהן לעולם על-דברתי מלכי-צדק Illud de Christo explicat Paulus.[6] Jam vero sacerdotii similitudo et proprietas in oblatione seu sacrificio præcipue exquirendæ sunt: « Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis. »[7] Sacerdotium igitur ad sacrificium necessariam habet relationem; ideoque in Melchisedechi sacrificio Christi oblationis typum et imaginem spectare oportet. Quæ fuerit oblatio Melchisedeciana ex Genesis decimo quarto capite colligitur, in quo narratur eum Abrahæ redeunti obviam ivisse, et protulisse panem et vinum: erat quippe sacerdos Dei altissimi.[8] ומלכי-צדק מלך שלם הוציא לחם ויין

(1) Lib. v. ep. xxxiii. ad Marcellinam.

(2) « Tis visible that the Protestants of the Church of England believe and reverence, as much any the sacrifice of the Eucharist, as the most substantial and essential act of our religion, and doubt not but the word *Missa*, « Mass » has been fitly used by the Western Church to signify it. » Hammond's Works, vol. ii. p. 464. cit. ab Oxoniensibus, vol. iv. Tract. 84.

(3) Sess. xxii. can. i. (4) Ibidem cap. i.

(5) Ps. cix. 4.

(6) Heb. v. 6. (7) Ibidem v. i. (8) Gen. xiv. 18.

והוא כהן לאל עליון quod a vulgato interprete redditur : « At vero Melchisedech, rex Salem, proferens panem et vinum : erat enim sacerdos Dei altissimi. » Oblatio Deo facta panis et vini nec in textu, nec in versione affirmatur, sed vox Hebraica, cui respondet « proferens » in Vulgata, apte exprimit donorum adductionem ut Deo offerrentur, quod ex sacerdotii sui mentione, quæ statim fit, jure optimo infertur. [1] Equidem nullus alius actus sui sacerdotii proprius in sacro textu indicatur : benedicere enim et decimas accipere erat jus sacerdotibus Aaronicis. Ergo ea in re sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech a sacerdotio Aaronico distinguitur, quod panis et vinum præ animantibus a Christo adhibeantur, quæ scilicet corpus et sanguis sui facta, Deo hominum causa offeruntur. Præterea quum singulæ circumstantiæ hujus narrationis plenæ sint mysterii, uti Paulo docente didicimus, haud sine causa panis et vini mentio facta censenda est. Ipsa rei gestæ concordia cum panis et vini usu a Christo, cujus sacerdotium ad instar Melchisedeciani sacerdotii declaratur, gravissima est ratio, cur in oblatione affirmetur similitudo, typo rei veritatem præsignante. Ergo Christus censendus est sacerdotii sui secundum ordinem Melchisedech munere functus esse in Eucharistiæ institutione, verum utique offerendo sacrificium. Quum autem perpetuum sit illud sacerdotium, idem sacrificium Christi auctoritate, et veluti persona offerendum est, ad mundi usque finem, ut in ævum ipse sacerdos sit.

8. *Patres appellamus interpretes.* S. Cyprianus, post relata Psaltis verba : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, » dicit : « Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem ? [2]

9. Clemens Alexandrinus : « Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui panem et vinum sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ. » [3]

10. Eusebius Cæsareensis : « Quemadmodum Melchisedech, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed solo vino ac pane ; ita Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus . . . . vino ac pane corporis illius ac salutaris sanguinis mysteria repræsentat : quæ sane mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu divino cognoverat, et rerum futurarum imaginibus usus fuerat. » [4]

(1) « Melchisedec was called a Priest, (as he is often by St. Paul to the Hebrews), who yet had no other offering or sacrifice that we read of, but that of Bread and Wine, Gen. xiv. « He brought forth bread and wine, and » or « for (the Hebrew word bears both) He was a Priest, » that is, this act of his was an act of Priesthood; for so must it be referred, « he brought forth bread and wine, for he was a Priest, » and not thus : « and he was a Priest, and blessed Abraham ; » for, both in the Hebrew and Greek, there is a full point after these words, « and » or « for he was a Priest. » Bishop Sparrow apud Oxonienses vol. iv. Tract. 81. p. 155, London edition. Consentit Dodwell : « The vulgate reads it, *erat enim*, with a causal particle. And unless some such thing be understood, it will not be easy to give any tolerable account of the pertinency and connexion of the former part of the verse with the latter. » Ibidem p. 250. In versiculo 12 eadem vis est conjunctionis : quæ posset reddi « habitabat enim. »

(2) Ep. ad Cæcilium, l. ii. ep. iii. alias ep. lxiii.

(3) L. iv. Stromatum.

(4) L. v. dem. Ev. c. iii.

11. Auctor librorum de Sacramentis: « Cognovimus sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech. » [1]

12. S. Hieronymus ad Marcellam scripsit : « Recurre ad Genesim, et Melchisedech regem Salem hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium christianum in Salvatoris corpore et sanguine dedicavit. » [2]

13. S. Augustinus ad Innocentium scripsit : « Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ, novit æternum ejus sacerdotium figurare. » [3] Et alias : « Ibi quippe primum apparuit sacrificium quod nunc a Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne : « Tu es sacerdos in æternum » secundum ordinem Melchisedech. » [4] « Alias de Psaltis verbis agens animadvertit : « Ibi quippe et hoc dictum est : « Juravit Dominus, et non pœnite- » bit eum : Tu es sacerdos in æternum » secundum ordinem Melchisedech. » Noverunt qui legunt quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, et jam sunt participes ejus : vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio, incredulorum est increpatio : et quod Deum non pœnitebit, significatio est quia hoc sacrificium non mutabit, mutavit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron. » [5] Anglicani quamplurimi sacrificium Melchisedecianum in Eucharistia impletum a Patribus prædicari agnoscunt. [6]

14. Ipsi vetustiores Rabbini sacrificium Melchisedech vino paneque constitisse intellexerunt, illudque agnoverunt typum fuisse sacrificii a Messia offerendi. Rabbi Samuel in caput XIV. Geneseos scribens, ait : « Actus sacerdotii tradidit : erat enim ipse sacrificans panem et vinum Deo sancto et benedicto. » Rabbi Phineas scribit : « Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis et vini non cessabit ; sic dictum est Gen. xiv : « Et Melchisedech rex Salem protulit » panem et vinum. » Melchisedech enim, id est, rex Messias, excipiet a cessatione sacrificiorum sacrificium panis et vini, sicut dicitur Psal. 110 : « Tu es » sacerdos in æternum secundum or- » dinem Melchisedech. » [7]

15. *Probatur* 2. *ex vaticinio Malachiæ.* « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » [8] Textus habet : מקטר מגיש לשמי ומנחה טהורה Ad verbum redditur : *incensum offertur nomini meo, et munus purum :* sed incensum pro sacrificio quod comitatur, sumitur, uti ex dono quod statim nominatur colligitur. Sic et

(1) L. v. de Sac. c. i.

(2) Ep. ad Marcellam.

(3) Ep. clxxvii. alias xcv.

(4) L. xvi. de civ. Dei c. xxii.

(5) L. i. contra adversarium legis et prophetarum c. xx.

(6) « Here, as has been proved, we have the judgment of the ancients with us ; who do generally assert, that Christ did offer bread and wine in the Eucharist, and offered them as a Melchisedechian priest, and as symbols of his Body and Blood ; and that in and by these symbols, He did misteriously devote His natural Body to suffer according to the will of God, and this is a certain proof that the Fathers took « given » not only as expressing, but as meaning and intending the time then present. » Vide Johnson apud Oxonienses loco cit. p. 336.

(7) In c. xxviii. Numerorum. Vide Bereschit Rabba. (8) Malach. i. 17.

apud Osee : « Super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama. » [1] Declarat igitur Deus per Malachiam se rejecturum victimas et oblationes judaicas, acceptaturum autem munus purum a gentibus ubique per orbem sibi offerendum. Haud absque causa victimæ vox omissa est, ne cruenta censeretur oblatio; מִנְחָה autem vocatur oblatio, quippe quæ juxta externam speciem aliquam habet similitudinem muneri ex simila, oleo, et thure, quod Judæi ex legis præscripto offerebant. [2] Hujusmodi oblatio in locum victimarum antiquarum erat substituenda, et ubique offerenda. In Eucharistia vaticinium insigniter impletur : est scilicet pura oblatio corporis Domini sub panis specie, una cum sanguine sub specie vini, ubique per orbem a solis ortu usque ad occasum facta, qua gloria Deo redditur longe præstantior illa quam victimæ antiquæ reddebant.

16. *Patres appellamus interpretes.* S. Justinus M. cum Tryphone Judæo disserens, Malachiæ vaticinium in medium adduxit : « De nostris gentium quæ in omni loco offeruntur sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ et poculo similiter Eucharistiæ, jam tum loquutus Malachias, prædixit nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare. » [3]

17. S. Irenæus, de institutione sacrificii agens, Malachiæ vaticinium in ea impletum affirmavit : « Eum qui ex creatura panis est accepit, et gratias egit, dicens : « Hoc est corpus meum. » Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in Novo Testamento, de quo in duodecim prophetis, Malachias sic præsignificavit : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens : » manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offertur Deo, et hoc purum, nomen autem ejus glorificatur in gentibus. » [4]

18. S. Augustinus : « Hoc sacrificium per sacerdotes secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo jam videant offerri, sacrificium Judæorum, de quibus dictum est : « Non est mihi voluntas in vobis; » jam cessasse negare non possunt. » [5]

19. Anglicani plurimi fatentur vaticinium Malachiæ in Eucharistia impleri, juxta Patrum communem interpretationem. [6]

20. *Probatur* 3. *ex verbis Christi.*

(1) Osee iv. 13. (2) Lev. ii. 1.

(3) Dial. cum Tryphone.

(4) L. iv. adv. hær. c. xxxii.

(5) L. xviii. de civ. Dei. c. xxxv.

(6) « This place of Scripture, howsoever now in a manner silenced and forgotten, was once, and that in the oldest and purest time of the Church, a text of eminent note, and familiarly known to every christian, being alleged by their pastors and teachers, as an express and undoubted prophecy of the Christian Sacrifice, or solemn worship in the Eucharist, taught by our blessed Saviour unto His disciples, to be observed of all that should believe in His name : and this so generally and grantedly, as could never have been, at least so early, unless they had learned thus to apply it by tradition from the Apostles. » Mede, *The Christian Sacrifice*, apud Oxonienses, tract. 81, p. 109. *Overall* dicit de locis Malachiæ et Psaltis : « both which the ancient Fathers

Verba Christi ostendunt oblationem corporis et sanguinis sui factam ipso quo loquebatur momento : « Hoc est corpus meum quod pro vobis datur : » — τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον — « hoc facite in meam commemorationem. » — τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. « Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. » — Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. [1] Datum est igitur corpus ipso quo id affirmabat Christus tempore, et quidem non ipsis tantum manducandum, sed pro ipsis Deo utique oblatum : [2] fusus est calix ipse tunc propter nos : [3] verum proinde tunc oblatum est sacrificium. Id ut *facerent* Apostoli jussi sunt : ipsi idcirco sacrificium idem peragere debuerunt, quod ex voce *faciendi* absolute prolata inferre licet : habet enim sacrificandi seu offerendi vim, sicut et vox Græca — ποιεῖτε. [4] Obtulit Christus suum corpus et sanguinem, vim sibi ab hostibus inferendam præveniens, seque voluntate sua hostiam dando, ut Patrem, animantium sacrificia respuentem, hominibus placaret. Tunc igitur impletum est quod per vatem dixerat : « Quia hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. » [5]

21. *Patres interpretes damus*. S. Irenæus, verbis Christi recitatis, dicit : « Novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo. » [6]

22. S. Cyprianus, de Aquariis querens, qui aqua præ vino in Eucharistia utebantur, dicit : « Non hoc faciunt quod Jesus Christus, Dominus et Deus noster, sacrificii hujus auctor et doctor, fecit et docuit. » Postea dicit : « Nam si Jesus Christus, Dominus et Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, et sacrificium Deo ipse primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur. Et sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. » [7]

23. S. Gregorius Nyssenus : « Qui potestate sua cuncta disponit. . . arcano sacrificii genere, quod ab homi-

with one consent, understand of the Sacrifice of the Eucharist, and the Priests of the Gospel. » Oxford Tracts, Vol. iv. Tract. 81, p. 73. London edition.

(1) Luc. xxii. 19, 20.

(2) « I have beyond all just contradiction proved, that Jesus performed the office of a Sacrificing Priest, when he first instituted the Holy Communion, and that He, at the same time, ordained His Apostles and their successors to succeed Him in that sacred office; and, whether Melchisedech's priesthood were a type of Christ's in offering bread and wine, or not, (of which, I believe, few impartial readers will doubt), yet that, in thus offering a real Sacrifice, He fulfilled the prefiguration of the pontifical Sacrifice offered under the law, and that he intended the latter, as well as the former, to be a PERPETUAL DAILY SACRIFICE, will be granted me by all that are not very hard to be convinced. » Johnson, *Propitiatory Oblation in the Holy Eucharist*, published anonymously, p. 98. 100. apud Oxonienses, tract. 81. p. 338.

(3) « Which is shed. » — i. e. He then, at that instant, gave is Body and Blood a Sacrifice for the sins of the world. » *Wilson*, episcopus Anglicanus, *Holy Bible*, *with notes*.

(4) Hickes, Episcopus Anglicanus, fuse probat sacrificandi vim voci Græcæ inesse præsertim juxta septuaginta interpretum, et judaicorum scriptorum usum : « In that translation of the Old Testament, ποιεῖν signifies the same as ἱεροποιεῖν or ἱερουργεῖν to « offer, » or « sacrifice » as עשה does in the Hebrew, and FACERE in the Vulgar translation. So Exod. xxix. 36. καὶ τὸ μοσχάριον ΠΟΙΗΣΕΙΣ. » The Christian Priesthood asserted, p. 58. apud Oxonienses, tract. 81. p. 253.

(5) Heb. x. 8. 9.

(6) L. iv. adv. hær. c. xxxii.

(7) Ep. ad Cæcilium lxiii. alias l. ii. n. iii.

nibus cerni non poterat, se ipsum pro nobis hostiam offert, et victimam immolat, sacerdos simul existens, et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? *Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum præbuit*, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. »[1]

24. S. Joannes Chrysostomus: « Pro cæde brutorum Christus se ipsum jussit offerri, ipsumque sacrificium mutavit. »[2]

25. S. Augustinus: « Sacrificare martyribus dixi, (*esse peccatum*) non dixi sacrificare Deo in memoriis martyrum; quod frequentissime facimus, illo duntaxat ritu, qui sibi sacrificari novi Testamenti manifestatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, qui latria dicitur, et uni Deo debetur. »[3]

26. Anglicani plurimi agnoscunt Patres sacrificium a Christo institutum tradidisse. Grabius dicit consensum veterum hac de re adeo clarere, ut vix de alio fidei arcano tanta concordia habeatur.[4]

27. *Probatur* 4. *ex Apostoli verbis.* Quum Paulus eos increparet qui cultus idolorum aliquatenus participes Eucharistiam sumere audebant, argumentum ex victimæ Eucharisticæ natura desumpsit: « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? »[5] Vox Græca κοινωνία aptissime exprimit sacrificii consortium, victimæ carnes manducando. Inde infert omnes qui Eucharistiam sumunt, unum effici panem, quia eodem vescimur, specie visibili; unum esse corpus, quia idem Christi corpus sub specie illa recipimus: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. » Id probat ex consortio sacro, quod inierunt Israelitæ, victimis Deo oblatis vescentes: « Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? » Inde innuit sequi, eos qui vescebantur idolothytis, iis in rerum adjunctis in quibus manducatio cum victimæ oblatione connectebatur, esse idololatriæ reos, licet idola ipsi non colerent. Sibi autem objecit idola vana esse et inania quæ fideles nequaquam colere vellent: cui respondet gentes victimas cultus causa offerre, ideoque non licere aliquatenus consortium cum iis inire, victimis vescendo, et nefas esse victima Eucharistica vesci, post hujusmodi profanum consortium: « Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. » Loquitur, ut patet, de mensa in qua apponebantur carnes victimarum, de altari scilicet in qua immolabantur, non equidem de mensa communi; eamque cum mensa Domini conferens, indicat in hac apponi carnem victimæ, corpus scilicet Christi. Cali-

(1) Orat. i. in Christi resurr.

(2) In i. ad Cor. hom. xxiv.

(3) L. xx. contra Faustum c. xxi.

(4) Narrat disceptationem inter suos: « This point, namely, was disputed, whether in the Eucharist, the bread and wine, and after the mystical consecration, the Flesh and Blood of the Lord, are offered upon the holy table, as upon an altar to God, for the testifying of His supreme dominion, and the commemoration or representation of the Sacrifice of Christ finished on the Cross. » De hac sententia dicit: « There is in behalf of this opinion such a consent of the most ancient Fathers and successors of the Apostles, as is seen in scarcely any mystery of the Christian faith. » Grabe MS. Adversaria, apud Oxonienses, Tract. 81, p. 374.

(5) I. Cor. x. 16.

cem etiam in quo vel sanguis victimæ degustandus propinabatur, vel vinum idolo libandum, confert cum calice Domini, in quo sanguis est Christi Deo oblatus, et mystice fusus in peccatorum remissionem. [1] Est igitur Eucharistia verum et proprium sacrificium, et quidem corporis et sanguinis Christi, quorum participes fiunt eam sumentes.

28. Id liquet ex iis quæ Apostolus jam dixerat, mores integros commendans, ut epulo sacro fruamur : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur ; non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ : sed in azymis sinceritatis et veritatis. » [2] Quum agnus paschalis vere esset sacrificium, et Christus Pascha nostrum dicatur, pro nobis immolatum, veram sacrificii rationem in eo agnoscere oportet. Apostolus autem hortatur ut eo epulemur, quo pacto agni paschalis carnibus vescebantur Judæi : ergo vere nobis datur caro Christi manducanda in Eucharistia, quæ proinde est veri nominis sacrificium ; neque enim sacrificium crucis, quod semel tantum oblatum est, potest dici illud cujus participes sumus, nec epulum symbolum sacrificii præteriti verbis Apostoli respondet. [3]

29. Præterea dicit Paulus : « Habemus altare — θυσιαστήριον — de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. » [4] Victimam esse in altari christiano immolatam, de qua edunt qui ritus judaicos dereliquerunt, et Christi instituta sequuntur, ex illo testimonio omnino constat. De orali manducatione agitur : nam confertur manducatio christianæ victimæ, cum sacrificiorum Aaronicorum manducatione, quæ certe ore fiebat, non fide tantum concipiebatur. [5]

30. *Probatur* 5. *ex traditione*. Patres testes fidei semel sanctis traditæ adducimus.

31. Clemens Romanus, Apostolorum æqualis, ad Corinthios scribens, ait : « Cuncta ordine debemus facere quæ nos Dominus jussit peragere. Statutis temporibus oblationes et officia sacra

(1) « Bp. Warburton, Div. Leg. ix. 2. Vol. vi. 296, maintains, that the religious ordinances of the heathens here adverted to, were *feasts upon sacrifice*, so the nature of the expression used by St. Paul plainly denotes that he considered the Eucharist not (with the Socinians), as a mere commemoration of a dead benefactor, but as a feast upon sacrifice. » Bloomfield in i. Cor. x. 16.

(2) I. Cor. v. 7. 8.

(3) « If Christ be a propitiatory Sacrifice, a Peace-offering, I see not how we can avoid but the flesh of our peace-offering must be eaten in this feast by us, or else we evacuate the offering utterly, and lose the fruit of it ; and was there a Passover heard of and the lamb not eaten ? » Andrews episcopus Anglicanus, *Sermons of the Resurrection*, No. 7. apud Oxonienses, tr. 81. n. 95.

(4) Heb. xiii. 10.

(5) Sparrow, Anglicanus Episcopus, apud Oxonienses, p. 152. animadvertit : « St. Paul in th verse before, had persuaded that they should not be carried away with strange doctrines of Jewish and carnal observances, which are grown unprofitable to those that walk in them. For « we have an altar » now, « whereof they that serve at the Tabernacle, » the Jewish Priests, « have no right to eat » unless they will receive the faith of Christ ; our altar is better than theirs, and theirs was but a shadow of ours ; the Sacrifices of their altar, but types of ours ; theirs are vanished, and ours only continue. And for this reason do you leave strange doctrines of Jewish observances, and continue in the grace of the Gospel, whose altar is to continue ; for « we have an altar. » Johnson concinit : « I think it very evident that the Apostle here cannot be understood of spiritual manducation . . . And if the Apostle speak of eating orally, then it will easily be granted that the Sacrifice here understood must be the Sacrifice of the Body and Blood of Christ in the Eucharist : for we have no other which can be so eaten. » . . . « The Sacrifice of the Cross cannot be meant in this place ; because that was a Sacrifice without an altar, and therefore could not in all probability be intended by the word « altar. » Johnson apud Oxonienses. tr. 81. p. 321.

— προσφορας καὶ λειτουργιας — perfici, neque temere vel inordinate fieri præcepit. » [1] Utraque vox ad sacrificandi ritum refertur. [2]

32. Tertullianus ait : « Sacrificamus pro salute Imperatoris. » [3]

33. S. Cyprianus scribit : « Apparet sanguinem Christi non offerri si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni. » [4] Alias : « Episcopatus nostri honor grandis et gloria est, pacem dedisse martyribus, ut sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo et victimas præparemus. » [5]

34. S. Cyrillus Hierosolymitanus : « Deinde vero postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace. » [6]

35. S. Gregorius Nazianzenus de Juliano apostata scribit : « Impuro et nefario sanguine lavacrum extergit; initiationi nostræ initiationem opponens : manusque suas profanat, ut nimirum eas ab incruento sacrificio per quod nos Christo, ipsiusque passionibus ac divinitati communicamus, elueret ac repurgaret. » [7]

36. S. Joannes Chrysostomus : « Ad mensam veniente domino, servos qui dominum offenderunt, adesse non oportet, sed procul arcentur; ita et hic dum *profertur sacrificium, et Christus immolatur*, et ovis Dominica, cum audieris : « Oremus omnes communi- » ter; » cum velum videris retrahi, tunc superne cœlum cogita aperiri, et Angelos descendere. » [8] De ritu a Græcis adhibito in solemniori Liturgiæ parte loquitur : velum scilicet sanctuarii retrahebant.

37. S. Ambrosius : « Quando sacrificamus, Christus adest, *Christus immolatur*. » [9]

38. S. Hieronymus : « Sic docuit Apostolos suos, ut quotidie in *corporis illius sacrificio* credentes audeant loqui : « Pater noster, etc. » [10] Et Vigilantium, reprehendentem reliquiarum venerationem, damnari probat consuetudine totius Ecclesiæ, quæ sacrificabat in tumulis martyrum. Irridens eum dicit : « Male ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli ossa veneranda, secundum te pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum arbitratur altaria, idque non solum unius urbis, sed totius orbis faciunt Episcopi. » [11]

(1) Ep. 1. ad Cor. n. xl.

(2) « This great mystery can be expressed by no other word, more fitly and fully than by those θυσία προσφορὰ, « Sacrifice » « oblation » and the like. By which words accordingly, it is called by Justin Martyr also . . . *Dial. cum Tryph.* In which book the words θυσια and προσφορα are often used in this sense, namely for the Eucharist. » Ita Beveridge episcopus Anglicanus, in opere : Codex Canonum Eccl. Prim. vindicatus ac illustratus l. ii. cap. x. § 3. 4. Apud Oxon. tract. 81. p. 240. « The names whereby the ancient Church called this service are προσφορὰ θυσία « oblation, » « Sacrifice; » Εὐχαριστία, « Eucharist, » (a word, if rightly understood, of equipollent sense;) θυσία αἰνέσεως, θυσια λογικὴ καὶ ἀναιμακτος, « a Sacrifice of praise, » « a reasonable and unbloody Sacrifice; » *Sacrificium Mediatoris, Sacrificium Altaris, Sacrificium pretii nostri, Sacrificium corporis et sanguinis Christi*, « the Sacrifice of our Mediator, » « the Sacrifice of the Altar, » the Sacrifice of our Ransom, » « the Sacrifice of the Body and Blood of Christ. » It would be infinite to note all the places and authors where and by whom it is thus called. » Mede, *The Christian Sacrifice*, apud Oxonienses, tract. 81. p. 111.

(3) L. ad Scapulam c. ii.

(4) Ep. ad Cæcilium.

(5) Ep. ad Cornelium lxiv.

(6) Catech. Myst. v.

(7) Orat. iii. quæ est 1. contra Julianum.

(8) Hom. ii. ad populum Antioch.

(9) Comm. in c. i. Lucæ.

(10) L. iii. adv. Pelag.

(11) L. adv. Vigilantium c. iv.

39. S. Augustinus : « Verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens Mediator effectus est Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei Sacramentum *quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium* : quæ cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.»[1]

40. S. Cyrillus Alexandrinus : « Incruentam celebramus in Ecclesiis sacrificii servitutem. » [2]

41. S. Gregorius Magnus de Cassio Episcopo Narniensi dicit : « Quotidianum offerre consueverat Deo sacrificium, seque in lacrymis inter ipsa sacrificiorum arcana mactabat. » [3]

42. Fatetur Forbesius Patres sæpissime dicere ipsum corpus Christi offerri et immolari in Eucharistia, quod frustra conatur ad latiorem sensum reducere. [4] Beveregius Patrum consensum pariter testatur : « Infinitus essem, si omnia ex eo (*Tertulliano*) aliisque secundi tertiique sæculi scriptoribus loca transcriberem, quibus hujusmodi voces occurrunt, æque ac in canonibus Apostolorum. Verum insignem Clementis Romani locum præterire nequeo. . . . . sed major fortasse difficultas orietur de vocabulis θυσιαστήριον, *altare*, pro mensa Dominica, Can. Apost. iii. iv. xxxi. θυσία *sacrificium*, et προσφορα *oblatio* pro Eucharistiæ celebratione, Can. iii. viii. xlvi. Ita quidem aliis forsitan videatur, non item nobis, qui hæc et hujusmodi nomina de istis rebus usitata in antiquissimis Ecclesiæ monumentis passim invenimus. D. Cyprianus nullo alio, quantum memini, præterquam *altaris* nomine, mensam Domini indigitare solet, isto autem sæpissime. . . . . Ante eum Tertullianus et Eucharistiæ celebrationem *sacrificium*, et mensam Domini *aram Dei* nuncupavit. . . . Ante Tertullianum, ipse etiam Ignatius in genuinis et inviolatis suis epistolis θυσιαστήριον in eodem sensu adhibuit. . . . Constat itaque mysticam mensam ab ipsis Apostolorum temporibus vocatam fuisse θυσιαστήριον. » Gul. Beveregius, Cod. can. Eccl. prim. l. ii c. x.

43. *Probatur* 6. *ex Liturgiis*. Liturgiæ præclara sunt monumenta vetustæ et universalis fidei de vero sacrificio Eucharistico.

44. S. Jacobi Liturgia, juxta codicem quem præ manibus habuerunt editores bibliothecæ veterum Patrum, in oratione habet hæc verba : « Deus. . . . . ne averseris nos peccatores, verendum hoc et incruentum sacrificium attrectantes; » quod apud Eusebium Renaudotium redditur : « dum sacrificium hoc spirituale et incruentum celebramus. » Diaconus, juxta priorem codicem, populum ad attentionem excitat : « attenti simus divinæ oblationi ; » in altero codice : « ecce oblatio infertur, et majestas exoritur. » Post recitatam institutionis hujus sa-

(1) L. x. de civ. Dei c. xx.
(2) Ep. ad Nestorium.
(3) Dialog. l. iv. c. lvi.
(4) « The holy Fathers very often say that the very Body of Christ is offered and sacrificed in the Eucharist, as is clear from almost innumerable passages. » Forbes Considerationes Modestæ l. iii. c. i. p. 451. apud Oxonienses tract 30 p 109.

crificii historiam, populo acclamante, *Amen*, sacerdos precatur : « Offerimus tibi, Domine, hoc sacrificium venerandum et incruentum, » in altero codice : « terribile et incruentum; » et pergit orare pro vivis et defunctis.

45. In S. Marci Liturgia dum sacerdos ingreditur ad altare, orat : « Domine, ipse nos sanctifica, nosque dignare tremendo tuo sacerdotio, nosque siste venerando altari tuo. » In præfatione dicitur : « Offerimus rationabilem et incruentam λατρειαν seu oblationem hanc, quam offerunt tibi, Domine, omnes gentes ab ortu solis usque ad occasum ; a Septentrione ad Meridiem : quia magnum nomen tuum in omnibus gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, et sacrificium, et oblatio. » Sacerdos mysteria sancta signaculo crucis signat, dicens : . . . . « Fac, o Deus, ut plenum quoque sit hoc sacrificium benedictione tua per adventum sanctissimi Spiritus tui. »

46. In Liturgia quæ in libro octavo Constitutionum Apostolicarum refertur, post verba Dominica recitata, pergit sacerdos gratias Deo agens : « quia nos dignos habuisti, qui staremus coram te, ac sacerdotio fungeremur tibi ; et poscimus te, ut super hæc dona in conspectu tuo proposita placate respicias, tu qui nullius indiges Deus, et beneplaceas in eis ad honorem Christi tui, atque supra hoc sacrificium mittas sanctum tuum Spiritum. » In ordinatione Episcopi oratio fit ut Deo placeat : « offerendo Tibi purum et incruentum sacrificium. » [1]

47. In libro secundo, pluribus descriptis, dicitur : « Post illa sacrificium fiat, stante omni populo, et tacite precante : cumque oblatum fuerit, unusquisque ordo seorsum dominicum corpus, ac pretiosum sanguinem sumat. » [2]

48. Liturgia S. Basilii *usualis* in oratione *propositionis*, scilicet dum munera in altari ponuntur, hæc habet : « Benedic hanc propositionem et eam suscipe in supercœlesti tuo altari. . . . . et nos ab omni condemnatione immunes conserva, in sacrificio divinorum tuorum mysteriorum. » In *Coptica* Liturgia orat sacerdos : « Tu, Domine, effice nos dignos, per virtutem Spiritus tui sancti, ut hoc ministerium perficiamus . . . . et offeramus tibi sacrificium hoc benedictionis. Da nobis ut sacrificium nostrum coram te acceptum sit, pro peccatis meis, et pro insipientiis plebis tuæ. » In Alexandrina Liturgia oratio reperitur ex S. Jacobi Liturgia desumpta : « Ne repellas nos peccatores, qui offerimus tibi tremendum hoc et incruentum sacrificium. »

49. Postquam explicatum est corporale, orat sacerdos : « Fac me virtute sancti tui Spiritus idoneum, ut sacerdotii gratia indutus huic sanctæ mensæ adsistam, et sanctum tuum et immaculatum corpus tuum et sanguinem pretiosum consecrem. . . . . tu enim es qui offers et offerris. — συ γαρ εἶ ὁ προσφερων καὶ προσφερομενος. Tibi placeat, Domine, ut simus ministri . . . . digni tibi offerre hoc rationale et incruentum sacrificium, — τοῦ προσφερειν σοὶ την λογικην ταυτην καὶ αναιμακτον θυσιαν. In Alexandrina Liturgia orat : « ut digni efficiamur offerre tibi dona et sacrificia pro peccatis nostris et populi tui ignorantiis, et da nobis ut cum omni timore et conscientia pura offeramus tibi spirituale hoc et incruentum sacrificium. » Consecrationem dominicam recitat, et peragit sacerdos, Choro canente *Amen ;* deinceps dicit : τὰ σὰ ἐκ τῶν σων

(1) L. viii. c. v. — xvi.

(2) L. ii. c. lvii.

σοι προσφέροντες. « Tua ex tuis tibi offerentes. »

50. In Liturgia Nestorianorum, in *Anaphora*, quæ *canoni* apud nos respondet, adstantes invitat sacerdos ad secum orandum, ut « suscipiatur oblatio hæc ex manibus imbecillitatis meæ, pro me, pro vobis, et pro toto corpore Ecclesiæ sanctæ Catholicæ. » Deinde ad altare inclinatus orat Deum : « per gratiam inenarrabilem sanctifica sacrificium istud. »

51. Liturgia sub nomine S. Cyrilli apud Coptas nonnunquam adhibita, post *Sanctus*, habet orationem in qua sacerdos precatur : « Imple hoc sacrificium tuum, Domine, benedictione quæ a te est, per illapsum super illud Spiritus tui sancti. » Institutio Sacramenti deinceps recitatur, populo sæpius inclamante, *Amen*.

52. In Liturgia Romana orat sacerdos : « Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini Dei nostri Jesu Christi. » Sacrificii ratio inde patet : oblatio enim illa benedictione divina fit corpus et sanguis Christi. Post consecrationem vocat eam sacerdos « hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. » Hinc in oratione super oblata in die Epiphaniæ de donis oblatis dicitur : « quibus non jam aurum, thus, et myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, et sumitur Jesus Christus, Dominus noster. »

53. *Probatur 7. argumento præscriptionis.* Eucharistia magna cum solemnitate ubique per totam Ecclesiam consuevit celebrari, cum omnibus summi cultus indiciis, et ex certa omnium persuasione eam esse oblationem veram, et sacrificium Christi corporis et sanguinis, verum et proprium. Hujus fidei nullum potest ostendi initium Apostolico ævo posterius. Attamen si ab initio symbola tantum Christi mortis adesse crederentur; et nuda commemoratio fieri, absque ulla veri nominis oblatione et sacrificio, non potuit sacrificii veri notio obtinere, nec cultus indicia quæ illud denotant statui : saltem absque magnis turbis, quas retulisset historia. Ergo dicendum sacrificii veri rationem in Eucharistia semper agnitam fuisse.

54. Huic argumento magna accedit vis ex Græcorum et Orientalium omnium consensu, qui ex Liturgiis patet, et aliis certissimis documentis demonstratur. Concilii Constantinopolitani anno 1638 adversus Cyrillum Lucarim habiti, sicut et Hierosolymitani anno 1672, decreta recitare juvat : « Cyrillo dogmatizanti . . . . neque audienti divinorum Patrum trecentorum decem et octo Niceæ adunatorum ecclesiasticas constitutiones his verbis decernentium: « Fide credamus esse super hanc sacram mensam agnum Dei qui tollit » peccatum mundi, incruente a sacerdotibus immolatum, ejusque veneran» dum sanguinem et corpus vere sumi. » — Anathema. » Ita Constantinopolitanum Concilium. Hierosolymitanum autem : « Credimus verum ac propitiatorium esse sacrificium, quod pro fidelibus omnibus, tum vivis, tum defunctis, necnon et pro utilitate omnium offertur, uti et in hujusce Sacramenti precibus exprimitur, quas pro ea quam a Domino receperant disponendi potestate Apostoli Ecclesiæ tradidere. »[1]

55. Accedit quod ab initio mundi Deus sacrificio coleretur, quod summæ ejus majestatis idoneum est testimonium : ergo verosimile non est hunc cultum, Christo adveniente, penitus

(1) Cap. vi. c. 17.

desiisse. At nullum est sacrificium, si Eucharistia non sit; igitur in ea ratio sacrificii agnoscenda est. Argumentum hoc Overall, Episcopus Anglicanus, agnoscit et urget.[1]

Objectiones solvuntur.

56. *Obj.* 1. De oblatione panis et vini a Melchisedech silet Moyses, qui sacerdotii ejus mentionem fecit, ut intelligatur cur Abrahæ benedixerit, et decimas ab eo acceperit, prout explicat Paulus, de oblatione pariter silens. Quod autem attulerit panem et vinum, contigit ut milites Abrahæ refocillaret.

57. *Resp.* Fatemur oblationem haud affirmari a Moyse, qui tamen panem et vinum allata esse dicens, et statim adnotans eum fuisse sacerdotem Dei Altissimi, fundamentum præbet cogitandi ea fuisse oblata. Non dicit ea fuisse militibus data, ideoque quum neutrum dicat, ex adjunctis sermonis quid fecerit verosimiliter conjicimus. Cæterum non repugnat ut post oblationem militibus distribuerentur : id enim consuetum est ut participes forent sacri muneris qui oblatis vescebantur. Quod benedixerit Melchisedech Abrahæ, et decimas ab eo acceperit, contigit ratione sacerdotii, cujus tamen munus in oblatione est positum. Patet ea non fuisse sui sacerdotii jura propria, et proinde Christum non ideo vocari sacerdotem, ad instar Melchisedech. De oblatione siluit Paulus, christiani sacerdotii præ Aaronico præstantiam explicans, quia ad scopum non pertinebat, quum sanguinis victimarum effusio foret imago vividior sanguinis in cruce fusi, quam panis et vinum. Hac igitur ex parte non apparebat præstantia sacerdotii christiani. Præterea doctrina de Eucharistico sacrificio erat adeo alta, ut non facile scripto explicanda foret, quod in manus Judæorum ad fidem non conversorum facile posset venire, vel ad eorum pervenire notitiam : plura scilicet continebat documenta illis haud sine fructu magno communicanda.

58. *Obj.* 2. Frivolæ afferuntur rationes Pauli silentii : quum enim ex professo singula in quibus Melchisedech typus erat Christi explicaret, ad propositum maxime pertinebat oblationis similitudinem ostendere, ut christianum sacrificium, abrogata animalium immolatione, jam unicum superesse probaret.

59. *Resp.* Haud leves indicavimus causas cur Paulus eam similitudinem, quæ inter typum et veritatem intercedit, prætermiserit. Cæterum ipsum habemus auctorem, quod ob fidelium infirmitatem de arcano siluerit : præfatur enim, de Christo agens : « appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech : de quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. »[2] Non igitur professus est se singula evolvere in quibus Melchisedech typus erat Christi, sed potius innuit latere arcanum quod auditores vix ferre possent. Ex aliis vero capitibus ostendit, sacerdotium juxta ordinem Melchisedech jam locum tenere sacerdotii Aaronici. Cæterum ad propositum non pertinebat ostendere oblationis similitudinem : nam prius statuendum erat et inculcandum sacerdotium Christi Melchisedecianum; qua in

(1) « As there never was, nor could be any religion without a God; so there never was, nor could be any without a Sacrifice, being one of the chiefest acts whereby we profess our religion to Him that we serve. » Overall, Oxford Tracts, vol. iv. Tract. 81. p. 73. « This Sacrament is the only proper external daily Sacrifice of the Church, without which the other two relatives cannot stand; viz : that there is no religion without priesthood, nor priesthood without Sacrifice. » Buckeridge, Discourse concerning kneeling at the Communion, p. 87, Tract. 81.

(2) Heb. v. 10.

re Apostolus totus est. Illud vero veluti consectarium erat, quod sacerdotio semel admisso difficultatem vix patiebatur.

60. *Obj.* 3. Christi igitur sacrificium constare pane et vino dicendum erit, ut sacerdos secundum ordinem Melchisedech habeatur.

61. *Resp.* Panis et vinum a Christo adhibita quidem sunt, qua ratione visus est sacerdos ad instar Melchisedech; sed quum rei veritas figura et typo longe præstare deberet, ea in corpus et sanguinem suum mutavit, ut perfectissima sui oblatione Patri redderet summum honorem.[1] Mire hallucinantur Anglicani illi qui panem et vinum Eucharisticum esse sacrificium æstimantes, sola *symbolica* relatione ad crucis sacrificium, Christi oblationem a Melchisedeciana distinguunt. Absit ut adeo humiliter quis de Christi sacrificio et sacerdotio sentiat.

62. *Obj.* 4. Vaticinium Malachiæ in cultu qui ubique terrarum Deo redditur in spiritu et veritate a Christi fidelibus, impletur, quin sacrificium sit: omnia enim sacrificia ibi declarantur abolita, sacrificio crucis ea implente et tollente.

63. *Resp.* Quum de sacrificiis agat vates, et quæ Judæi consueverunt offerre rejecta pronuntiet, oblationem quæ eorum loco ubique offertur, veri nominis sacrificium oportet intelligere. Id ex serie orationis colligitur, et institutione Eucharistiæ confirmatur, adeo ut vetustissimi Patres merito inde desumpserint argumentum veritatis religionis Christi, in qua vaticinii impletio claret.[2] Quod autem *sacrificii* nomen a Malachia oblationi christianæ non sit datum, aptissime contigit, ut discrimen illud inter et animantium immolationem insinuaretur, et ipsa species, sub qua latet victima nostra, indicaretur. Cultus autem qui fide et oratione præstatur, nunquam designatur in Scripturis voce illa Hebraica — מנחה — quæ de oblationibus Abel et Cain, et de quibusdam legis oblationibus usurpatur; nec cultus ille potest haberi novi Testamenti proprius, quum a veris Dei cultoribus semper præstaretur. De sacrificio crucis Malachias eo loco nil dicit; sed totus est ut cultum a gentibus ubique terrarum præstandum veteribus Judæorum sacrificiis anteponat. Agitur proinde de publico et visibili sacrificio.

64. *Obj.* 5. Apostolus unicam docet esse oblationem, eam scilicet quæ in cruce est facta: « Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei. . . . . Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos . . . . Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato. »[3]

65. *Resp.* In eo est vis orationis Apostoli, quod unicam crucis oblationem valere ad omnia delenda peccata,

(1) Id pene fatetur Thorndike: « Having maintained that the elements are really changed from ordinary bread and wine into the Body and Blood of Christ, mystically present, as in a Sacrament; and that in virtue of the consecration, not by the faith of him that receives; I am to admit and maintain whatever appears duly consequent to this truth, namely, that the elements so consecrated are *truly* the Sacrifice of Christ upon the Cross, in as much as the Body and Blood of Christ are contained in them. . . . . It is therefore enough, that the Eucharist is the Sacrifice of Christ upon the Cross as the sacrifice of Christ upon the Cross is represented, renewed, revived and restored by it. » Epilogue, book iii. ch. v. p. 44.

(2) « The ancients always spoke of the Eucharist as the sacrifice, or oblation of the Gentiles, in opposition to those of the Jews, when they argued against them from the prophecy of Malachi. » Hickes, the Christian Priesthood asserted, pp. 97, apud Oxonienses p. 259.

(3) Heb. x. 10.

et gratiæ et sanctitatis dona impetranda ostendat, quum sub veteri lege nova quotidie immolarentur animantia, quæ non poterant auferre peccata. Una est hostia, una oblatio, quæ suffecit abunde ad peccatorum remissionem, adeo ut jam non sit *oblatio pro peccato*, qualem scilicet lex olim præscripsit. Cæterum ipsa unica hostia exhibetur quotidie in mysterio, ut nobis applicetur crucis oblatio. Ex scopo Apostoli mens ejus colligitur : edocere scilicet voluit Judæos legis sacrificia esse abrogata, et Christi morte copiosam redemptionem nobis præstitam ; adeo ut necesse non foret amplius offerre hostias pro peccatis, vel alias quascumque victimas. Res non postulabat ut explicaret, quomodo mors Christi recolenda foret in mysteriis, ut fructus ejus nobis provenirent, quod quidem satis constabat ex quotidiana Ecclesiæ oblatione, qua eadem victima quæ in cruce est immolata, iterum iterumque offerebatur.

66. *Obj.* 6. Apostolus quotidianam sacrificii oblationem omnino excludit :

on enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum ; sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis : neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno : alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi : nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit... Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. »[1]

67. *Resp.* Ipse se explicat Apostolus, excluditque frequentem Christi oblationem sanguinis fusione, « alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. » Ostendit discrimen eum inter et Pontificem judaicum : hic enim semel quotannis, sanguinem animantis immolati deferens, Sanctuarium ingrediebatur ; Christus autem semel, sanguine proprio effuso, quo omnia hominum delevit peccata, quod spectat ad expiationis sufficientiam. Tantam sanguinis illius virtutem esse prædicat Paulus, ut ejus iterata fusione opus non sit. Oblationem igitur cruentam, qualis singulis annis a Pontifice fiebat, excludit, non tamen mysticam et realem, sacerdotum ministerio peractam in terris, dum ipse vultui Dei apparet pro nobis, sacerdotio suo in æternum secundum ordinem Melchisedech per illos fungens. Hæc optime constant cum quotidiana oblatione, quæ fit in Sacrificio Eucharistico : ipsa enim est crucis oblatio, in mysterio renovata et continuata, ut tanti Sacrificii nunquam intereat memoria, et fructus nobis inde proveniat. *Overall*, Anglicanum, suæ sectæ præjudiciis obviam euntem, appellamus.[2]

68. *Obj.* 7. Patres de mystico sacrificio, quod memoriam Christi mortis celebrat, locuti sunt ; non de vero et proprio sacrificio.

69. *Resp.* Iis utuntur vocibus Patres,

(1) Heb. ix. 24.

(2) « This is no new Sacrifice, but the same which was once offered, and which is every day offered to God by Christ in heaven, and continueth here still on earth, by a mystical representation of it in the Eucharist. And the Church intends not to have any new propitiation, or new remission of sins obtained, but to make that effectual, and in act applied unto us, which was once obtained by the Sacrifice of Christ upon the Cross. Neither is the Sacrifice of the Cross, as it was once offered up there, *modo cruento*, so much remembered in the Eucharist, though it be commemorated, as regard is had to the perpetual and daily offering of it by Christ now in Heaven in His everlasting Priesthood, and thereupon was, and should be still the *juge sacrificium* observed here on earth as it is in Heaven, the reason which the ancient Fathers had for their daily Sacrifice. *S. Chrysost. in* 10 *Heb.* . . . *S. Aug. de Civ Dei*, lib. 10. cap. 20. . . . p. 40, Oxford Tracts, vol. iv. No. 81. p. 70.

quæ vero et proprio sacrificio conveniunt, illudque verum et propitiatorium ipsi nuncupant. Cæterum recte vocatur mysticum et commemorativum; nec enim corpus Christi immolatur qua ratione in cruce immolatum est, nec funditur ejus sanguis manu sacerdotis. Res peragitur in mysterio : attamen vere adest agnus, cujus sanguine pretioso tollitur peccatum mundi, ipseque Deo Patri offertur victima. Feliciter rem explicat Episcopus prælaudatus Overall,[1] cujus verba recitant Oxonienses. Utinam hæc nobiscum omnes palam profiterentur, vocum remota ambiguitate!

70. *Obj.* 8. Patres qui videntur dicere Christum se obtulisse in ultima cœna, non possunt intelligi vere et proprie: nam nulla fuit fusio sanguinis, nulla occisio seu mors victimæ; explicandi igitur sunt ratione habita repræsentationis, prout dicit Augustinus, « significante mysterio » vel juxta Cypriani mentem, de « Sacramento dominici sacrificii. » Ita Fernius.

71. *Resp.* Nil obstat quin Patres obvio excipiantur sensu; imo id postulat tota orationis series, et testimoniorum congeries. Cæterum incruentum fuit et mysticum sacrificium, verum tamen et proprium; corpus enim et sanguis Christi vere aderant et offerebantur, quamvis in mysterio, et sacramento. Quæ objiciuntur voces nullam faciunt difficultatem, probe et sane juxta contextum intellectæ. Equidem non agitur de cruento sacrificio oculis obversante, sed de vera oblatione victimæ, cujus sanguis in cruce semel effusus est. Ipse Fernius non potuit diffiteri Patres plerumque ita locutos ut transubstantiationem tradere viderentur, et verum sacrificium Christi corporis et sanguinis.[2] Quod autem has locutiones mysticas et obscuras dicat, gratis

(1) Hæc recitant Oxonienses, ex scriptis Episcopi Overall : « If we compare the Eucharist with the Sacrifice once made upon the Cross, with reference to the killing or destroying of the Sacrifice, or with reference to the visibility of it, in that sense we call it only a Commemorative Sacrifice, as the Fathers do. *Chrys. Hom. contr. Jud.* part 2. Sentent. lib. 4, dist 12. « So the ancient Fathers were wont to call this Sacrifice *Sacrificium laudis et gratiarum actionis*; not exclusively, [as if it were no other Sacrifice but that; for they called it also, *Sacrificium commemorationis*, and *Sacrificium Spiritus*, and *Sacrificium obsequii*, etc., and which is more *Sacrificium verum et propitiatorium* : all other ways but this, the Eucharist or any other Sacrifice we make, are improperly, and *secundamquamdam similitudinem*, called Sacrifices. . . . Now the Eucharist, though by way of analogy it may be called a Sacrifice many of these ways, yet the true and real nature of it in the offertory is to acknowledge God's Majesty and our misery, and to appease His wrath towards us, to get blessings from Him, to make Christ's bloody Sacrifice effectual unto us. . . . The people may offer it up all the improper ways, none but the Priest can offer it as a proper Sacrifice. So that though it may analogically be called a Sacrifice most of the seven ways, *yet formally and truly it may be called a Sacrifice also in the very natural signification of a Sacrifice*, for ought I know any harm should come on't: not in strictness and rigour of speech, for so was there never a Sacrifice, nor never shall be any, but Christ's alone. See the exposition of the place in Malachi *apud Maldon. de Euch.* p. 326. and of Psal. 109. *Tu es Sacerdos*, etc. » Hæc Catholicæ doctrinæ admodum consona, si ambigua quædam sub finem exceperis, sensit Anglicanus ille Episcopus Overall, quamvis non videatur ausus fuisse ea palam profiteri, nam ex privatis suis scriptis desumpta sunt. « MS, Notes written in an interleaved Common Prayer Book, printed in the year 1619, supposed to be made from the collections of Bishop Overall, by a friend or chaplain of his. »

(2) « The Fathers used, for the most part, to speak of this mystery of the Eucharist mystically and obscurely, under the properties of the things signified, rather than of the external symbols, and therefore seeming to imply *a real conversion, or transubstantiation of the symbols into the Body and Blood of Christ, and a real Sacrifice*, [or *offering up of that Body and Blood again in the Eucharist.* Ferne, Bishop, Certain considerations, p. 155.

asseritur, quum testimonia sint clarissima, et omni ambiguitate libera, uti ea recolenti patebit.

72. *Obj.* 9. Patrum dicta sacrificii crucis repræsentationem, quæ utilitates omnes novi sacrificii nobis afferat, tantum ostendunt.

73. *Resp.* Repræsentatio quam statuunt Patres, est illa quæ fit corpore et sanguine Christi, sub speciebus sacramentalibus, Deo Patri oblatis. Est igitur verum et proprium sacrificium, quia eadem offertur victima ac in cruce, sola offerendi ratione diversa. Quod si mera foret repræsentatio, tolleretur ratio veri sacrificii, quam tamen plurimi Anglicani prædicant. Si autem pane et vino diceretur sacrificium constare, duo forent sacrificia, scilicet illud crucis, et alterum eucharisticum, ab illo plane diversum, quippe non eadem foret victima. Præterea tribuerentur pani et vino, tamquam symbolis corporis et sanguinis Christi, ea quæ nonnisi ipsi corpori pro nobis dato, ipsi sanguini pro nobis fuso, tribuere fas est.

74. *Obj.* 10. S. Joannes Chrysostomus ait: « Quid vero? nonne nos quotidie offerimus? offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam: et hæc oblatio una est, non multæ, quoniam semel est oblatus. »[1]

75. *Resp.* Diluit præstantissimus ille Pauli interpres difficultatem de unica oblatione, docens quotidianam oblationem esse ipsam semel factam in cruce, quæ in memoriam revocatur, et celebratur. Mentem suam dilucide explicat: « siquidem eumdem semper offerimus, hoc est, non alias ovem alias, alias aliam, sed eamdem perpetuo: itaque unicum est sacrificium. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? nequaquam: sed unus ubique Christus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, unum est corpus, non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. » Memoria recolitur passionis, vero tamen oblato sacrificio, quo victima eadem præsens sistitur, et Deo offertur. Sic alias dicit: « Mensa mystica parata est; et Agnus Dei pro te immolatur. Sacerdos pro te angitur, ignis spiritalis e sacra mensa erumpit, Cherubim adstant, Seraphim advolant, et Spiritus sex alas habentes faciem tegunt; omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt; ignis spiritalis e cœlo descendit; *sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere effusus est.* »[2]

76. *Obj.* 11. Augustinus dicit: « Hoc est sacrificium Christianorum, multi unum sumus in Christo. Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione quam offert ipsa offeratur. »[3] Mystica igitur oblatio Eucharistia est, in qua fideles omnes Christo se animo conjungunt, ut Deo dent honorem.

77. *Resp.* Optime hæc dicuntur, ut intelligamus oportere nos victimas Deo offerre, cum capite nostro, cui conjungimur, divino fruentes convivio. Quantum lateat arcanum indicat Augustinus « *Sacramento altaris fidelibus noto,* » nec enim totum suum sensum de eo promere voluit. Cæterum licet Ecclesia Deo offerat se cum capite suo, ipse Christus tamen est offerens, ipse et oblatio.[4] Ejus oblationis in cruce sacramentum est quotidianum Ecclesiæ sacrificium, quo scilicet repræsentatur, exhibetur, et nobis applicatur. « Id sacrificium » inquit, « successit omnibus illis sacrificiis veteris legis, quæ immolabantur in umbra futuri . . . . quia

(1) Hom. xvii. in ep. ad Hebr.
(2) Hom. ix. de Pœnitentia.
(3) L. x. de civ. Dei. c. vi.
(4) Vide c. xx. supra cit.

pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur.»[1]

78. *Obj.* 12. Confert Augustinus Eucharistiam cum Hebræorum victimis : « Hebræi in victimis pecorum quas Deo offerebant, multis et variis modis, sicut tanta re dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam in cruce Christus obtulit : jam Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi.»[2]

79. *Resp.* In eo posita est comparationis vis, quod Eucharistia celebret sacrificium in cruce peractum, cujus figuræ in Hebræorum victimis præcesserant : cæterum non meram memoriam, sed sacrosanctam oblationem et participationem corporis et sanguinis Christi agnoscit Augustinus.

80. *Obj.* 13. Nulli sunt in nova lege præter Christum sacerdotes; Apostolus enim de antiquo sacerdotio dicit : « Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere : hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. »[3]

81. *Resp.* Præstantiam Christi sacerdotii Apostolus demonstrat, quum prædicetur in æternum sacerdos secundum ordinem Melchisedech; Aaron quippe brevem vitæ curriculum suo munere sacerdotali functus est; quo e vivis sublato, alii in ejus locum suffecti sunt : Christus autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, quod et exercet : homines enim nonnisi ministri ejus sunt, ejus nomine visibili munere fungentes, ipso præcipue offerente, sacerdote simul et victima.

82. *Obj.* 14. In Missâ nulla est victimæ mactatio.

83. *Resp.* Missa non est sacrificium instar illorum quæ fuso sanguine immolabantur : sed est incruentum, mysticum, commemorativum, verum tamen et proprium, quum victima adsit, et Deo offeratur, in suæ majestatis et arbitrii supremi testimonium, quæ præcipua est sacrificii ratio.[4] Fit etiam mystica mactatio, quum distincta elementorum consecratione corpus et sanguis ponantur, veluti a se invicem separata, ut separationis realis in cruce, quando fusus est sanguis, imago quædam habeatur. Hinc Chrysostomus jurantem per altare increpans, non dubitat dicere : « Quid agis, o homo ? juras super sacram mensam, ubi et Christus occisus jacet ? »[5]

84. *Obj.* 15. Si Christus immoletur quoties Missa celebratur, jam de unica salutis hostia actum est : quod si mystice tantum immoletur, sensu latiori, et minus proprio dicitur sacrificium.

85. *Resp.* Immolatur Christus incruente, et mystice, vere tamen, quia corpus ejus et sanguis præsentia fiunt, et Deo offeruntur, ad divinam majestatem colendam. « Ipse offerens, idemque hostia; ipse Agnus, ipseque gladius Spiritus. »[6] Ita vetus auctor, cujus oratio inter Cyrilli Hierosolymitani opera edita est. Igitur unica est hostia, Christus, qui semel cruente immolatus, quotidie, imo fere singulis momentis, Deo offertur.[7] Verum etiam est

(1) L. xvii. de civ. Dei, c. xx.

(2) L. xx. contra Faustum c. xviii.

(3) Heb. vii. 23. 24.

(4) Videntur primorum hominum oblationes hujusmodi fuisse, quæ idcirco מנחה dicuntur a Moyse, Gen. iv. 4. hostia θυσία a Paulo. Heb. xi. 4. (5) Hom. xv. ad populum.

(6) Hom. de Christi occursu in templo.

(7) « Have I said any thing to cause any man to imagine, that I suppose Christ to be crucified again, as often as the Eucharist is celebrated ?

sacrificium : nam victima vere offertur, et quidem præstantissima.

CAPUT II.

DE SACRIFICII PROPRIETATIBUS.

86. Ex his quæ attulimus vetustæ fidei documentis, sicut et ipsis Christi Domini verbis, liquet corpus ejus et sanguinem vere Deo offerri, sub speciebus panis et vini. Optime igitur Leibnitius : « Res oblata sive victima aut hostia est ipse Christus, cujus caro et sanguis sub specie symbolorum utique immolationis atque libamenti officium subit. Nec video quid hic desit ad veram sacrificii rationem : quidni enim id quod sub symbolis præsens est, Deo offerri possit, cum quod sub his in Eucharistia continetur, sit omnium rerum pretiosissimum? » [1] Anglicani nonnulli fere cesserunt veritati, [2] aliqua tamen adjicientes, ut suis consulerent placitis.

87. Qua in re sacrificii Eucharistici ratio constituenda sit, quæritur. Anglicanorum sententia eam in panis et vini oblatione, quatenus symbola fiunt corporis et sanguinis Christi, reponentium absona plane est : hujusmodi enim oblatio foret a corpore ipso et sanguine diversa, et proinde repugnaret unico Christi sacrificio; nec mera repræsentatio, victima deficiente, potest sacrificium haberi. Theologi varie sentiunt de essentia sacrificii Eucharistici, nec nobis per otium licet singulas sententias perscrutari. Placet illa quæ totam in consecratione agnoscit: nam Christus tamquam victima præsens fit, ideoque Deo, ipsa præsentia sua, oblatus censendus est. Utriusque speciei consecrationem ad essentiam sacrificii pertinere plerique tenent, Colleto tamen cum aliis dissentiente, qui, licet divinum præceptum agnoscat utramque speciem consecrandi, essentiam sacrificii haberi in unius speciei consecratione putat. Hanc nobis arridere opinionem haud diffitemur; quamvis enim non facile Colleto assentiamur docenti in divino illo præcepto dispensari posse ab Ecclesia, urgente necessitate, tamen si casu vel culpa contingat alteram speciem deficere, peracta alterius consecratione, quum Christus, victima nostra, adsit, sacrificium haberi opinamur. Cum De La Hogue, Perroneo, aliisque plurimis communionem, seu sacerdotis, seu populi, ad sacrificii essentiam haud censemus pertinere, quamvis S. Alphonso affirmanti haud valde repugnemus.

88. Sacrificium *latreuticum*, imprimis Eucharistia est, quippe ad Dei honorem et cultum supremum desti-

. . . Certainly, I will speak freely, neither can they that hold Transubstantiation, be truly said to stand obliged to any such consequence, so long, as they acknowledge, with al Christians, that the Covenant of Grace is for once settled by the one Sacrifice of our Lord upon the Cross. Why? because, though they believe the natural Flesh and Blood of Christ, as crucified to be there, yet not naturally, but sacramentally, (that is, in their sense, under the accidents of bread and wine, which is, indeed, and in the sense of te Church, under the *species* or kinds;) which difference is so great an abatement of that common and usual sense, in which all Christians understand that Christ was sacrificed upon the Cross, that all that know it to be their profession (which all must know that will not speak of they know not what) must acknowledge that the repeating of the Sacrifice of Christ crucified by the Eucharist, is not the repeating of that Sacrifice by which mankind was redeemed, otherwise than as a Sacrament is said to be that whereof it is a Sacrament.» Thorndike, epilogue, book iii. ch. v. apud Oxonienses tract. 81 p. 166.

(1) System. Theol. p. 285.

(2) « What time then so fit and seasonable to commend our devotions unto God, as when the Lamb of God is slain upon the Holy Table? » Mede, presbyter, *The Christian sacrifice* Mal. i. ii. apud Oxonienses tract. 81, p. 111.

nata. Christus quidem victima est cæteris omnibus præstantior, qua immolata summus honor Deo tribuitur. Tamquam homo, sacerdos, et hostia, Deum colit, sacerdotum suorum ministerio. Hinc in Liturgia S. Marci dicitur : « Offerimus rationabilem et incruentum hunc cultum — προσφέρομεν τὴν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν ταύτην — quem offerunt tibi, Domine, omnes gentes ab ortu solis usque ad occasum; a Septentrione ad Meridiem : quia magnum nomen tuum in gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, et sacrificium, et oblatio. »[1]

89. *Eucharisticum* esse Missæ sacrificium, quatenus Deo persolvuntur laudes ob beneficia nobis collata, nemo facile negaverit : sed non omnes fatentur eo laudes persolvi ob Sanctorum gloriam, ita ut simul celebretur eorum memoria, et preces apud Deum quærantur : quod tamen ex Liturgiis omnibus liquet. Sic in Liturgia S. Gregorii Alexandrina fit commemoratio « præcipue sanctissimæ, gloriosissimæ, immaculatæ, et benedictionibus cumulatæ, Dominæ nostræ Deiparæ, et semper virginis Mariæ; sancti gloriosi prophetæ, præcursoris, Baptistæ et martyris Joannis . . . eorumque quorum hodie memoriam facimus, et omnis chori Sanctorum tuorum, quorum precibus et intercessionibus miserere nostri et salva nos. » — ἐν ταῖς εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις καὶ ἡμᾶς ἐλέησον, καὶ σῶσον.[2] Hac de re definivit Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit. »[3] De sacrificio celebrato *in memoriis* martyrum, super tumulos scilicet in quibus eorum reliquiæ erant, dicit Augustinus : « Honoramus sane memorias eorum tamquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis : quod etiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris, ad Dei honorem, cultumque constructum, dicere in precibus : Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane? cum apud eorum *memorias* offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit : ut ea celebritate, et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. »[4]

90. *Impetratorium* esse Eucharisticum sacrificium liquet : quum enim pro nobis offeratur, juxta Christi verba, utique valet impetrare ea quibus indigemus a Deo beneficia, ea præsertim quæ ad salutem referuntur. Hinc Cyrillus Hierosolymitanus dicit : « Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, et in summa pro omnibus qui indigent auxilio. »[5] Chrysostomus ait : « Pro infirmis, et terræ, et maris, et universi orbis fructibus sacrificamus »[6] Liturgiæ omnes eas habent preces, quæ quidem ab Apostolo præscriptæ sunt : « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes,

(1) Apud Renaudotium t. i. p 145.
(2) Ibidem. p. 112.
3, Sess. xx. can. v.
(4) L. viii. de civ. Dei c. xxvii
(5) Cat. Myst. v.
(6) Hom. lxxi. in Joan.

postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt. »[1]

91. Definivit Concilium Tridentinum Eucharistiam esse *propitiatorium* sacrificium, non quod novum pro peccatorum venia pretium, a crucis sacrificio diversum, in ea offeratur; sed quod ipse sanguis in cruce fusus exhibeatur, et offeratur, iterum iterumque, ad Deum nobis placandum. Id apprime intellexit et explicuit Overall ab Oxoniensibus laudatus.[2] Concilii definitio his concepta est verbis: « Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit. »[3]

92. Plerique sectarii carpunt hanc definitionem, omnique proscindunt vituperio Patres Tridentinos, veluti crucis virtutem evacuantes; sed nonnulli sanius sapientes, fatentur Eucharisticum sacrificium esse *propitiatorium*,[4] quamvis vehementer errent dum panem et vinum, tamquam symbola corporis et sanguinis Christi, illud esse dicunt.

Propositio.

Missa est sacrificium propitiatorium.

93. *Probatur* 1. *ex verbis Christi.* Christus dixit: « Hoc est corpus meum, *quod pro vobis datur:* » « Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, *qui pro vobis fundetur;* »[5] vel uti habet textus, « calix . . . qui pro vobis funditur. » « Pro multis fundetur *in remissionem peccatorum.* »[6] Quum textus verba præsentis sint temporis,[7] liquet corpus in ipsa Eucharistiæ institutione datum esse, sanguinem fusum esse in remissionem peccatorum. Ergo propitiatorium sacrificium tunc oblatum est; quod offertur quoque quoties celebratur Eucharistia, ex Christi mandato; idem enim fit quod ab ipso factum est. Hujus argumenti vim agnoverunt plures Anglicani. »[8]

(1) I. Tim. ii. In Canone tamen mentio regis non est facienda.

(2) Tract. 81, p. 74. « If we compare the Eucharist with Christ's Sacrifice made once upon the Cross, as concerning the effect of it, we say that that was a *sufficient* Sacrifice; but withal that it is a *true*, *real*, and *efficient* Sacrifice; and both of them propitiatory for the sins of the whole world. And therefore in the oblation following, we pray that it may prevail so with God, as that we and all the whole Church of Christ, (which consists of more than those upon the earth) may receive the benefit of it. Neither do we call this sacrifice of the Eucharist an *Efficient* Sacrifice, as if that upon the Cross wanted efficacy; but because the force and virtue of that sacrifice would not be profitable unto us, unless it were applied and brought into effect by this Eucharistical Sacrifice and other of the Holy Sacraments, and means appointed by God for that end: but we call it propitiatory both this and that, because they have both force and virtue in them to appease God's wrath against this sinful world. — Read Mald. de Sac. p. 322. »

(3) Sess. xxii. can. iii.

(4) « It is not only an Eucharistical, but a propitiatory Sacrifice: and to prove it a Sacrifice propitiatory, always so acknowledged by the ancient church, there can be no better argument than that it was offered up, not only for the living, but for the dead, and for those that were absent, for them that travelled, for Jews, for heretics, etc. who could have no other benefit of it, but as it was a propitiatory Sacrifice; and that thus they did offer it, read a whole army of Fathers, apud Mald. de Sac. p. 302. *Nos autem ita comparati sumus, ut cum tam multis et magnis authoribus errare malimus, quam cum Puritanis verum dicere.* » Ita Overall apud Oxonienses, p. 74.

(5) Luc. xxii. 19, 20. (6) Matt. xxvi. 28.

(7) Quod vulgatus interpres verbo futuri temporis textum reddiderit, contigisse videtur, ex eo quod sanguinis fusionem in cruce designatam intelligens, præsens tempus pro mox futuro usurpatum censuerit. Cæterum versio non potest infirmare vim textus, qui hoc loco nullam habet mendam, uti omnes fatentur. Versio autem cum textu optime concordat, si textus de fusione mystica, versio de fusione reali explicetur.

(8) « I shall make use of the words of institu-

94. *Probatur* 2. *ex Liturgiis*. In Liturgia Jacobi, post consecrationem orat sacerdos his verbis : « Offerimus tibi, Domine, hoc sacrificium venerandum et incruentum, orantes, ne secundum peccata nostra nobiscum agas. . . . . Ut efficiamur digni qui socii et participes simus sanctorum tuorum mysteriorum in remissionem peccatorum, et in vitam æternam. » In Liturgia Marci post invocationem Spiritus sancti orat sacerdos ut corpus et sanguis Christi « fiant omnibus nobis, qui ex iis participamus, in remissionem peccatorum. » In Liturgia Basilii, juxta Copticum exemplar, orat « ut sacrificium nostrum coram te acceptum sit pro peccatis meis, et pro insipientiis plebis tuæ. »

95. *Probatur* 3. *ex Patribus*. S. Cyrillus Hierosolymitanus Eucharistiam vocat propitiationis hostiam : « Super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum. » — ἐπὶ τῆς θυσίας ἱκετεύσωμεν τὸν ἱλασμὸν παρακαλοῦμεν τὸν θεόν. [1] S. Ambrosius ait : « Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus ; nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. »[2] S. Joannes Chrysostomus de Christo Judæ propinante calicem dicit : « Christus ei sanguinem quem vendidit offerebat, ut haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset. »[3] Insuper sanctitatem qua ornari debet sacerdos, ex munere quo fungitur, victimam hanc offerens, ostendit : « Eum qui pro civitate tota, quid dico civitate ? immo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet ? » [4] Patrum hac in re consensum, sicut et Liturgiarum, agnoscunt Anglicani plures doctrina præstantes. [5]

Objectiones solvuntur.

96. *Obj*. 1. Juxta doctrinam de propitiatorio Eucharistiæ sacrificio virtus crucis evacuatur ; nec enim redempti videbimur sanguine in cruce fuso, sed in Eucharistia oblato.

97. *Resp*. Christi sanguine redempti sumus : nec enim alius est qui in Eucharistia offertur, et qui in cruce est fusus. Se obtulit Christus victimam, sacrificium instituendo, et in mysterio sanguinem fudit, quem fusuri erant hostes ejus, cruci eum affigendo. Dum celebratur Eucharistia, non novum offertur pretium redemptionis, sed sanguis in cruce fusus iterum Deo offertur ad eum nobis placandum, ut applicetur nobis in peccatorum remissionem. Hoc tantum sensu propitiatorium vocamus Eucharistiæ sacrificium ; qua in re plurimi et doctissimi Anglicani nobis assentiuntur. [6]

tion ; because I think that an argument drawn from them will be of the greatest weight ; and I am persuaded that the propitiatory nature of the holy Eucharist is as plainly contained in those words, as any rational man can desire. » Johnson apud Oxonienses, tract. 81. p. 317.

(1) Cat. xxiii. Myst. v. n. viii.

(2) L. 1. de officiis c. xlviii.

(3) Hom. de prodit. Judæ, t. iii. p. 344.

(4) Lib. vi. de Sacerdotio.

(5) « The other end of this Sacrifice is to procure divine blessings, and especially pardon of sin. In the first respect, it is propitiatory ; in the second, expiatory, by virtue of its principal, the grand Sacrifice . . . . St. Chrysostom . . . . St. Austin . . . . Cyril of Jerusalem . . . . Eusebius . . . . St. Cyprian . . . . Origen . . . . St. Clement of Rome. . . . . The Liturgies are very full of proof to this purpose ; the Gregorian . . . . that of St. Peter . . . . St. Chrysostom's Liturgy . . . . the Liturgy of St. Basil . . . . and the Liturgy of St. James. . . . . But the Clementine Liturgy best deserves our notice, and in that the Bishop beseeches God to look favourably on the gifts, and to send down His Holy Spirit on them ; that they who partake of them, may be confirmed in godliness, obtain remission of sins, etc. » Johnson apud Oxonienses, tract. 81. p. 340.

(6) Thorndike, presbyter Anglicanus, dicit :

98. *Obj.* 2. Blasphemum est sacrificium eucharisticum Christi in cruce sacrificio adæquare, quod tamen fit dum utrumque propitiatorium prædicatur.

99. *Resp.* Illud inter utrumque intercedit discrimen, quod pretium in cruce solutum sit, quod nobis in Eucharistia applicatur. Igitur nihil derogatur virtuti illius sacrificii; quæ e contra prædicatur quoties celebratur Eucharistia, ut fructus nobis inde proveniant.

100. *Obj.* 3. Præ unica oblatione crucis quotidianæ et innumeræ hostiæ propitiationis habentur, Eucharistia propitiatorio sacrificio agnita.

101. *Resp.* Unica est propitiationis victima, semel immolata sanguinis effusione, sed in mysterio sæpissime oblata.

102. *Obj.* 4. Quæ ad adstruendam propitiatoriam vim Eucharistiæ allegantur, intelligenda sunt de repræsentatione sacrificii crucis, et de oratione quæ offertur ejus occasione.

103. *Resp.* Testimonia Scripturæ, Patrum, et Liturgiarum vim Deum placandi Eucharistico sacrificio inesse probant: placatur autem non pane et vino, tamquam symbolis, sed corpore et sanguine Filii sui. His, non orationi, tribuenda est vis purgandi delicta, quamvis oratio cum sacrificio conjuncta magnam habeat vim.

104. Ostendimus Eucharisticum sacrificium esse *propitiatorium*, quod tamen non ita est accipiendum ac si ejus oblatione tollerentur peccata. Quum Christus Baptismi et Pœnitentiæ Sacramenta in peccatorum remissionem instituerit, iis utatur necesse est qui hanc cupit consequi. Missæ oblatio prodest baptizato homini, ut gratiæ consequatur auxilia, quibus ad rite suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum disponatur. Venialium culparum remissio etiam ea obtinetur, sicut et plenior remissorum peccatorum indulgentia.

105. Toto cœlo aberrant Anglicani nonnulli, qui Eucharistiam sacrificium propitiatorium agnoscentes, precibus quæ ejus offerendæ occasione funduntur, propitiandi vim tribuunt: [1] nam ex ipsa propitiationis hostia, uti ex Cyrillo didicimus, precum illarum vis derivatur.

106. Vis propitiatoria sacrificii eucharistici ex precibus quæ pro defunctis ea occasione funduntur, optime colligitur. Res est apud Oxonienses explorata illum esse antiquissimum Ecclesiæ ritum, [2] quem et magnas habere utilitates non diffitentur; quamvis

« If the consecrated elements be the Flesh and Blood of Christ, then are they the Sacrifice of Christ crucified upon the Cross. For they are not the Flesh and Blood of Christ as in His Body, while it was whole, but as separated by the Passion of the Cross. Not that Christ can be sacrificed again; for a Sacrifice being an action done in succession of time cannot be done the second time, being once done, because then it should not have been done before: but because the Sacrifice of Christ is represented, commemorated and applied, by celebrating and receiving the Sacrament which is that Sacrifice. » Just Weights and Measures, pp. 95-6. apud Oxonienses, tract. 81. p. 479.

(1) « This self same prayer in which, through he Body and Blood of Christ represented on the altar, God is entreated to be propitious to us, and bestow upon men all good things, is that « propitiatory Sacrifice, » or « unbloody immolation » and propitiatory Sacrifice, of Christ, of which very frequent mention occurs in the writings of the holy Fathers. » Grabe *MS. adversaria* apud Oxonienses, p. 377.

(2) De veteribus Christianis dicunt: « Since they knew not of our chill separation between those who being dead in Christ, live to Christ, and with Christ, and those who are yet in the flesh, they felt assured that this Sacrifice offered by the Church on earth, for the whole Church conveyed to that portion of the Church, which had passed into the unseen world such benefits of Christ's Death, as (their conflicts over and they in rest) were still applicable to them. » Tract. 81, p. 6.

negent inde recte inferri purgatorium esse, in quo animæ, sacrificii pro iis oblatione, subleventur. De hoc animarum statu disserere non est hujus loci; sed opportunum videtur ostendere Missæ sacrificium revera pro defunctis esse propitiatorium, quod profecto intelligendum est de animabus justorum, quibus leviores forsan inhæreant maculæ.

Propositio.

Missæ sacrificium est propitiatorium, etiam pro defunctis.

107. *Probatur* 1. *ex Liturgiis omnibus.* In Liturgia S. Basilii Alexandrina orat sacerdos hisce verbis : « Memento, Domine, et omnium ex ordine sacerdotali qui pridem quieverunt, et eorum qui erant in statu sæculari. Præsta omnium animas requiescere in sinibus sanctorum Patrum nostrorum Abraham, Isaac, et Jacob. Induc et congrega eos in locum herbidum, super aquam requietis, in paradiso voluptatis, unde fugit dolor, tristitia, et gemitus, in splendore Sanctorum tuorum. . . . Illis quidem, Domine, quorum animas accepisti, illic quietem tribue, eosque in regnum cœlorum transferre dignare. » — Ἐκείνων μὲν κύριε τὰς ψυχὰς ἐκεῖ λαβὼν ἀνάπαυσον, καὶ βασιλείας οὐρανῶν καταξίωσον. [1]

108. *Probatur* 2. *Patrum testimoniis.* Tertullianus dicit : « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. » [2]

109. S. Cyprianus : « Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, vel salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec pro dormitione ejus sacrificium celebraretur. » [3]

110. S. Cyrillus Hierosolymitanus scribit : « Pro defunctis sanctis Patribus, et Episcopis, et omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt, oramus, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius et tremendi quod in altari positum est sacrificii. » [4] μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τοῦ ἁγίου καὶ φρικωδεστάτου προκειμένου θυσίας.

111. S. Chrysostomus : « Non temere hæc ab Apostolis sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio : sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam utilitatem. » [5]

112. S. Augustinus : « In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium ; sed etsi nunquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum. » [6] Memorat etiam matrem suam moribundam ipsum et fratrem sic allocutam esse : « Ponite, inquit, hoc corpus ubicumque : nihil vos ejus cura conturbet : tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi, ubi fueritis. » [7] Narrat funus ejus : « Cum ecce corpus elatum est, imus, redimus sine lacrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum

(1) Apud Renaudotium t. i. p. 73. Alias afferre Liturgias supervacaneum est ; nam res est in confesso : « There is one proof of the propitiatory nature of the Eucharist, according to the sentiments of the ancient Church, which will be thought but only too great ; and that is the devotions used in the Liturgies, and so often spoken of by the Fathers, in behalf of deceased souls. There is, I suppose, no Liturgy without them and the Fathers frequently speak of them. » Johnson, apud Oxonienses, tract. 81. p. 340.

(2) L. de cor. mil. (3) L. i. ep. ix. alias ep. lxvi.

(4) Cat. myst. v. n. 9.

(5) Hom. lxix. ad pop. Antioch.

(6) Lib. de cura pro mortuis.

(7) L. ix. Confess. c. xi.

offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi. »[1]

Objectiones solvuntur.

113. *Obj.* 1. Commemorantur in sacrificio mortui ut profiteamur resurrectionis et gloriæ spem. Ita Oxonienses.[2]

114. *Resp.* Fidem de resurrectione et spem enuntiat sancta illa consuetudo, timoremque ne labe aliqua leviori inquinata anima decesserit. Levamen animabus sacrificii oblatione quærebatur, ex certa fide multam eis utilitatem inde provenire, uti docent Cyrillus et Chrysostomus.

115. *Obj.* 2. Orabatur etiam et offerebatur sacrificium pro Virgine Maria et Apostolis.[3]

116. *Resp.* Commemorabatur Maria Virgo cum Apostolis et Martyribus, ut eorum causa Deus hominum misereretur. Sic testatur Cyrillus, Liturgiam explicans : « Cum hoc sacrificium offerimus, mentionem facimus eorum qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras. » — « ἵνα ὁ Θεὸς ταῖς εὐχαῖς αὐτῶν καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν. »[4] E contra cæteris sacrificii oblatio maximum juvamen esse credebatur. Discrimen lucide exponit Augustinus : « Non sic eos *(martyres)* commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus. »[5]

117. *Obj.* 3. Ordo officii communis in codice Colbertino hæc habet : « Præsta etiam per illud incensum, quietem et memoriam bonam Genitrici tuæ, et Sanctis tuis. » Et : « Ecce obsecramus te, Domine Deus, suscipe incensum istud aromatum, quod offert tibi tenuitas nostra, pro sancta Genitrice Dei Maria, pro patre nostro Adamo, et matre nostra Eva, pro Prophetis et Apostolis, etc., pro divitibus et pauperibus. » Iterum : « Deus, per clementiam tuam, præsta requiem et memoriam bonam Genitrici tuæ et Sanctis tuis, omnibusque defunctis, super altare tuum sanctum et cœleste. » Liquet pari ratione sacrificium offerri pro omnibus defunctis, et proinde haud propitiationis ad instar, sed ut vota nostra de perfecta eorum beatitudine exprimantur.

118. *Resp.* Cum Renaudotio : « Non dubitamus in his locis peccatum potius a librariis imperitis fuisse, qui ea quæ disjunctim scribenda erant, ut passim alibi, conjunxerunt, quam certo consilio admissum id fuisse, ut nova doctrina, a qua remotissimi sunt, et quam quotidiana illorum disciplina refellit, induceretur. »[6] In ordine communi quem exhibet Renaudotius, sic habetur : « Petimus ecce a te, Domine, ut suscipias hunc odorem thuris, quod offert tibi tenuitas nostra, pro peccatis et insipientiis nostris; pro divitibus et egenis; pro pupillis et viduis; pro afflictis, et qui persecutionem patiuntur; pro infirmis et oppressis; pro iis omnibus qui dixerunt et præceperunt nobis, ut in nostris ad te Christum Deum nostrum precibus, eorum meminissemus; pro vivis et mortuis, pro animarum ipsarum quiete, in cœlesti Jerusalem : per intercessiones patris nostri Adami et Evæ

(1) L. ix. Confess. c. xii.
(2) Tract. 79, p. 20. (3) Ibidem p. 21.
(4) Cat. Myst. v. n. ix.
(5) Tract. lxxxiv. in Joan.
(6) Liturgiarum Orientalium collectio, ab Eusebio Renaudotio. Observationes in Liturgias Syriacas, vol. ii, p. 38.

matris nostræ; per deprecationes sanctæ Genitricis Dei Mariæ : per orationes Prophetarum , etc. »[1]

CAPUT III.

DE SACRIFICII CELEBRATIONE.

119. Sacrificium eucharisticum primo a Christo oblatum, adhuc suo mandato, auctoritate, et nomine offerri constat; quapropter merito prædicatur unicus novæ Legis sacerdos, qui suo in ævum fungitur sacerdotio, secundum ordinem Melchisedech.[2] Pulchre Chrysostomus ait : « Et nunc ille præsto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit et sanguinem : sed ille qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. « Hoc est, » ait, « corpus meum : » hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dixit : « Crescite, et multiplicamini, et re- » plete terram, » semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum, ad generationem operante natura : ita et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, usque ad hodiernam diem, et usque ad ejus adventum, præstat sacrificio firmitatem.»[3]

120. Constat Christum Apostolos constituisse sacerdotes, qui sacrificium suo nomine offerrent, prout a Patribus Tridentinis definitum est : « Si quis dixerit illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.»[4] Id jam, dum de sacrificio ageretur, probavimus : quum enim Christus vere se ipsum hostiam propitiationis obtulerit,[5] ipsisque ut facerent quod fecerat jusserit, liquet eos constitutos esse sacerdotes, sacrificii offerendi potestate auctos. Ex voce ipsa *faciendi* id inferre licere adnotavimus, quod fatentur Anglicani plures; quamvis non ea, sed toto mandato nitamur. Potestatem eamdem ad Episcopos presbyterosque transmissam esse manuum impositione ex omnium sæculorum fide constat. Sacerdotes passim in omnibus antiquitatis documentis nominantur, adeo ut singula referre testimonia supervacaneum sit. Unum aut alterum recitare

(1) Lit. Orient. Collect. ab Euseb. Renaudotio. Observ. in Lit. Syr. vol. ii. pag. 6.

(2) « His Melchisedeckial or eternal Priesthood , joined with Kingship, was consummated in His resurrection; and is now continued in His service in the heavenly sanctuary. In which heavenly sanctuary He perpetually offers His Blood and Passion to God ; and as Man makes perpetual prayers and intercessions for us . . . As also He hath instituted the same oblation of his Holy Body and Blood , and commemoration of His Passion , to be made in the Holy Eucharist to God the Father by his ministers here on earth, for the same ends, viz. the application of all the benefits of His sole meritorious death and sacrifice on the Cross , till His second return out of this heavenly sanctuary.» Fell, episcopus Anglicanus, *Paraphrase and Annotations*, on Heb. v. 10. apud Oxonienses , tract 81. p. 206.

(3) Hom. de proditione Judæ t. iii. p. 314. edit. Paris. 1687.

(4) Sess. xxii. can. ii.

(5) « I take it for granted that when our Saviour says, « This is my body given » by « given » he means « offered » or sacrificed to God. This is a thing very plain in itself, and is, nay, must be, acknowledged by all; when he said «Take, eat, » He gave His sacramental Body to His disciples : when He adds « given for you, » He must mean given, or offered in Sacrifice to God for them. The giving His Body *to* His Apostles, and giving it *for* them, are two things perfectly distinct : His putting it into their hands or mouths , was not giving His Body for them; this was an action performed to the Apostles : His giving , or offering it for them , was an action directed to *God;* which as it is very plain in itself, so is it expressly taught by Paul : « for Christ, » says he, « has given Himself for us , an «offering and Sacrifice to God. » Eph. v. 2. Johnson , Presbyter Anglicanus , in opere anonymo : « *Propitiatory oblation in the Holy Eucharist* »

sat erit. Gaudentius Brixiensis dicit: « Dominus discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari. »[1] Augustinus ait : « Episcopi et presbyteri proprie dicuntur sacerdotes. »[2]

121. Sacerdos minister est Eucharistiæ conficiendæ, adeo ut nemo valeat eam conficere qui sacerdotio non sit insignitus, prout docet Concilium Lateranense, anno 1215 habitum : « Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos qui fuerit rite ordinatus. »[3] Id fatentur Anglicani.[4] Presbyteriani nullum prorsus reale sacrificium in Eucharistia agnoscunt : dicunt tamen Dominum Jesum ministros suos constituisse, qui verba institutionis declarent populo, orent et benedicant elementis panis et vini, eaque ab usu communi secernant.[5] Baptistæ cœnam Dominicam nonnisi ab idoneis personis, ad id ex Christi mandato vocatis, administrandam tradunt.[6] Cæterum apud eos plurimi se ingerunt publicis muneribus, (*sacris*, ne dixerim,) nullo ordinationis ritu prævio, sed divinam vocationem jactantes. Verbo dicam, apud plerosque sectarios, haud exceptis Episcopalibus plerisque, ipsum sacerdotis nomen ignotum esse, vel invisum, et omnem veram sacerdotii notionem evanuisse. Fatetur tamen White sacerdotis, et altaris, et sacrificii voces antiquitus obtinuisse.[7]

122. Dispensatio Eucharistiæ Episcopis et sacerdotibus jure suo convenit; sed et diaconis olim commissa est, testante Justino.[8] Quoties sub utraque specie dabatur, diaconi erat calicem propinare iis quos sacerdos divino refecerat corporе.[9] Imo permisit Concilium Carthaginense quartum, ut necessitate urgente, ex sacerdotis mandato sacrum corpus diaconus fidelibus porrigeret : « Diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus erogèt. »[10]

123. Inter probra quæ Ecclesiæ intulerunt decimi sexti sæculi novatores, illud erat præcipuum quod Missarum celebratione in quibus solus communicabat, sacerdos, Christi institutum violaret, et frustraretur consilia; cœnæ enim magis quam sacrificii rationem in Eucharistia spectabant. Eas reprobavit Lutherus, quem non puduit diabolum prædicare auctorem, cui post plurima a se adducta, ut consuetudinem Missam ita celebrandi, quam tot annos habuit, tueretur, cessisse se fassus est, argumentorum dæmoniacorum vi devictus. Calvinus questus est, quod « aditus Missis privatis patefactus est, quæ excommunicationem quamdam magis referrent, quam communitatem illam a Domino institutam, quum sa-

(1) Tract. ii. de Exodo.

(2) L. xx. de civ. Dei c. x. (3) Can. i.

(4) « I cannot but observe from S. Cyprian that the Eucharist is called a true and full Sacrifice, which the Priest offers to God the Father; and while he is offering it, acts in the stead of Jesus Christ Himself, our great High Priest. And if the case be so, if the Eucharist is a true Sacrifice, f as often as the Priest offers this Sacrifice, he acts in the stead of Jesus Christ Himself, what can be more plain and manifest than that no man ought to offer up this venerable Sacrifice, but he who is called of God, but he who is ordained and consecrated after the lawful and ordinary manner ? » Hughes, presbyter Anglicanus, Dissertationes proœmiales editioni quam concinnavit S. Joannis Chrysostomi librorum de Sacerdotio p. cccclxxxvi.

(5) Presbyterian Confession of Faith, ch. xxix. n. iii.

(6) Baptist Confession of Faith, ch. xxix. n. 2.

(7) « It has been acknowledged, that the here supposed error concerning « sacrifice, » « altar, » and « Priest » arose at an early period of the history of the Christian Church. » Dissertation viii. of the Eucharist by William White, p. 402.

(8) Apol. i. n. 66.

(9) L. de lapsis. (10) C. xxviii.

crificulus, suam victimam seorsim voraturus, se a toto fidelium populo segreget. »[1] In eas debacchantur passim Anglicani et sectarii omnes : attamen lugent jam Oxonienses quotidianum sacrificium ea de causa eis sublatum : de mutationibus scilicet quæ in Liturgia Anglicana Cranmeri opera factæ sunt, agentes, queruntur ipsum communicandi ritum hac ratione ter quaterve in anno tantum servari.[2] Concilium Tridentinum morem Ecclesiæ explicuit et vindicavit : « Optaret quidem sacrosancta synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat; siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.»[3] « Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit. »[4]

Propositio.

Missæ in quibus solus sacerdos communicat licitæ sunt.

124. *Probatur* 1. *ex natura sacrificii eucharistici.* Omnis sacrificii natura in eo sita est ut Deo offeratur victima : offerentis est ejus fieri particeps, quo jure fruuntur etiam alii ad victimæ carnes manducandas admissi. Eucharistici autem sacrificii natura in corpore et sanguine Christi oblatis posita est. Nihil ergo obstat quin celebretur, licet non adsint qui ejus fiant participes : præcipuus enim finis sacrificii obtinetur, ut Deo summus tribuatur cultus, et secundarius etiam ut placetur, victima oblata ob hominum peccata.[5]

125. *Probatur* 2. *ex constanti Ecclesiæ usu.* Semper fuisse consuetudinem sacrificium celebrandi quotidie, licet sæpissime non forent qui communionem susciperent, constat ex indubitatis monumentis antiquitatis. S. Chrysostomus reprehendit eos qui semel tantum in anno communicabant : « Quomodo, inquies, ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea Sacramenta sumamus? Hoc nempe est, quod universa perturbat : quia non munditia animi, erum intervallo temporis longiore constare meritum putas, summamque arbitraris reverentiam ac religionem esse, si non sæpius cœlestem adeas mensam. »[6] Eos se fraudare beneficio divinitus oblato queritur : « Frustra est quotidianum sacrificium. Frustra adstamus altari : nemo est qui participet. »[7] Illum Græcorum plurimorum neglectum reprobat auctor antiquus

(1) L. iv. Inst. c. xviii 7.

(2) « Daily communion was altogether dropped; it is implied only that there *may be* communion on holy days; and that in Cathedral and Collegiate Churches, there should be *weekly* communion; but on the other hand, it is provided that « there shall be no celebration of the Lord's supper, » not as before, « unless there be *some*, » but « *except there be a good number* to communicate with the priest. » . . . « *We* have followed reformers, and have brought down our celebrations of the communion from weekly to monthly, or quarterly, or three times in the year. » *Relative value of the Communion before and after the change of the Liturgy*. Tract. 81, p. 18.

(3) Sess. xxii. cap. vi. (4) Ibidem can. viii.

(5) « The merits of Christ's Death it is, which still keeps in subsistence a sinful world, and retains God's love for his Church. » Tract. 81. *Doctrine of the Eucharistic Sacrifice stated*, p. 7.

(6) Hom. v. in i. Tim.

(7) Hom. iii. in ep. ad Eph.

librorum de Sacramentis : « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt ? » [1] Ferrandus diaconus, S. Fulgentii discipulus, in epistola data anno 533 quotidianum sacrificium memorat : « Sicut Ecclesiam suam docuit (*Christus*) in quotidianis sacrificiis hanc custodire regulam, ut pro peccatoribus, sive adhuc in terra laborantibus, sive de sæculo recedentibus, orationem faciat, pro martyribus vero gratiarum referat actionem. » [2]

126. Plurima referuntur exempla certissima Missæ privatim celebratæ : « Marcellus Pontifex sacra mysteria fecit in domo Lucinæ ; Nazianzenus senior in domestico cubiculo ; Ambrosius Romæ in quadam domo trans Tiberim ; Paulinus Nolanus, instante morte, in altari ante lectum suum parato. » [3]

127. Concilium Agathense, anno 506, decrevit : « sæculares, qui Natale Domini, Pascha, et Pentecosten non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur : » [4] nec ideo ob communicantium defectum Missas celebrari vetuit.

Objectiones solvuntur.

128. *Obj.* 1. Christus Eucharistiam instituit instar agni paschalis, ejusque participes fecit Apostolos : præceptum autem est in lege ut numerus sufficiens ad esum agni haberetur. [5]

129. *Resp.* Post agni esum Christus instituit eucharisticum sacrificium, veritatemque in typi locum suffecit : cæterum nulla lege jussit, ut singula Paschatis adjuncta vel ritus in Eucharistia servarentur. Quod autem Apostolos sacrificii participes fecerit, ostendit quidem illius consiliis optime convenire, ut adstantes communicent, quod vehementer optat Ecclesia ; sed non ideo vetatur Deo offerre victimam sanctam, quod nemo adest qui velit tanto frui beneficio. Profecto Christus vere obtulit Patri corpus suum antequam illud manducandum porrexerit, nec aliquid oblationi detractum fuisset, si Apostoli divinum donum haud recepissent.

130. *Obj.* 2. Christus jussit Apostolos facere in sui memoriam quod se facientem viderant : ipse autem dederat eis sacramentum.

131. *Resp.* Jussit ut facerent quod fecerat corpus suum et sanguinem offerendo. Licet etiam inferre eum jussisse ut darent volentibus ea suscipere : sed certe non prohibuit ne offerrent Deo Patri divina dona, eaque sumerent, si alii nollent eorum fieri participes.

132. *Obj.* 3. Apostolus eos redarguit qui soli manducant, et Dominicam cœnam multos postulare convivas docet : « Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. » [6]

133. *Resp.* Non agit Apostolus eo loci de Eucharistia, sed de conviviis quæ fiebant in Dominicæ cœnæ memoriam, quæque ἀγάπαι dicebantur. Ea describit Tertullianus. [7] Chrysostomus de iis explicat hoc testimonium, eamdem memorans consuetudinem : « Statis diebus mensas faciebant communes, et peracta synaxi, post Sacramentorum communionem, omnes commune imibant convivium, divitibus quidem cibos offerentibus, pauperibus autem et qui nihil habebant, etiam vocatis, et om-

(1) L. v. de Sac. c. iv.

(2) In Scriptorum veterum collectione e Vaticanis codicibus, edita Romæ 1828, tom. iii p. 183.

(3) Perrone, Tract. de Euch. pars post. c. . n. 305.

(4) Can. xxi. (5) Exod. xii. 3.

(6) I. Cor. xi. 20. (7) Apologet. xxxix.

nibus communiter vescentibus. »[1] Eos igitur qui regulas hujus convivii violabant, haud expectatis fratribus, vel nimio potui indulgendo, redarguit Apostolus, eosque Eucharistiæ injurios esse docet, quum paulo post eam acceptam tam male se gesserint.

134. *Obj.* 4. Omnes Liturgiæ pro certo habent plurimos cum sacerdote Eucharistiæ esse participes : orationes enim omnes multorum nomine fiunt.

135. *Resp.* Sacrificium nomine totius Ecclesiæ peragitur, et preces fiunt ea ratione quæ fidelibus communionem suscipientibus convenit. Quod si nemo sit qui communicet præter sacerdotem, non ideo immutandus est ritus, multo minus negligendum est sacrificium.

136. *Obj.* 5. Missæ privatæ omnino differunt a cœnæ institutione, quæ et superstitionem fovent, nec nisi ad sacerdotum lucrum videntur excogitatæ.

137. *Resp.* Sacrificium eucharisticum necessario constat oblatione corporis et sanguinis Christi, quæ fit a solo sacerdote Superstitionem non redolet credere eam esse Deo gratam : Pater enim in Filio dilecto semper sibi complacet. Id agnovit Leibnitius : « Porro, cum jugis sacrificii tanta sit dignitas atque utilitas, receptum denique est, ut creberrime Deo offeratur pro fidelium necessitatibus, etiamsi non semper accederet dispensatio. . . . . Non ideo tamen honori divino aliquid detrahendum fuit, quia communicantes non semper habentur. Quare, ex quo sanctissimum sacrificium in omnibus Ecclesiis quotidie celebrari laudatissima pietate institutum est, consequens fuit, ut sufficere judicaretur perceptio offerentis sacerdotis, atque hæc Missarum, quas privatas vocant, origo est, quarum fructu sane maximo privari Ecclesiam cum divini honoris detrimento æquum non est. »[2] Quæ de lucri studio dicuntur ad odium conflandum sacro ministerio, non possunt argumenti locum tenere, quum constet piissimos sacerdotes, ab omni lucri turpi cupiditate alienos, ad Dei cultum augendum Missas celebrare, quin adsint communicaturi.

Animadversiones.

138. Supervacaneum duximus argumentis ostendere neminem præter sacerdotem proprie offerre sacrificium. Dicuntur quidem fideles omnes, etiam in Canone, illud offerre, quod tamen patet intelligi de animo cum sacerdote conjuncto, quo Deum colunt. Quæ post Jansenianos nonnullos infelix Episcopus Pistoriensis tradidit in synodo famosa, mala utique fama, anno 1785, partium et novitatum studio excogitata sunt, levissimis et futilibus omnino rationibus allegatis. Qui velit ea, quæ ad nos vix spectant, discussa videre, consulat Perroneum.[3]

139. De applicatione sacrificii plura perperam in illa synodo tradita sunt, quæ cum cæteris erroribus damnavit Constitutione Apostolica Pius VI.[4] Equidem mos erat purissimis Ecclesiæ sæculis, ut fideles munera sua ad altare deferrent, ex quibus quæ ad sacrificium necessaria erant sumebantur, cæteris in sacerdotum sustentationem servatis. Æquissima fuit Dei ipsius lex, ut Aaronici sacerdotes victimarum immolandarum occasione sustentationem alicum quam acciperent : nam « qui altari deserviunt, cum altari participant. »[5] Merito igitur fideles pristini obtulerunt sacrificii occasione munera quæ in sustentationem sacerdotum cederent. Sæculo octavo, ut eruditis videtur, cœpit mos offerendi pecuniam, ut sacerdos sacrificium offerret, et eleemosyna sic in

(1) Hom. xxvii. in i. ep. ad Corinth.
(2) Syst. Theol. p. 292.
(3) Tract. de Euch. post. par. c. iii. prop. iv.
(4) *Auctorem Fidei.* (5) I. Cor. ix. 13.

utilitatem dantis evaderet. Bene animadvertit S. Thomas : « Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ : hoc enim esset simoniacum : sed quasi stipendium suæ sustentationis. » [1]

140. Ne hac occasione turpis lucri cupido corda sacerdotum inficeret, plurimis Pontificum Summorum Constitutionibus cautum est, et Episcopo vindicatum est jus eleemosynam statuendi, quæ modica prorsus ubique est. Nihil proinde in consuetudine illa reprehendendum occurrit, quum divino jure, quo sustentationi sacrorum ministrorum consulitur, nitatur, et sanctum illud fideles inter et sacerdotes foveat officiorum bonorum commercium, quo illi his in temporalibus veniunt, utilitates spiritales inde percepturi : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, » inquit Paulus, « magnum est si nos carnalia vestra metamus? » [2] Profecto qui hujusmodi carpunt consuetudinem, calumniandi se agi libidine produnt, dum ex quorumdam abusu rem innocuam, et sanctissimis viris, imo Ecclesiæ ipsi probatam, rejiciunt et damnant.

CAPUT IV.

DE LINGUA SACRA.

141. Linguam quæ in Sacro faciendo usurpatur, sacram, post Leibnitium, appellamus. De ea controversia a novatoribus sæculi decimi sexti excitata est; quum enim ad id usque tempus per totum Occidentem Latino tantum idiomate celebrari consueverit, vernaculam cujusque gentis linguam potius adhibendam contendebant. Res fuit Tridentinorum Patrum judicio mature expensa; qui tamen nihil in recepta hac de re disciplina mutandum censuerunt. « Etsi Missa, » inquiunt, « magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo et a Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis; mandat sancta Synodus pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis et festis. » [3] Ut novatorum temeritatem reprimerent, decreverunt : « Si quis dixerit. . . . lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; anathema sit. » [4] Ad disciplinam quidem pertinet qua lingua celebretur Missa, ideoque ex Ecclesiæ arbitrio omnino pendet; sed merito feriuntur anathemate, qui suam Ecclesiæ judicio anteponentes sententiam, asserunt linguam vulgarem necessario adhibendam. Nil autem vetat Evangelium lingua vernacula reddere, postquam latine recitatum fuerit, quod Sclavis consuluit Joannes VIII.

Propositio.

Missa non potest lingua vernacula celebrari, obstante Ecclesiæ disciplina, quæ æquissimis fulcitur rationibus.

142. *Probatur ex suprema Ecclesiæ potestate.* Habet Ecclesia a Christo supremam potestatem omnia constituendi quæ ad Sacrificii celebrationem et Sacramentorum administrationem pertinent : nam Præsulibus dictum est : « Quæcumque alligaveritis super terram,

(1) II. Secundæ qu. 100. art. 2, ad 2.
(2) I. Cor. ix. 11.
(3) Sess. xxii. cap. viii.
(4) Ibidem, can. ix.

erunt ligata et in cœlo : »[1] et Apostolus ait : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. »[2] Ergo recepta hæc in re disciplina servanda est, nonnisi ipsius Ecclesiæ auctoritate immutanda.

143. Præcipua ratio cur obtinuerit disciplina Latino tantum idiomate utendi in patriarchatu Romano, et ubicumque gentium S. Sedis missionarii Romani ritus inveniantur, aliis vero locis linguis veteribus ab antiqua ætate usurpatis, nobis videtur esse ut certa foret norma munus adeo sanctum peragendi; nimia enim linguarum varietate mutationes plurimæ ipsam cultus substantiam afficientes facile inducerentur. Hæc autem gravissima sane est causa cur disciplina illa retineatur.

144. Ipsa disciplinæ vetustas argumento est eam gravi niti fundamento. Non constat alias linguas præter Græcam et Latinam a primordiis Ecclesiæ in Sacro faciendo adhibitas,[3] quamvis populi plurimum inter se sermone discreparent. Quod si eruditis quibusdam viris assentiri placeat opinantibus Syriaco quoque idiomate apud Syros, præsertim extra urbes, celebratum esse Sacrificium, Armeniaco apud Armenos, Ægyptiaco, seu Coptico, apud Ægyptios plerosque, excepta Alexandria et inferiori Ægypti provincia, Æthiopico apud Æthiopes;[4] id saltem exploratum est paucis tantum linguis, pro magna idiomatum varietate, id factum. Constat quoque veteres linguas ubique retentas in Sacro peragendo, etiamsi per plurima sæcula desierint esse vernaculæ. Ergo persuasum est Ecclesiæ Præsulibus per tot sæcula haud expedire a norma statuta recedere.

145. Hæc disciplina præclaras habet utilitates; hoc enim pacto innotescit fidei vetustas, et cultus servatur integer, adeo ut iisdem utamur vocibus quibus majores nostri suam fidem, inter mysteriorum solemnia, professi sunt, et coluerunt Deum. Liturgia hac ratione fit monumentum antiquæ fidei, et vinculum sacrum quo omnium sæculorum fideles in Deo colendo conjunguntur. Veneranda adeo mysteria servantur a temeritate hominum, qui si vellent vernaculo cujusque gentis sermone Liturgiam reddere, facile possent voces ineptas et ridiculas adhibere, et ita ea irrisioni exponere. Fidei autem unitas fovetur, gentibus plerisque eamdem in Sacrificii oblatione usurpantibus linguam, adeo ut paucis linguis omnes per orbem fideles, in præcipuo præsertim actu cultus, utentes, facilius in unam fidem et cultum conveniant, posteris illud unitatis pignus et subsidium relicturi.[5] Igitur et antiquæ fidei argumentum insigne nobis suppeditatur hac disciplina, et reverentiæ mysteriorum consulitur, et unitas fidei et cultus fovetur : quæ quidem

(1) Matt. xviii. 18. (2) I. Cor. iv. 1.

(3) Merito deseritur sententia eorum qui Hebraice celebratum esse putabant : nam desierat illius linguæ apud Judæos in familiari sermone usus : nec verosimile est Apostolos Liturgiam lingua obsoleta concinnasse. Insuper nullum vestigium Liturgiæ Hebraicæ superest.

(4) Ita visum est Renaudotio, Dissert. de Liturgiarum orientalium origine c. vi. p. xliii. cui assentitur Perrone Tract. de Euch. par. post. c. iv. n. 388. not. Nobis magis probatur Lienharti sententia, « primas Orientis Liturgias Græce fuisse exaratas, ex quibus deinde enatæ sunt Liturgiæ Syriaca, Coptica, Æthiopica, et Arabica, unde in ipsis tam sæpe occurrunt voces Græcæ, quæ earum originem sat manifestant. » *De antiquis Liturgiis* p. 120. Equidem nonnisi Græce scripserunt novi Testamenti auctores, si Matthæum exceperis, quod ostendit Græcum sermonem apud plerosque Orientis populos ea ætate satis pervulgatum.

(5) « Quelle idée sublime que celle d'une langue universelle pour l'Eglise universelle ! D'un pôle à l'autre, le Catholique qui entre dans une église de son rit, est chez lui, et rien n'est étranger à ses yeux. — Il peut s'écrier :

Rome est toute en tous lieux, elle est toute où je suis, « De Maistre, *Du Pape*, t. i. ch. xx.

gravissimæ esse causæ cur servetur vetus illa disciplina, cuilibet a studio partium immuni videbuntur.[1]

Objectiones solvuntur.

146. *Obj.* 1. Apostolus reprobat linguæ ignotæ usum : « Si benedixeris spiritu : qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem ? quoniam quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis : sed alter non ædificatur. »[2] In hæc scribit Calvinus : « Nunc dicit Paulus : Si idioma exoticum in solemni prece usurpas, quod non intelligant idiotæ et plebeii, inter quos loqueris, nulla erit communicatio. Quid enim apertius his Pauli verbis : non posse idiotam consortem esse publicæ precationis, quin percipiat quod dicitur? quid hoc interdicto planius : ne benedictiones aut orationes in publico concipiantur, nisi vulgari lingua ? »[3]

147. *Resp.* Agit Apostolus, ut ex tota orationis serie patet, de linguarum dono, quod in primordiis Ecclesiæ quibusdam fidelibus est concessum, et quo nonnulli inter Corinthios abutebantur, illud ostentantes in sui gloriam, quum in aliorum utilitatem esset exercendum. Calvinum ipsum damus interpretem : « Ne objicerent Corinthii, Deo fieri injuriam, si contemnerentur ejus dona, anticipat Apostolus testaturque, sibi non esse in animo, illos a donis, etiam quibus abusi fuerant, abducere . . . Nunc ex re ipsa ostendit, cur prætulerit aliis donis prophetiam. Atque eam cum dono linguarum comparat : in quo verosimile est magis occupatos fuisse Corinthios, quia magis ad pompam serviret : nam hominem audire loquentem lingua exotica, vulgo admirationem movet. Ergo ex principiis jam assumptis ostendit, quam sit illud perversum, quum nihil Ecclesiam ædificet. »[4] Liquet igitur de Liturgia, seu solemni prece, non agi, sed de iis quæ quilibet e cœtu fidelium effunderet, orando lingua ignota. Quod autem objicit Calvinus de idiotæ conditione, qui preci assensum suum dare non poterat, de prece ex Spiritus instinctu prolata, a quolibet linguam ignotam usurpante, intelligendum manifesto est : nec nisi contextu et occasione dicendi neglectis, potest ad publicam precem, in Sacrificii oblatione a ministro, ex Ecclesiæ auctoritate, prolatam transferri : diversa enim omnino est ratio : publicæ enim preces, probatæ jam et sancitæ, innotescunt, et iis responderi potest, *Amen*, etiam ab iis qui earum specialem significationem haud noverunt. Ergo frustra afferuntur Pauli verba, quum in confesso sit ea aliam prorsus rem spectare ; et ratio dispar sit solemnis precis ab ea quæ fortuito a quolibet funditur.

148. *Obj.* 2. Ædificatio, quam postulat Paulus, non obtinetur, Sacrificio lingua populo ignota celebrato.

149. *Resp.* Præcipuus Sacrificii finis est ut Deus summe colatur, quod fit oblata victima. Cæterum ædificatur populus fidelis, tum toto ritu, qui reverentiam mysteriorum commendat, tum singulis precibus, quæ explicantur a sacerdotibus, data occasione, et in plurimis libris. Recte igitur Leibnitius : « De lingua, qua celebretur divinum officium, deque cæremoniis sacrisque introductis non est quod multa dicam. Constat enim de his statuendi potestatem penes Ecclesiam esse, mo-

(1) Utilitas quæ litteris humanioribus ex Latini sermonis in Sacris usu haud latuit Hallamum, testem alioquin invitum: « The sole hope for literature depended on the Latin language ; and I do not see why that should not have been lost, if three circumstances in the prevailing religious System, all of which we are justly accustomed to disapprove, had not conspired to maintain it ; the papal supremacy, the monastic institutions, and the use of a Latin liturgy. » Hallam Middle Ages ch. IX. p. 1.

(2) I. Cor. xiv. 16.

(3) Comment. in loc. (4) Ibidem in v. 1. 2.

do decor servetur, et eorum quæ submisse et lingua sacra dicuntur, notitia et interpretatio fideli populo non desit; atque certe nunc nihil in eo genere desiderari potest, ex quo complures libelli vernaculi prodiere, in quibus Canon Missæ et quidquid ad rem divinam pertinet, abunde explicatur. » [1]

150. *Obj.* 3. Longe acceptior Deo foret cultus in quo fideles omnes vocibus conjungerentur, quam ille qui a solo sacerdote, ignota lingua, præstatur, cæteris otiose spectantibus.

151. *Resp.* Deus corde magis quam voce colitur, corde autem omnes fideles Sacrificio adstantes conjunguntur: quod enim fit norunt, et ad illud simul cum sacerdote offerendum, pia animi voluntate, sæpius invitantur. [2] Quod autem ipsa quæ proferuntur verba non omnes intelligant, non obstat: quum enim res ipsa intelligatur, tota animi intentio ad Christum in mysterio oblatum dirigitur, et preces a singulis, pro cujusque devotione et necessitate, funduntur. Sæpe contingit, orante vernacula lingua ministro, tantum studium in accuratiori et elegantiori legendi et pronuntiandi ratione poni, ut ad populum, magis quam ad Deum directa videatur oratio; quam audiunt plerique curiosius, cum gravitate quadam et reverentia, sed mente ad Deum vix evecta. Periculo facto norunt Anglicani quam parum foveant pietatem formulæ illæ, quibus adstantes familiares facti, fastidium, tædiumque celare haud curant. [3] Quicumque Catholicorum cœtum, in solemniori præsertim Missæ parte, inspexerit, haud ægre judicabit quæ cultus ratio pios animi affectus magis excitet. Cæterum desinant ignotam linguam nobis objicere, quum Latini idiomatis notitia sit adeo diffusa, et ipsarum vocum versio plurimis libris, qui manibus fidelium teruntur, contineatur. [4]

152. *Obj.* 4. Joannes VIII. indulsit Illyricis, sæculo nono, ut Sacra fierent lingua vernacula, quod et Sinensibus Paulus V. concessit.

153. *Resp.* Res pendet tota ex Ecclesiæ judicio, pro locorum temporumque varietate. Illyricis quidem recens conversis ad fidem aliquando concessum est, ut idiomate quod Slavum literale vocant, Sacra fierent, Evangelio tamen Latine prælecto, [5] quamvis id imprimis ipse vetuisset. [6] Alicubi tamen eodem idiomate, quod a lingua vernacula admodum differt, Sacra adhuc fiunt ex venia ab Innocentio IV. facta. Sæculo undecimo facultas est revocata Pontificis Alexandri II. auctoritate, ab Apostolico Legato, Concilio habito Episcoporum Dalmatiæ et Croatiæ. Sinensibus ob linguæ difficultatem id etiam concessum. Sed non ideo immutandus est vetustus ritus a sæculis plurimis inductus et statutus apud totam Ecclesiam.

154. *Obj.* 5. Apud veteres Liturgiæ paucis linguis exaratæ sunt, quia pleræque gentes idiomate non utebantur ad certas loquendi et scribendi leges composito: nec enim Italica, Gallica, Germanica, aliæque Europæ linguæ, nisi recentiori ævo excultæ sunt, ut nihil dicamus de gentibus prorsus barbaris. Jam vero linguis plerisque ad tantam perfectionem adductis, quas et

(1) System. Theol. p. 294.

(2) « Chez nous, c'est le *sacrifice* qui est le véritable *culte*, tout le reste est accessoire. » De Maistre.

(3) « They are indifferent, even on a Sunday, to the prayers of the Church, unless there is a sermon. » Bishop Horne.

(4) « On ne cesse de nous parler de *langue inconnue*, comme s'il s'agissait de la langue chinoise, ou sanscredane. » De Maistre.

(5) Ep. xc. ad Methodium.

(6) Ep. cvii.

scribere et legere plerique norunt, non est ratio cur veteres linguæ retineantur.

155. *Resp.* Unica non fuit ratio cur lingua antiqua retineretur, sed ut fidei claresceret antiquitas, et foveretur concordia, quæ rationes adhuc obtinent. Præterea omnia idiomata, quæ *viva* dicuntur, usurpata scilicet impræsentiarum apud aliquam gentem, plurimis mutationibus obnoxia sunt, stylus in dies variatur, et voces facile pravum accipiunt sensum ex usu vulgari : quæ rationes haud leves sunt cur a norma loquendi, per tot sæcula servata in sanctissimo hoc munere obeundo, discedendum non sit [1]

156 *Obj.* 6. Ipsa vetus disciplina favet celebrationi Sacri in lingua vernacula ; Græca enim apud plurimos populos vernacula erat, plerisque notissima, quo tempore eam adhibuerunt Apostoli: sic et Latina innotuit toto orbe Romano. Igitur mutatis jam populorum idiomatibus, Liturgia his concinnanda est, si Apostolorum velimus sectari exempla.

157. *Resp.* Quamvis utriusque linguæ notitia late diffusa fuerit Apostolorum ætate, haud fuit tamen omnibus communis. Quum igitur Apostoli nullam ostenderint solicitudinem linguis vernaculis singulorum populorum Sacrum faciendi, sed duas tantum linguas, ut nobis videtur, paucas, ex omnium confessione, selegerint, eos sequimur auctores eas retinendo Liturgiarum linguas, quas adhibitas novimus.

Animadversio.

158. Ritum Ecclesiæ Romanæ quo secreto plures proferuntur orationes, et maxima pars Canonis, carpunt novatores, quos idcirco merito damnarunt Patres Tridentini : « Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse . . . anathema sit. » [2] Quam antiquus sit iste ritus, ostendit Le Brun. [3] Suffragatur consuetudo sacerdotum Hebræorum, qui intra sanctuarium populi nomine orabant, et adolebant thus, populo foris orante, ne quidem vidente sacerdotem. [4] Liturgiæ Græcorum cum Latina in eo concordant, quod quædam partes secreto recitentur, quamvis non eædem ubique. [5] Quum cuique liqueat magnam mysteriorum venerationem hac ratione commendari et insinuari, necesse non duximus in re tam obvia probanda immorari, præsertim quod sectarii harum regionum, Sacrificio ipso rejecto, de ritu hoc vix agant.

CAPUT V.

DE RITIBUS MISSÆ.

159. Initio Ecclesiæ, nullo adhuc extructo templo christiano, Missa ubique celebrabatur, quamvis plerumque in domibus ad conventus fidelium habendos electis, et destinatis, uti ex Apostoli dictis pluribus colligitur. Etiam post sacra ædificia erecta, vigente persecutione, quicumque locus opportunus idoneus habitus est mysteriis celebrandis, teste S. Dionysio Alexandrino : « Cumque ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis locus, in quo varias ærumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit. » [6] S. Augu-

(1) « Toute langue changeante convient peu a une religion immuable.... La corruption du siècle s'empare tous les jours de certains mots, et les gâte pour se divertir. » De Maistre.

(2) Sess. xxii. can. ix.

(3) Explication de la messe. Suite du iv. vol. Quinzième dissertation sur l'usage de réciter en silence une partie des prières de la messe dans toutes les Eglises, et dans tous les siecles.

(4) Luc. i. 9. 10.

(5) Apud Renaudot. Liturg. Orient. t. ii. p. 21.

(6) Apud Euseb. hist. Eccl. l. vii. c. xxii.

stinus refert Sacrificium in privata domo aliquando suo tempore celebratum: « Vir tribunitius Hisperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium et servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus; obtulit ibi *Sacrificium corporis Christi*, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante, cessavit. »[1] Plerumque tamen Sacrificium nonnisi in Ecclesia celebrabatur, quod et lege districte injunctum est. Concilium Tridentinum idcirco jussit Episcopis, « ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi. »[2] Missionum causa indulgetur Missionariis ut in privatis domibus aliquando celebrent, quod tamen nonnisi in locis ab Ecclesia dissitis licere declaravit Concilium Baltimorense primum.

160. Vestes speciales in Sacrificii celebratione adhibentur ad cultus decorem, plurimis adnexis salutaribus documentis. Utrum mos eas induendi ad Apostolicam referendus sit ætatem, inter eruditos disceptatur. Nonnullis de sacro pallio explicare placuit quod a se Troade relictum afferri jussit Paulus. — τὸν φαιλόνην.[3] De sancto Joanne refert Eusebius, ex Polycrate, Ephesino Episcopo, ad Victorem Papam scribente : « Supra pectus Domini recubuit, et Pontifex ejus fuit, auream laminam in fronte portans, »[4] De Jacobo refertur eum auream laminam etiam gestasse in sacris muneribus obeundis.

161. Constat tempore Constantini sacros ministros vestibus sacris indui consuevisse, ex veteri, ut videtur, more: in oratione enim panegyrica quæ de Ecclesiarum ædificatione habita est, exordium ducitur ab his verbis: « Amici Dei et sacerdotes, qui sacra tunica talari, et cœlesti gloriæ corona decorati, et sacerdotali sancti Spiritus veste induti estis. »[5] Theodoretus narrat Constantinum Magnum Macario, Episcopo Hierosolymitano, sacram vestem aureis filis contextam donasse.[6] S. Hieronymus ait: « Religio divina alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi. »[7] Verosimile censet Benedictus XIV. nullas peculiaris formæ vestes Apostolorum temporibus adhibitas, sed nitidiores et quæ in sacris tantum muneribus obeundis usurpabantur. Cæterum liquet morem esse antiquissimum. Attamen de S. Fulgentio refertur: « Suæ autem conscientiæ Deo teste fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat, et tempore sacrificii, mutanda esse corda potius quam vestimenta dicebat. »[8]

162. Concilium Tridentinum decrevit: « Si quis dixerit, cæremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis; anathema sit. »[9] Omnibus breviter explicatis, decreti æquitas patebit.

163. *Casula*, seu *planeta*, quæ præcipua est vestis, juxta veterem formam totum operiebat corpus brachiaque, adeo ut caput tantum emineret, quæ

(1) L. xxii de civ. Dei c viii.
(2) Sess. xxii. decr. de observandis et evitandis in celeb. Missæ. (3) II. Tim. iv. 13.
(4) Euseb. l. v. hist. Eccl. c. xxiii.
(5) L. x. hist. Eccl. c. iv.
(6) L. ii. hist. Eccl. c. xxvii.
(7) L. de Script. Eccl. (8) In ejus vita c. xviii.
(9) Sess. xxii can. vii.

forma adhuc apud Orientales et Abyssinos retinetur. Ut brachia libera sint, obvolvebatur anterior pars sacerdoti ascensuro ad altare, et supra brachium alligabatur : cujus ritus vestigium videre est in eo quod manipulus porrigatur Episcopo antequam gradibus adscendat. *Alba* vestis ab antiquis temporibus adhibita est, eo quod virorum dignitate auctorum is esset mos, uti nonnulli conjiciunt : constat quippe *candidatos* a veste nomen desumpsisse; sed potius, ut nobis videtur, ob puritatem et munditiem, cujus est symbolum. *Cingulum* olim a quibuslibet adhibebatur ad vestes, ne defluerent, retinendas. *Stola*, seu Orarium, circa collum pendens oræ instar erat vesti exteriori. *Amictus*, quo collum tegitur, *Anaboladium* apud veteres nuncupatus, sæculo octavo inductus est. *Manipulus* pro sudariolo eodem sæculo, vel posteriori, cœpit adhiberi communiter, quum S. Gregorii Magni temporibus jus eum in sacro munere deferendi esset Clericis Ecclesiæ Romanæ, et etiam primis diaconis Ravennatensibus, dum Episcopo ministrarent.

164. Quamvis non constet vestes sacras eo consilio primum adhibitas, ut documenta forent fidei mysteriorum, et virtutum christianarum, id tamen admodum verosimile est, quippe quod consonum sit loquendi rationi a Christo usurpatæ, ut imaginibus et similitudinibus nos edoceret, et toti veteris Ecclesiæ disciplinæ : ubique enim ritibus sacras adnexas significationes reperimus. Ex verbis quæ profert Episcopus dum vestes candidatos induit, et ex orationibus quæ recitandæ sunt, dum induuntur, significatio quæ iis adnectitur colligitur. Amictus capiti primum obductus, deinde collo circumligatus, galeæ salutis, quam miles Christi induere debet, notionem ingerit. Alba vestis animi munditiem denotat. Manipulus fructus bonorum operum quos afferre oportet; et pœnitentiæ lacrymas, quibus abstergenda sunt peccata, denotat. Stola jugum Christi, quod ferre debemus, revocat in memoriam, obedientiæque virtutem insinuat. Planeta, seu Casula, charitatem, veluti vestem nuptialem, qua ornari debet sacerdos, indicat. Christi patientis memoriæ revocandæ vestes sacræ possunt inservire. Amictus velum quod faciei Christi obductum est; Alba vestem qua eum induit Herodes; Cingulum funes quibus ligatus est, dum ad tribunalia Caiphæ et Pilati adduceretur. Manipulus ligamina quibus manus tenebantur, dum flagellis cæderetur; Stola crucem humeris impositam, et collo alligatam; et Casula vestem inconsutilem Christi denotat.

165. Præcipui ritus Missæ sunt crucis signum, pectoris tunsio, osculum altari, libro, patenæ datum, hostiæ et calicis elevationes, genuflexiones, capitis inclinationes, manus extensiones, et alia hujusmodi, de quibus raptim aliqua dicemus.

166. Crucis signum in Missa sæpe fit, ad mysterium Christi crucifixi recolendum. *Semel* factum mortem Christi, quam semel obiit, designat, et Dei, quem colimus, unitatem : *ter* tres personas in uno Deo denotat, earum quippe in redemptionis mysterio agnoscimus bonitatem. *Quinquies* plagas quinque Christi, manibus pedibusque confixis, et latere confosso exhibet. *Seipsum* signat sacerdos, suam ut profiteatur in Christum fidem, divinamque in se imploret opem et benedictionem. Signat initio Evangelii *frontem*, *os*, et *pectus*, ut fiduciam qua se Christi discipulum professurus sit indicet, et amorem quo veritates illas cordis affectu amplexurus. *Librum* signat eo quod verba Christi crucifixi contineat. Signat *oblata* ut Christi benedictio in ea descendat, et fiant corpus ejus et sanguis. Post consecrationem signat etiam *panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ*, eamdem victimam adesse

agnoscens quæ in cruce oblata est. Signat *populum* sub finem Missæ, Christum imitans, qui in cœlum ascensurus, elevatis manibus, benedictionem discipulis elargitus est.

167. Pectus *ter* tundit sacerdos, dum peccata confitetur, aut quum altaris gradibus ascendat, ut gravitatem culparum suarum et dolorem animi significet; publicanum, quem laudavit Christus, imitatus. *Semel* pectus percutit, *Nobis quoque peccatoribus* consortium Sanctorum implorans : *ter* ab Agno Dei qui tollit peccata mundi, misericordiam et pacem, pectus percutiendo, supplex petit : *trina* denique pectoris tunsione se haud dignum esse profitetur qui in animam suam Dominum suscipiat, Centurionis verbis sibi accommodatis.

168. Osculatur altare sacerdos quum primum ad illud accedat, ut Christum, cujus figura est, adoret, et Sanctorum veneretur reliquias, quæ in altari continentur. Id etiam fit quoties ad populum convertere se debet : osculum quippe adorationis, sicut et amoris, indicium apud veteres habebatur, et Christus adorandus est et diligendus. Osculatur librum, lecto Evangelio, ut affectum quo Christum magistrum prosequitur, declaret. Osculatur etiam patenam, dicta oratione *Libera nos*, etc. ut indicet pacem a Christo nobis comparatam crucis sacrificio.

169. Coram altari in medio se sistit, Psalmum recitans, et peccata sua generali formula confitens antequam gradibus adscendat. Revertitur ad medium altare, misericordiam imploraturus vocibus illis Κυριε ελεισον, quæ sexies proferuntur, Christo ter invocato, post Domini trinam invocationem. Eodem loco recitatur, vel canitur, diebus festis hymnus : « Gloria in excelsis Deo, » sicut et Symbolum Nicænum. Dum fit oblatio panis et vini, eodem loco consistit; sicut et dum dicit orationes secretas et Præfationem, et per totum Canonem. Ex sinistro latere crucis Introitum, Collectas, Epistolam, versiculosque recitat : ad dexterum latus transit ut Evangelium legat; quæ loci mutatio commodi causa inducta conjicitur, quamvis apte significet transitum a lege ad Christianam dispensationem.

170. Manus *junctas* sæpius tenet sacerdos, quæ orantis est positura; aliquando *extensas* et in alto *suspensas*, instar Moysis in monte, dum Israelitæ cum Amalecitis pugnarent : eas disjungit populum ad orandum invitans. Eas una cum oculis versus crucem sæpius attollit, mysterium redemptionis ut in memoriam revocet; et cœlum versus, ut cœlestia cogitet. Genuflectit, si adsit sanctissimum Sacramentum in altari, illudque adorat. Inclinat caput, cervicemque sæpius, crucem venerandi et animi humiliationem significandi causa. Ad populum se convertit quatuor vicibus, Dominum fidelibus adesse optans; et etiam dum ministrat communionem, eisque benedictionem largitur. Manus abluit in munditiei animi quam colere oportet indicium.

171. Campanula ter pulsatur sub finem Præfationis, ut sic excitetur populi devotio ad gratias Deo agendas, et post consecrationem hostiæ et calicis, ad Christum adorandum sub speciebus sacramentalibus.

172. Quum Christus panem legatur fregisse in Sacramenti institutione, invaluit a vetustissimis temporibus ubique hostiæ frangendæ ritus. In tres dividitur apud Latinos partes, quarum una in calicem immittitur, altera olim pro infirmis reservabatur, altera absumebatur a sacerdote : utraque nunc a sacerdote sumitur. Immissio hostiæ in calicem corporis sanguinisque in Christi resurrectione conjunctionem non obscure indicat.

173. Secreto dicuntur orationes illæ quæ post Offertorium sequuntur ad Præfationem usque, et totus fere Canon, qui ritus antiquissimus est : quippe

per tria priora saltem sæcula Ecclesiæ viguit arcani disciplina. Ritus ratio est veneratio erga mysterium tremendum, et Christi inter ærumnas silentium quod indicat.

174. Candelæ duæ in altari, una ex utraque crucis parte, accenduntur, qua ratione fidei lumen a Christo in gentes Judæosque diffusum apte significatur. Vigente persecutione, lumine opus erat Christianis sacra mysteria in cryptis et catacumbis celebrantibus. Sed seu necessitate, seu significationis causa lumen adhibitum fuerit initio, constat illud significationem sacram deinceps adnexam habuisse; scribit enim Hieronymus : « Per totas Orientis Ecclesias quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde et virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur : « Sint lumbi vestri præcincti, et » lucernæ ardentes in manibus vestris. » Et de Joanne Baptista : « Ille erat lu» cerna ardens et lucens; » ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus : « Lucerna » pedibus meis verbum tuum, Domine, » et lumen semitis meis. » [1]

175. De ritibus omnibus Missæ monent Tridentini Patres : « Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex apostolica disciplina, et traditione, qua et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur. » [2]

176. Preces cæteraque quibus Liturgia constat, non eadem gaudent antiquitate. Ex Justini apologia liquet quidem primis sæculis prolixas preces a sacerdote, in Eucharistiæ celebratione, recitatas. Liturgiæ omnes iisdem fere constant partibus, quamquam diverso aliquantulum ordine nonnunquam dispositis. Ubique fit oblatio panis et vini, Præfatio recitatur, preces pro vivis funduntur, et etiam pro defunctis. Martyres Sanctique commemorantur, ut eorum intercessione adjuvemur. Consecratio fit verbis Dominicis, invocatur Spiritus sanctus, recitatur oratio Dominica, hostia frangitur, communio percipitur, et gratiæ aguntur ob divinum munus. Hæc Liturgiis omnibus contineri agnoscunt post Palmer Oxonienses.[3] Singulas Missæ Romanæ partes, prout nunc se habent, referre juvat.

177. Psalmus quadragesimus secundus : « Judica me, Deus, » initio Missæ, sæculo septimo recitari cœpit, qui mos a Pio V. firmatus est. Confessionis generalis formula ab anno usque 1300 invaluit. [4] Dum sacerdos ad

(1) L. adv. Vigilantium.

(2) Sess. xxii. cap. v.

(3) Vol. ii. Tract. 63.

(4) « As to the confession at Prime and Compline, in which is introduced the name of the Blessed Virgin and other Saints. . . . It is not a simple gratuitous Invocation made to them, but it is an address to Almighty God *in His heavenly court*, as surrounded by His Saints and Angels, answering to St Paul's charge to Timothy « be» fore God and the Lord Jesus Christ, and the elect » Angels,» and to Daniel and St. John's address to the Angels who were sent to them. » Vol. iii. Tracts No. 75. p. 10. Ita Oxonienses in præfatione suæ versioni Breviarii : qui dum silent de posteriori *Confessionis* parte, videntur eam probare, ideoque consuetudinem orandi Sanctos ut pro nobis intercedant apud Deum.

altare accederet, chorus Psalmum consuevit cantare, cujus initium plerumque *Introitum* Missæ constituit, juxta normam a S. Gregorio M. statutam. Κύριε ἐλεησον — a Græcorum Liturgiis ad Latinam transiit, sexaginta saltem annis ante prælaudati Pontificis tempora. Græcarum et Hebraicarum vocum in Latina Liturgia usus eo inservit, ut fidei origo et unitas ostendatur; ab Hebræis enim Ecclesia duxit initium, ad Græcos Latinosque, et cæteros populos dimanatura. Hinc Amen, *vere*, Alleluia, *Laudate Deum*, Deus Sabaoth, scilicet *exercituum*, Hosanna, *salus*, in Romana Missa usurpantur. Hymnus qui incipit: « Gloria in excelsis Deo, » cantico scilicet Angelorum, Christo nato, olim canebatur in Missa Nativitatis tantummodo, Græcos apud et Latinos. *Collectæ*, seu orationes quibus fidelium vota, veluti in unum collecta, exprimuntur, pleræque Galasium aut Gregorium auctorem habere censentur. Leo II. dictavit eam quæ incipit: « Deus qui B. Petro, etc. » Innocentius III. auctor est alterius: « A cunctis nos, quæsumus, Domine, mentis et corporis defende periculis, etc. »

178 Lectiones ex Scripturis, tum veteribus, tum novis, ab initio Ecclesiæ in sacris conventibus recitabantur, quas ordine quodam digessisse censetur Hieronymus. *Graduale* nomen habet a gradibus altaris, in cujus plano olim canebatur, vel a gradibus *ambonis*, quos scandebat diaconus, dum caneretur, lecturus inde Evangelium. Hujus ritus auctor putatur S. Cœlestinus, seu S. Gregorius. *Tractus* plerumque canitur tractim, cum asperitate quadam et prolixitate, tempore pœnitentiæ; quæ ratio est nominis. *Sequentia* dicuntur rhythmi, qui aliquando post Tractus recitantur. Antiquissimus omnium est qui incipit: « Victimæ paschali laudes immolent Christiani, » cujus auctor habetur Robertus Francorum rex sæculo undecimo. *Symbolum*, prout in Nicæno et Constantinopolitano Conciliis est auctum, ut Arii Macedoniique hæreses evellerentur, ab anno usque 471, apud Orientales cani consuevit inter mysteriorum celebrationem; sed in Romana Ecclesia usus haud obtinuit, quia nulla eam infestaverat hæresis, quam fidei confessione profligare opus esset. Cessit tamen sæculo undecimo Benedictus VIII. consiliis Henrici Imperatoris, et illud cani jussit. Apostolorum Symbolum Romæ recitabatur inter Baptismi ritus, nulla additione auctum; quapropter Ambrosius ait: « Ecclesia Romana Symbolum Apostolorum intemeratum semper custodit, et servat. »[1] *Offertorium* post sæculum tertium cani cœpit, dum populus oblationes ad altare deferret. Oratio, *Suscipe, sancta Trinitas*, antiquissima est, utpote cujus origo ignoratur. Reperitur autem apud vetustum auctorem librorum de Sacramentis.[2]

179. Invitatio ad populum ut orent: « *Orate fratres*, » S. Leoni tribuitur, quamvis haud absimilis in Liturgiis S. Marci et S. Jacobi reperiatur. *Præfationes* pleræque antiquissimæ sunt, et quoad substantiam ad Apostolica videntur referendæ tempora; sed nonnullarum S. Gelasius habetur auctor. S. Cyprianus: *Sursum corda*, memorat, quibus vocibus sacerdos fideles ad cœlestium contemplationem adhortatur, laudis voces cum Angelorum canticis ut admisceant. Hymnus Cherubicus, quo terminatur Præfatio: « *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, » a pluribus veterum celebratur. Liturgiæ Jacobi, Basilii, et Chrysostomi similes quasdam laudum formulas exhibent, quarum exemplum in Catechesi S. Cyrilli Hierosolymitani videre est.[3] *Canon*, seu regula cele-

(1) Ep. vii. ad Siricium. (2) L. iv. c. vi. (3) Catech. v. mystag.

brandi, quæ et *actio* a veteribus dicta est, unde quædam oratio « *Infra actionem* » inscribitur, sæculo quarto est antiquior, et quoad maximam ejus partem ad Apostolorum traditionem recte refertur. Institutio narratur, et consecratio perficitur, vocibus aliquibus et circumstantiis relatis, de quibus silent Evangelistæ, sed quæ eædem fere sunt in omnibus Liturgiis, nixæ procul dubio Apostolica traditione.[1] Ei S. Leo adjunxit verba illa : « Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. » S. Gregorius noscitur hæc addidisse : « diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. » Dicitur etiam inseruisse nomina SS. Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ et Anastasiæ. Post illius tempora nihil Canoni additum, nihilque in eo mutatum est.[2]

180. Juxta morem vetustissimum, quem superius retulimus, orat sacerdos in Canone pro fidelibus omnibus, præsertim Pontifice, Episcopo, et quibusdam sibi commendatis, vel amicis, quorum memoriam tacitus revocat. *Diptycha* Δίπτυχα, videlicet *bis plicata*, dicebantur olim tabulæ, seu asseres ita sibi invicem conjuncti ut plicari possent, quibus specialiter commendandorum referebantur nomina. Defunctorum pariter meminit, quorum commendationem ex Rituali Anglicano exclusam esse notat Palmer,[5] Liturgiis omnibus veteribus eam contineri agnoscens. Sergius I. dicitur orationem : « *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, » in usum induxisse. *Tres orationes* ante communionem ex antiqua piorum hominum consuetudine derivantur. *Verba Centurionis* se indignum profitentis sacris usibus accommodata esse tempore Origenis constat. *Verba* quæ dum porrigitur Sacramentum dicuntur, antiquissima sunt.[4] (Olim in manus dabatur, qui mos in Concilio Rodomi vetitus est). Alia recitantur in Synodo Rodomi anno 878 : « Corpus Domini et sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum et vitam æternam. »[5] Antiphona quæ *communio* dicitur, olim canebatur a choro, dum sacerdos Eucharistiam distribueret. *Benedictio* in fine Missæ nonnisi ab Episcopo dabatur, sed jam sæculo undecimo obtinuit mos ut sacerdotes eam impertirentur.[6] *Evangelium S. Joannis* ex quorumdam devotione recitari cœpit, quod ex mandato S. Pii V. nunc dicitur.

181. Ex his quæ breviter retulimus,

(1) De consecrationis forma notant Oxonienses eam iisdem fere verbis in omnibus Liturgiis reperiri, quamvis non reperiantur omnia apud aliquem sacrum scriptorem. « All contain . . . a commemoration of our Lord's words and actions in the institution of the Eucharist, which is the same, almost word for word, in every Liturgy, but is not taken from any of the four Scripture accounts. » Vol. ii. Tract. No. 63. p. 7. London edition.

(2) « Mr Palmer has shown that we have abundance of materials for ascertaining the text of this Liturgy, as it stood in the time of Gregory the Great, patriarch of Rome, A. D. 590. by whom it was revised, and in some parts enlarged. . . . It also deserves to be noticed, that at the time when the Roman Liturgy was undergoing these successive revisals, a tradition all along prevailed attributing to one part of it an apostolic origin; and that this part does not appear to have undergone any change whatever. Vigilius, who was Pope between the times of Gelasius and Gregory, tells us that the « canonical prayers, » or what are now called the « Canon of the Mass » had been « handed down as an apostolical tradition. » And much earlier we hear the same from Pope Innocent, who adds that the Apostle from whom they derived it was St. Peter. Ibidem p. 4.

(3) « All the ancient Liturgies contain likewise another Prayer (which has been excluded from the English Ritual,) for the rest and peace of all those who have departed this life in God's faith and fear. » Tract No. 63

(4) Ex vita S. Gregorii M. a Joanne Diacono.

(5) C. ii. p. 206 vol. iv. conc. col. reg.

(6) Micrologus.

liquet Liturgiam, seu Missam, magna ex parte constare Scripturarum excerptis, cæteris plerisque ex antiquissima traditione derivatis. Solemniorem ejus partem, precem a Cypriano, Canonem a nobis dictam, ad Apostolos referendam esse auctores, saltem quoad substantiam, ex omnium Liturgiarum concordia in rebus præcipuis merito censent eruditi. Eum idcirco vindicavit Concilium Tridentinum contra novatorum temeritatem : « Si quis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit. » [1]

Qui hæc fusius explicata et vindicata videre velit, consulat eruditissimum opus Benedicti XIV. de Sacrificio Missæ, ex quo pleraque desumpsimus : vel dissertationem ab Episcopo Carolopolitano jam laudato, Anglicæ, quam edidit, Missalis versioni præfixam, in qua omnia dilucide exposuit, et illustravit.

(1) Sess. xxii. Can. vi.

TRACTATUS XIV.

DE POENITENTIA.

PRÆNOTANDA.

1. Pœnitentia — μετάνοια — generatim dicitur animi dolor de errato aliquo, quo sensu verbum pœnitendi passim apud scriptores profanos usurpatur : « Alexandrum regem videmus, » inquit Tullius, « qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit : tanta vis fuit pœnitendi.»[1] Apud Ovidium legimus :

« Pœnitet : O ! si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet ; et facto torqueor ipse meo.
Cumque sit exilium, magis est mihi culpa, dolori;
Estque pati pœnam, quam meruisse minus. »[2]

Ausonius, Græci et Latini vocabulorum vim explicat :

« Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor. »[3]

Lactantius pariter : « Is quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit : ideoque Græci melius et significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos possimus resipiscentiam dicere ; resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum ad rectius vivendum : tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. »[4] Agere pœnitentiam idem sonat ac pœnitere : « agat pœnitentiam pœnitentiæ suæ, » ait Plinius. Hinc factum ut vox Græca μετανοεῖν sic redderetur a vulgato interprete, cujus versionem nemo idcirco carpere jure potest. Equidem in vernaculis versionibus voces majorem habent vim, sed quæ contextu plane fulcitur, et sensui christiano et constanti majorum nostrorum agendi rationi omnino congruit. Juxta sanioris critices leges vocis etymologia usui recepto cedit; ideoque qui hujus immemores vim voci insitam spectant, ipso contextu sacro neglecto, haud optimam interpretandi rationem sequuntur. Constat sæpius pœnitentia designari in Scripturis animi dolorem, cujus indicia prodeunt in corporis afflictatione.[5]

(1) In Tusculana iv.
(2) L. i. de Ponto, ep. i. v. 59.
(3) Epigram. xi. (4) Instit. div. l. vi. c. xxiv.
(5) Vide Matth. xi. 21. xii. 41. In protestanticis versionibus reddita est vox ; « repent. » Jam vero contendit Campbell reddendam esse : « reform. » The four Gospels with preliminary dissertations, dissert. vi. p. iii. Ipse tamen alibi animadvertit : « Though the words are Greek, Jewish erudition is of more service than Grecian, for bringing us to the true acceptation of them in the sacred writings » Diss. ii p. ii.

2. Pœnitentiæ virtus in eo sita est ut quis delictis doleat, ob Dei offensam, et efficax foveat propositum ea in posterum vitandi, et quæ ad ea expianda necessaria sint faciendi. Recte dicit Tertullianus : « Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana, quia caret fructu suo, cui Deus eam sevit, id est, hominis saluti. »[1] Pœnitentiæ Sacramentum est ritus a Christo institutus quo peccatorum post Baptismum admissorum obtinetur venia sacerdotum ministerio : vel cum Perrone dicamus : « Est Sacramentum a Christo Domino institutum quo per juridicam sacerdotis absolutionem homini contrito et confesso remittuntur peccata post Baptismum commissa. » Ut ordine quodam procedamus, remittendi peccata potestatem a Christo Apostolis concessam, et ad sacerdotes omnes transmissam primum ostendere juvat.

CAPUT I.

DE POTESTATE REMITTENDI PECCATA.

3. Constat Apostolos Christi nomine prædicasse pœnitentiam et remissionem peccatorum ; et inter primarios fidei articulos a primordiis Ecclesiæ remissionem peccatorum recensitam esse : reperitur enim in Apostolorum Symbolo. Quo autem sensu ea prædicetur et credatur, controvertitur. Nemo quidem dubitat veniam promitti pœnitenti, Christi intuitu et auctoritate; sed disceptatur utrum Evangelii præcones potestate divinitus præditi sint eam Christi nomine largiendi. Nemo etiam censet hominem, sua veluti auctoritate vel pro arbitrio posse peccata dimittere : apud omnes enim in confesso est nonnisi Deum, vel hominem divino mandato obsequentem posse veniam largiri, et iis tantum quos peccatorum vere pœnitet.

4. In apologia Confessionis Augustanæ « tria Sacramenta numerantur, scilicet Baptismus, Cœna Domini, et Absolutio, quæ sit Sacramentum Pœnitentiæ, atque expresse adseritur quod *vere sint Sacramenta.* »[2] « Absolutio proprie dici potest Sacramentum Pœnitentiæ. »[3] In ipsa Confessione Augustana, privatæ confessionis atque absolutionis utilitatem agnoverunt Lutherani.[4] Calvinus animadvertit : « Videmus tamen ministros ipsos, ut de remissione peccatorum certiores reddant conscientias, testes ejus ac sponsores constitui, adeo ut ipsi dicantur remittere peccata et animas solvere. »[5]

5. Anglicani potestatem remittendi et retinendi peccata in formula ordinationis presbyteri annuntiant;[6] et ejus exercitium erga vita periclitantes præscribunt, prævia speciali peccatorum confessione, adeo ut presbyter dicat se Christi auctoritate sibi demandata ab omni peccato moribundum absolvere.[7] Quoties publice administratur communio, Rituale Anglicanum etiam præscribit, presbyterum hortari debere eos qui ad eam accessuri sunt, ut diligentiori suæ conscientiæ indagine se parent, et si non valeant conscientiæ sedare motus, ad eum vel alium mini-

(1) L. de pœn. c. ii.

(2) Art. vii. de numero et usu Sacramentorum p. 200 apud Walchium Introduct. l. i. c. iv. p. 457.

(3) Art. v. de pœnitentia p. 167.

(4) Art. xi. apud Walchium l. i. c. iii. § xxxiv. p. 295.

(5) Inst. l. iii. c. iv. n. 12.

(6) « Whose sins thou dost forgive, they are forgiven : and whose sins thou dost retain, they are retained. » The Ordering of Priests.

(7) « Our Lord Jesus Christ who hath left power to his Church to absolve all sinners who truly repent and believe in him, of his great mercy forgive thee thine offences. And by his authority committed to me I absolve thee from all thy sins, in the name of the Father, etc. » The Order of the Visitation of the Sick. »

strum verbi accedant, ministerio ejusdem verbi absolutionis beneficium recepturi.[1] Episcopales nostrates formulam verborum in Ordinatione retinent; ergo ægrotos potestatem exercendam non tradunt, quæ apud Anglicanos de confessione et absolutione præscripta sunt penitus prætermittentes. In precibus mane dicendis, generalioribus verbis se peccasse omissione et actione profitentur, precantes ut juxta promissiones suas Deus pœnitentibus ignoscat: postea presbyter, solus stans, dicit Deum ministris suis potestatem et mandatum dedisse, ut absolutionem et remissionem peccatorum declarent et enuntient populo suo pœnitenti. Absolutionis auctoritate Christi datæ, qualem profitetur Rituale Anglicanum, nec vola nec vestigium in Americano Rituali, quod in ipso titulo formulæ matutinæ cavet, ne quis eam aliud quam meram *declarationem* remissionis pœnitentibus dandæ existimet,[2] et in hortatione ante communionem omnem absolutionis mentionem omittit.[3] Cæterum nec Anglicani articulis suis, vel fidei decretis aliquid de potestate peccata remittendi inserere ausi sunt, quod fatentur Oxonienses, spiritalia beneficia absolutionis nonnisi ex traditione orali ministrorum nosci affirmantes.[4] Pearsonius tamen hæresim esse Novatianam plane docet Ecclesiæ denegare auctoritatem remittendi peccata.[5] Wilsonus dicit Ecclesiam Anglicanam ministris vindicare potestatem absolutionem declarandi auctoritate; et effectum asserit consequi ex Christi promissione, si potestas rite exerceatur.[6] Kettlewellus dicit sacerdotali absolutione remissionem peccatorum pœnitentibus donari.[7] White dicit ministerio divinitus instituto, et declarationibus eo nixis, esse testimonium de peccato condonato, quod tamen e conscientia cujusque pendeat, et absolutiones conditionales in precibus matutinis et vespertinis fieri vere, et auctoritate asserit;[8] ipsa verborum formula haud suffragante. Benjaminus Onderdonk, Neo-Eboracenus, in concione Baltimori habita, et in lucem edita, potestatem dimittendi peccata verbis amplissimis vindicavit, quin explicuerit quo pacto apud suos exerceatur. Sectarii plerique omnem notionem hujus potestatis exsibilare solent. I tamen qui Anna Lee matre et magistra gloriantur, *Shakers* vulgo dicti, potestatem peccata dimittendi Sanctis datam dicunt.[9]

6. Inter veteres hæreticos fuerunt qui potestatem Ecclesiæ in peccatis dimittendis vel negarent, vel arctioribus includerent limitibus. Montanus graviora peccata, præsertim mœchiam, condonari non posse ab Ecclesia do-

(1) « That by the ministry of God's holy word he may receive the benefit of absolution. » The Communion.

(2) « The declaration of Absolution.

(3) The Communion.

(4) Vol. iv. tract 81.

(5) Exposition of Creed.

(6) « She asserts, what is most true, that Christ' ministers have a special commission, which other believers have not, authoritatively to declare this absolution for the comfort of true penitents; and which absolution, if duly dispensed, will have a real effect from the promise of Christ. (John xx. 23.) Pull. Moderat. apud Oxonienses vol. ii. tract 62.

(7) « Is it (forgiveness) in any signs and tokens outwardly dispensed? *Ans.* Yes, both in the Holy Sacraments and the sacerdotal Absolution. » Kettlewell, on the Creed, apud Oxonienses. Tract 76.

(8) We need not hesitate to consider the conditional absolutions in our morning and evening prayer, as made not only truly, but authoritatively. White's Lecture II. on the Apostles Creed, p. 43.

(9) « As the son of man had power on earth to forgive sins; so he gave the same power unto his followers . . . the same power and greater was to be restored and given unto the saints in the latter day. » The Testimony of Christ's second appearing, 2d edit. Albany, 1810. p. viii. ch. iv n. 29. 30.

cuit; qua de causa Zephyrini Pontificis decretum, veniam pœnitentibus pollicentis, carpit Tertullianus. Sæculo tertio Novatianus, presbyter Romanus, una cum Novato Carthaginiensi, schismate facto, invidiam legitimo Pontifici Cornelio conflare studuit, eo quod idololatriæ reos reciperet pœnitentes. Mœchos deinceps contendit venia nunquam donandos : [1] imo ipsam potestatem peccata quælibet dimittendi videtur aliquando impugnasse; nam quosdam ejus sectatores, qui leviorum culparum indulgentiam dari posse concedebant, ab auctoris sui placitis recedere dixit Ambrosius. [2]

7. Concilium Tridentinum, ut novatorum errores evelleret, plures hac de re edidit Canones : « Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : « Accipite » Spiritum sanctum : quorum remise» ritis peccata, remittuntur eis : et » quorum retinueritis, retenta sunt, » non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit. » [3] « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum . . . anathema sit. » [4] « Si quis dixerit, sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum : « Quæcumque ligaveritis super terram, » erunt ligata et in cœlo, et quæcumque » solveritis super terram, erunt soluta » et in cœlo; et quorum remiseritis » peccata, remittuntur eis, et quorum » retinueritis, retenta sunt; » quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit. » [5]

Propositio.

Concessa est a Christo Domino Apostolis, et per eos iis qui munere sacerdotali funguntur, potestas vere judicialis in peccatorum remissione.

8. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Petro promisit Christus claves regni cœlorum, et ligandi et solvendi potestatem, cujus exercitium ratum haberetur in cœlis. « Tibi dabo claves regni cœlorum. » [6] Metaphora hæc potestatem aperiendi cœli januas, quæ adversus peccatorem clausæ sunt, enuntiat, ideoque dimittendi peccata facultatem, ut peccator, repagulo ablato, cœlos possit ingredi. Quæ de ligandi et solvendi auctoritate subjunxit, id plane confirmant. Apostolis omnibus ligandi et solvendi potestatem etiam pollicitus est : « Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. » [7] Aptissima imago peccatorum in vinculis habetur : peccatis enim captivus quis fit et servus : solutio ergo vinculorum est peccatorum indulgentia, quæ ab Apostolis concessa in cœlo rata habetur.

9. Promissioni respondet eventus; nam Apostolis Christus se redivivum exhibuit, et postquam plagas quas acceperat ostenderat, dixit : « Sicut misit

(1) Vide Eusebium l. vii. hist. Eccl. c. vii. Socraten. l. iv. hist. Eccl. c. xxiii. et l. vii. c. xxv. Epiphanium hær. lix.

(2) L. 1. de pœnit. c. ii.

(3) Sess. xiv. can. iii. de Pœnitentia.

(4) Can. ix. (5) Can. x.

(6) Matt. xvi. 19.

(7) Ibidem xviii. 18.

me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. »[1] Illa vulnerum ostensio ut eos se adesse certiores faceret, probat de re magni momenti agi, de qua nullum locum dubitandi relinquere oportebat. Missio Christi a Patre vadimonium datum est et exemplar auctoritatis quam ipse illis impertiebatur. Spiritus sanctus datus est, Christo exterius etiam illis insufflante, ut potestatem divinam ab illo manare, iisque communicari intelligeremus. Verbis perspicuis et simplicibus potestas ipsa enuntiatur, et indulgentia vel severitas apud judicem cœlestem ex eorum sententia pendere dicitur. Judiciaria tribuitur potestas : penes eos enim est remittere vel retinere peccata, scilicet cognita causa, et perpensa peccatorum voluntate, et animi dispositione. Porro potestatem hanc ad ministerium pertinere liquet ex missione divina qua nititur : hujus enim vi contingit ut sacra omnia obeantur munera. Versatur etiam circa rem præcipuam prædicationis evangelicæ, pœnitentiam scilicet et remissionem peccatorum in nomine Jesu, quæ annuntianda erat omnibus gentibus.

10. *Probatur* 2. *ex Patribus*. S. Cyprianus, una cum triginta octo aliis Episcopis, ad Cornelium Pontificem Romanum scribens, quæ in Concilio statuta erant refert : « Statueramus quidem jam pridem, frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, ac sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas et divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus et deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione aut pace Domini dimitterentur, cum permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent, solvi autem possent illic quæ hic prius in Ecclesia solverentur. »[2] Agi liquet de venia sub mortem danda, quæ coram Deo prodesset, proinde de vera remissione peccatorum, non de solis communionis ecclesiasticæ juribus.

11. S. Joannes Chrysostomus de sacerdotio agens, ejus potestatem mire extollit : « Qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cœlis sunt dispensent ; iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit : neque enim ad illos dictum est : « Quæ- » cumque alligaveritis in terra, erunt » alligata et in cœlo. » Habent quidem et terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum : id autem quod dico sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit, usque adeo ut quæcumque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. »[3] « Etenim quidnam hoc aliud esse dicas nisi omnium rerum cœlestium potestatem illis a Deo concessam ? « Quorumcumque, » ait, « peccata » retinueritis, retenta sunt. » Quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat ? Pater omnifariam Filio potestatem dedit. Cæterum video ipsam eamdem omnifariam potestatem a Deo Filio illis traditam. » Hæc de solutione liga-

(1) Joan. xx. 22.
(2) Ep. ii. l. i. alias ep. liv. alias lvii.
(3) L. iii. de Sacerdotio.

minum æque valent, ideoque potestas agnoscenda est peccata dimittendi, quæ Dei ipsius judicio confirmetur. Hanc sacerdotum Christi auctoritatem cum ea quæ sacerdotibus Aaronicis in lepræ examine dabatur, confert, ut ejus præstantiam ostendat : « Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum sacerdotibus solis licebat. At vero nostris sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. »[1] Verbis clarioribus animæ mundatio, quæ fit peccata remittendo, enuntiari non potuit.

12. S. Hilarius : « O beatus cœli janitor ! cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata authoritas sit in cœlo ; ut quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo. »[2]

13. S. Ambrosius Deum sic alloquitur, Novatianorum notans errorem : « Quod ergo isti possunt consortium tecum habere, qui claves regni non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant? Quod quidem recte de se fatentur : non habent enim Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt. Sed hoc improbe, quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit : « Tibi dabo » claves regni cœlorum; et quæcumque » ligaveris super terram, erunt ligata » et in cœlo : et quæcumque solveris » super terram, erunt soluta et in » cœlis. »[3] Redarguit Novatianos, qui neminem dimittere posse peccata negant : « Nulla in his hominis potestas est, ubi divini muneris gratia viget.... Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. Sed dicis quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur?»[4] Item : « Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti. Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. »[5]

14. S. Pacianus : « Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est : sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit : « quæ ligaveritis, etc.» Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? »[6]

15. S. Hieronymus : « Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt ; per quos et nos Christiani sumus : qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant.[7]

16. S. Augustinus : « Annon cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem et Sacramentorum confectionem et erogationem. »[8] Et alias : « Nemo sibi dicat : Occulte agò pœnitentiam : apud Deum ago : novit Deus qui mihi ignoscit quid in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est :

(1) L. iii. de Sacerdotio. (2) Can. xvi. in Matth.
(3) L. i. de pœnit. c. vi. (4) Ibidem c. vii.
(5) Ibidem l. ii. c. ii.
(6) Ep. i. ad Sympronianum.
(7) Ep. i. ad Heliodorum.
(8) Ep. clxxx. ad Honoratum.

« quæ solveritis in terris, soluta erunt » et in cœlo ? » Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei ? Frustramus Evangelium : frustramus verba Christi. » [1]

17. S. Petrus Chrysologus, recitatis verbis Christi apud Joannem XX. ait : « Ubi sunt qui per homines hominibus remitti peccata non posse præscribunt ? Remittit Petrus peccata, et toto cum gaudio suscipit pœnitentes, atque omnibus sacerdotibus hanc a Deo concessam amplectitur potestatem. » [2]

18. S. Leo Magnus sic docet : « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent : cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest quæ ministris suis exequenda commisit. » [3]

19. S. Fulgentius ait : « Sed etiam pœnitentia peccatorum nunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat. Cui Deus in persona beati Petri ligandi solvendique tribuit potestatem. » [4]

20. Victor Vitensis persecutionem Vandalicam narrans, exhibet populos sic alloquentes sacerdotes in exilium abituros : « Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas ? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis ? Qui nobis munus pœnitentiæ collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi ? quia vobis dictum est : « Quæcumque solveritis » super terram, etc. » [5]

21. Innocentius I, ad Decentium Eugubinum Episcopum scribens, ait : « Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. » [6]

22. S. Gregorius Magnus : « Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam; ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis. » [7]

23. *Probatur 3. ex Græcorum consensu.* Veram remittendi peccata potestatem sacerdotibus a Christo datam agnoscunt Græci, uti liquet ex absolutionis forma : « Ipse humane et malorum tolerator, Domine, exorare nunc quoque super servum tuum, et modum pœnitentiæ, peccatorumque veniam illi concede; condonans illi per me indignum famulum tuum omne delictum spontaneum pariter ac involuntarium. Tu enim dixisti, Domine, divinis et sanctis discipulis tuis, et Apostolis : « Accipite Spiritum sanctum : quorum » remiseritis peccata, remittuntur eis : » quorum retinueritis, retenta sunt. » Et quæcumque ligaveritis et solve- » ritis super terram, erunt ligata et » soluta in cœlis. » [8]

24. *Probatur 4. præscriptionis argumento.* Ubique in Ecclesia potestatem remittendi peccata sacerdotes sibi vindicant, et exercent; quin ostendi possit quo auctore vel qua ætate fides tantæ potestatis primum obtinuerit : attamen et auctor et ætas novi dogmatis inducti

(1) Serm. cccxciii.
(2) Serm. lxxxiv. de quinta Christi manifestatione. (3) Ep. xci. ad Theodorum Forojul.
(4) L. de fide ad Petrum c. iii.
(5) L. ii. de Pers. Vand.
(6) Ep. ad Decentium c. vii.
(7) L. ii. Hom. xxvi. in Evang.
(8) Vide Euchologium.

debet innotescere, nam non facile potuit suaderi, præsertim quum onus gravissimum omnia sua delicta ad sacerdotes deferendi cuique imponat. Ergo dogmatis hujus origo ad rei christianæ initium referenda est.

Objectiones solvuntur.

23. *Obj.* 1. Constat solvere et ligare, « δέειν et λύειν quando de *clavibus* est sermo, idem esse ac *claudere*, et *aperire*. *Januæ* enim veterum claudebantur funibus, quibus ligandis vel solvendis claves adhibebantur : unde quod nobis est januas *claudere* et *aperire*, id iis fuit *ligare* et *solvere*. . . . . Δέειν igitur, quando de personis usurpatur, erit, *repellere* et *excludere*, λύειν *admittere*. De *personis* autem omnino h. l. est sermo; neutro enim sæpius utuntur Evangelistæ, ubi de hominibus utriusque sexus sermo est, e. c. Matt. xviii. 11. Joan. vi. Sic totius commatis sensus erit : Tibi, Petre, facultatem concedo, post meum in cœlos reditum, Judæis et gentibus aditum ad Ecclesiam meam reserandi. » [1]

26. *Resp.* Frustra conatur Rosenmüller verba Christi Petro dicta de sola facultate aditum Ecclesiæ patefaciendi, vel claudendi interpretari; sunt enim amplissimæ significationis, et omne auctoritatis ecclesiasticæ exercitium complectuntur. Equidem nulla est ratio cur claves regni cœlorum de Ecclesia in terris tantum intelligendæ sint, quum vi sua obvia cœleste regnum respiciant, et nonnisi ob similitudinem quamdam, Ecclesiam quæ in terris versatur. Data igitur est Petro facultas ipsum cœlorum aditum patefaciendi, cujus potestatis exercitium videre est in peccatis remittendis, quibus tamquam repagulis clauduntur januæ. De ligandi et solvendi metaphora, prout ad claves refertur, haud sumus solicitiores; quacumque enim ratione intelligatur, potestas affirmatur aperiend cœlos, qui peccatori nisi remissis peccatis nequeunt patere. Nec diffitetur ipse Rosenmüller δέειν et λύειν de personis usurpatum, interdum esse *reum declarare* et *absolvere*. Sic *Munthius* ex Diodoro Siculo attulit verba : ὅσα ἐγὼ δήσω ἑδεῖν δύναται λῦσαι, i. e. *quoscumque ego noxios pronunciavero, nemo absolvere, aut a noxa immunes judicare sustinebit.* » Absolutio autem quæ rata habenda est in cœlis, ipsam remissionem peccatorum præstat.

27 *Obj.* 2. « Multi verba δέειν et λύειν accipiunt de sola doctrina ab Apostolis determinanda, ve saltem de præceptis et interdictis. Nec potest negari voces hebræas אסר שרא, quibus respondent Græce δέειν et λύειν, ex usu scholæ Hillelianæ et Schammæanæ adhiberi in doctrinis et judiciis seu censuris, de rebus licitis et non licitis secundum legem, ut *ligare* idem sit quod prohibere seu prohibitum declarare, solvere vero idem ac permittere, aut declarare licitum. » Iterum Rosenmüller.

28. *Resp.* Illa vis vocum apud quasdam Hebræorum scholas [2] non obstat quin quæ Christus de solvendis dixit, obvio accipiantur sensu, de peccatorum ligaminibus relaxandis, præsertim ipso interprete, qui Apostolis retinendi et remittendi peccata, clarissimis verbis, fecit potestatem, promissionem dono illustrans. Profecto apud Rabbinos vocum significatio eorum usibus accommodata erat : sed Christo loquente verba totam suam vim habere intelligenda sunt, quum obvio et populari sensu locutus censendus sit, potius quam juxta scholarum quarumdam usum; et eo loci certe non agebat de doctrina determinanda, uti ex contextu liquet.

(1) Rosenmüller in Matt. xvi. 19.

(2) Consule Morinum in Comm. Hist de Pœnit. l. i. c. viii.

29. *Obj.* 3. Altero Matthæi loco Christus Apostolis ligandi et solvendi potestatem dans, jus dedisse intelligendus est pœnam in peccatorem pertinacem, de quo agebatur, decernendi : « *Quodcumque communi consensu decreveritis*, (de tali peccatore) *ratum erit apud Deum*. Sententia a vobis lata, (i. e. non decretis Judaicis, aut γράμματι, s. scripto legis Mosaicæ, sed doctrinæ meæ et præceptis virtutis consentanea) apud ipsum Deum rata erit. » Rosenmüller.

30. *Resp.* A singulari casu ad potestatem Apostolis et Præsulibus Ecclesiæ dandam transiit Christus, verbis amplissimis eam explicans. Jusserat peccatorem pertinacem, qui Ecclesiæ non obaudiret, tamquam ethnicum et publicanum habendum : et statim subjunxit illam potestatis Ecclesiæ declarationem, quæ ad omnia ligata vel soluta extenditur, promissione facta ea in cœlis pariter liganda et solvenda. Hæc quidem non respicit solam remittendi et retinendi peccata potestatem, sed eam complectitur, uti ex promissionis impletione liquet. Directe censuras ecclesiasticas sancit; de iis quippe agebat Christus, sed et omne potestatis ecclesiasticæ exercitium divina auctoritate firmandum esse testatur. Christi verbis limites humano arbitrio temere ponuntur, quum enuntient potestatis et auctoritatis amplissimam communicationem.

31. *Obj.* 4. Verborum apud Joannem sensus esse videtur : « Quicquid in rebus ad religionem meam pertinentibus, a Spiritu divino edocti, constitueritis, id ratum habebitur a Deo. Peccata remittere, peccata retinere, vel non remittere, Deo alias est proprium, nec sensu latissimo Apostolis tribui potest.» Rosenmüller. [1]

32. *Resp.* Vis manifesta illa explicandi ratione infertur Christi verbis : dixit enim se dare illis Spiritum sanctum, eos mittere eo pacto quo ipse a Patre missus fuerat, eosque fecit certiores peccata remittenda quibus ea ipsi remitterent. Hæc ad statuta de re Religionis referre, vel ad spirituum discretionem, vel ad aliam quamcumque auctoritatem, vel donum, exclusa remittendi peccata potestate, non est Scripturam interpretari, sed pro sectæ præjudiciis, vel odio veritatis Catholicæ, detorquere. Quam rationem adducit Rosenmüller ineptissima est; quamvis enim remittere peccata, suo jure, Deo sit proprium, illa tamen Dei nomine ac mandato remittere hominibus ab ipso in id muneris delegatis convenit, ideoque non sensu latissimo, sed vero et proprio tribui potest Apostolis, aliisve legatione Dei ad homines fungentibus.

33. *Obj.* 5. Ligabant peccatores Apostoli, pœnas delinquentibus ex divino instinctu irrogantes, sicut Petrus punivit Ananiam et Sapphiram; solvebant, morbos sanando ob peccatum immissos. « Pertinere huc videtur visibile signum remissionis peccatorum sanatio morborum, ob peccatum inflictorum, Jac. v. 14, et immissio morborum vel aliorum malorum, tamquam visibile signum retentionis peccatorum, Act. v. 5. xiii. i. I. Cor. v. 5. » [2] Ita Rosenmüller.

34. *Resp.* Hæc nonnisi per summam vim ex Christi verbis colliguntur. Quod Ananiæ et Sapphiræ contigit in deceptionis pœnam, Deo auctore factum est in aliorum terrorem, ut muneris Apostolici major foret reverentia. Morborum curatio Apostolorum opera sæpe contigit, Deo hac ratione eorum confirmante auctoritatem; sed Jacobi dictum ad Extremæ Unctionis ritum spectat, uti postea probabimus. Nihil est quod obviam verborum Christi vim de re-

(1) In Joan. xx.

(2) Ibidem.

mittendis et retinendis peccatis infirmet.

35. *Obj.* 6. « *Remittere peccata* potest esse : hominibus declarare, eos habere Deum propitium, si nempe resipiscant, et doctrinam ipsis traditam sequantur. » Rosenmüller. [1]

36. *Resp.* Frustra Christus adhibuit verba adeo ampla et clara, si de sola annuntiatione remissionis ageretur. Equidem voces illæ obvio sensu denotant veram peccatorum veniam, quo pacto alias passim in Scripturis usurpantur : « Remittuntur tibi peccata tua. » [2] Contra omnem Hermeneuticæ sanioris legem verba ab obvio sensu, et in Scripturis frequenti, detorquentur.

37. *Obj.* 7. Christus redivivus discipulos ex Scripturis veteribus edocuit, oportere « prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. » Ergo in eo exercenda erat remittendi peccata potestas, quod remissionem prædicarent pœnitentibus.

38. *Resp.* Optime cohæret prædicatio Apostolorum cum illius potestatis divinitus datæ exercitio; oportebat scilicet commendare pœnitentiam et veniam polliceri; quam Christi auctoritate reapse dabant agentibus pœnitentiam: quibus enim remittebant peccata, revera in cœlo remittebantur. Quando plura occurrunt testimonia quæ conciliari secum queunt, nulla alterutri vi illata, non est cur ab obvio utriusque sensu recedatur.

39. *Obj.* 8. Paulus testatus est prædicationem Apostolicam nihil scripturis veteribus adjicere : « Annuntiabam ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes . . . . nihil extra dicens, quam ea quæ prophetæ locuti sunt. » [3]

40. *Resp.* Id suadet Paulus Agrippæ, se nonnisi ea de Christo annuntiare quæ prædixerant Vates : « Nihil extra dicens quam ea quæ prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses : si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo et gentibus. » A novitatis crimine se hac ratione vindicat, et ostendit gentes ab eo ad Christum sectandum non alia lege invitari, quam derelictis vitiis et superstitionibus, adeo ut veri Dei gloriam quæreret. Non is erat locus ut potestatem a Christo acceptam peccata remittendi exponeret, vel explicaret : nam reus se contra accusatores defendebat.

41. *Obj.* 9. « Christus non ante Apostolis ligandi et solvendi potestatem fecit, quam eos Spiritu sancto donavit. Nego igitur ullis competere clavium potestatem, qui non prius acceperint Spiritum sanctum. Nego quemquam clavibus uti posse nisi præeunte docenteque Spiritu sancto, et dictante quid agendum sit. » [4] Ita Calvinus, inspirationem Spiritus sancti necessariam conditionem ad exercitium hujus potestatis statuens.

42. *Resp.* Christus Spiritum sanctum Apostolis dedit, ut auctoritate divina peccata remitterent, quæ nemo remittere valet, nisi divinitus accepta potestate. Manuum impositione tradi adhuc eumdem Spiritum sanctum novimus, docente Paulo; quapropter qui sacerdotes eo ritu constituuntur, merito sibi vindicant potestatem quam Christus Apostolico muneri et sacerdotali misericorditer adnexuit. Cæterum gratia Spiritus sancti, qua anima fit Deo accepta, non est necessaria ut quis potestatem sibi demandatam exercere valeat; quamvis peccet gravissime indignus minister sancto fungens munere, alienorum peccatorum remissione,

(1) In Joan. xx.
(2) Matt. ix. 2. xii. 31. Luc. v. 20. vii. 47. Act. viii. 22. Rom. iv. 7. Jac. v. 15. 1. Joan. i. 9.
(3) Act. xxvi. 22. (4) Inst. l. iii. c. iv. n. 20.

dum pse peccatis ligatus manet. Nec lumen Spiritus sancti, quo cordium arcana pateànt, ad muneris hujus exercitium requiritur: nec enim necesse est ut certum omnino sit judicium. Potestatis originem præcipue illis verbis: « Accipite Spiritum sanctum, » Christus declaravit; et proinde omnes qui ex eo fonte illam derivant potestatem, eam valent exercere; nec enim de inspiratione eo loci est quæstio, sicut alias quando agitur de munere docendi. Nihil est in verborum serie, nihil in cæteris Scripturis, nihil in tota œconomia christiana, quod suadeat remittendi peccata potestatem ex lumine illo superno pendere.

43. *Obj.* 10. Videntur Christi verba de Spiritus sancti lumine, quo in spiritibus dijudicandis dirigerentur Apostoli, intelligenda, qua ratione Petrus Ananiam, Sapphiram, et Simonem magum novit: nam « Apostoli in negotiis ad religionem constituendam pertinentibus acceperunt διακρίσεις πνευμάτων. I. Cor. xii. 7.—11. [1]

44. *Resp.* Quum potestas remittendi peccata verbis simplicibus et claris tradatur, non potest iis quæ præcedunt vocibus, de Spiritu sancto accipiendo, sensus dari, qui ei non congruat. Omnia cohærent, obvio accepta sensu, de Spiritus sancti auctoritate communicata Apostolis ad peccata remittenda. Quod hypocrisin Ananiæ et Sapphiræ, et pravam Simonis magi mentem noverit Petrus, Spiritu sancto illustranie contigit, sed non vi verborum Christi, quæ potestatem in peccatorum remissione exercendam ostendunt. Spirituum igitur discretio, qua pollebant Apostoli, erat quidem Spiritus sancti munus, sed ad potestatem ministerii non spectabat; erat enim cuilibet e cœtu fidelium, pro Spiritus sancti arbitrio summo, concessa, uti ex objecto Pauli loco colligitur.

45. *Obj.* 11. Absque illa cordis arcanorum notitia potestas remittendi peccata exerceri nequit.

46. *Resp.* Optime exercetur, adhibita omni diligentia ut sacerdos de pœnitentis animo certior fiat; æquum idcirco, quod Deus firmet, prolaturus judicium. Necesse non est ut absit omne errandi periculum: nam pœnitens fiduciam certam concipere valet veniæ, sacerdotis opera, consequendæ, dummodo animo rite parato ejus utatur opera: quod sane divinæ misericordiæ admirationem provocat. Quod autem non omnimoda sit certitudo, quum animus cujusque non sit penitus exploratus, humilitati favet.

47. *Obj.* 12. Nulla potestas æstimanda est, ubi ejus exercitium ex re prorsus ignota et incerta pendet, scilicet ex pœnitentium dispositionibus: « Quæ erit isthæc potestas, nescire quid ligandum sit, aut solvendum? ligare autem non posse, aut solvere, nisi scias? Cur ergo dicunt se absolvere auctoritate sibi data, quum incerta sit absolutio? » Ita Calvinus. [2]

48. *Resp.* Vera est potestas, quamvis ejus exercitium quasdam postulet conditiones. Quum hominibus sit commissa, judicium eorum de iis qui ejus beneficio frui velint, non omnimodam habet certitudinem; sed certe prodest iis qui animo rite parati sunt. Nulla est absolutionis incertitudo, quod pertinet ad auctoritatem; sed fieri potest ut prava mens eorum qui pœnitentiam profitentur obstet, ne veniam oblatam accipiant.

49. *Obj.* 13. Ea absolvendi potestas idem sonat, ac « si mereris, te absolvo. Ac tantumdem posset, non dico laicus (quando id æquis auribus non ferrent,)

(1) Rosenmüller in Joan. xx.

(2) Inst. l. iii. c. iv. n. 21.

sed Turca aut diabolus. » Calvinus iterum.[1]

50. *Resp.* Non meritis humanis nititur sacerdotis absolutio, sed Christi auctoritate; quamvis sanctissima ejus lege exigantur quædam animi dispositiones ut venia possit indulgeri. Nemo, præter Dei sacerdotem, potest pœnitentem certiorem facere, se, Dei ipsius auctoritate, solvere peccatorum, quibus obstrictus erat, ligamina.

51. *Obj.* 14. « Quicquid sit, non ad omnes doctores christianos pertinet hoc privilegium, sed ad solos Apostolos, quippe futuros *tales* Christi legatos ad homines, qualis fuerat Christus.» Rosenmüller.

52. *Resp.* Ad sacerdotes omnes novæ Legis id spectat, quum manuum impositione fiant eatenus Apostolici muneris participes. Equidem omnia quæ ad *missionem* referuntur, perpetua sint in Ecclesia oportet ; nam ex iis pendet animarum salus. Quo jure potestas remittendi peccata ad sacerdotes transiisse negatur, docendi et baptizandi etiam denegari poterit. Igitur ni velimus omnia sacra munia solis Apostolis concessa dicere, fateri oportet omnia quæ ministerii sunt, ad doctrinam et salutem spectantia, in Ecclesia esse perpetua : quod quidem ex constanti traditione et fide apertissime constat. Pulchre S. Pacianus Novatianorum errorem explodit : « An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet : et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare : quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco et resolutio vinculorum et Sacramenti potestas datur; aut totum ad nos ex Apostolorum forma et potestate deductum est; aut nec illud ex decretis retaxatum est. . . . . Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum longe charismatum, ad Episcopos inde descendit, et ligandi quoque jus adfluit, atque solvendi. »[2]

53. *Obj.* 15. Miracula patrandi potestas Apostolis data est, quæ tamen sacerdotibus non convenit : ergo nec peccata remittendi eis tribuenda est facultas.

54. *Resp.* Miracula patrare ad Apostolorum munus non spectabat; sed veluti argumentum veritatis et auctoritatis datum est : « Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. »[3] Docere autem, baptizare, peccata remittere, Eucharistiam conficere ad munus eorum plane pertinebat, ideoque perpetua sunt hæc sacra officia. Discrimen sumitur ex rerum natura, et patet ex constanti Ecclesiæ fide. Equidem miracula patrare non erat Apostolorum tantummodo, vel sacrorum ministrorum : frequentia enim erant mira opera apud fideles, quæ credentibus, absque ordinis seu conditionis discrimine, pollicitus est Christus : « Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. »[4]

55. *Obj.* 16. Impium est homini tribuere peccata remittendi potestatem.

56. *Resp.* Impium foret eam potestatem homini tribuere, nisi Deus eam concessisset; pium autem est grato animo agnoscere et prædicare divina dona. Ideo redarguit olim Ambrosius Novatianos, qui graviorum criminum reos pœnitentiæ severiori subjiciebant, veniam tamen nonnisi a Deo expectandam affirmabant, pœnitentes ad ejus judicium remittentes : « Sed aiunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus : « Accipite Spi-

(1) Inst. l. III. c. IV. n. 21. (2) Com. in Joan. XX. 23. (3) Marc. XVI. 20. (4) Ibidem 16.

» ritum sanctum : quorum remiseritis » peccata, remittuntur eis : et quorum » detinueritis, detenta sunt, » quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget, et relaxet : hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resolvat, non vult solvere quod ligavit; in quo se sua damnat sententia. Si quibusdam datum utrumque est licere, aut utrumque non licere, certum est Ecclesiæ utrumque licere, hæresi utrumque non licere. Jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros sacerdotes habet; hæresis vindicare non potest quæ veros sacerdotes non habet. Non vindicando autem ipsa de se pronuntiat, quod cum sacerdotes non habeat, jus sibi vindicare non debeat sacerdotale. Ita in impudenti contumacia pudentem cernimus confessionem. » [1]

57. *Obj.* 17. Potestas remittendi peccata ita Dei propria est, ut homini non possit communicari : ideo Christus Scribarum et Pharisæorum objectioni : « Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? » [2] satisfecit, se Deum probando, miraculo patrato.

58. *Resp.* Dei potestati detrahitur asserendo cum non posse hanc facultatem homini demandare. Equidem non constat eo usque processisse Scribarum et Pharisæorum temeritatem, quamvis, quia non credebant Deum revera potestatem remittendi peccata alicui concessisse, blasphemiæ reum habebant Jesum eam sibi vindicantem. Hæc eorum cogitatio orta est ex eo quod eum merum hominem æstimarent : ipse tamen non patravit miraculum ut divinitatem suam ostenderet, sed ut ipsam probaret potestatem quam tamquam homo exercebat : « Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata : (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. » [3] Patrato miraculo dicitur : « Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. » [4] Igitur ex ipsis Christi verbis, et ex turbarum sententia, quam Evangelista referendo videtur probare, colligitur potestatem remittendi peccata a Christo, tamquam homine, eo miraculo vindicatam esse. Quamvis autem ipsius ea potestas fuerit eminentissima quadam ratione, quæ hominibus ab eo delegatis non convenit, inde satis patet potestatem remittendi peccata non ita esse Dei propriam, ut non possit communicari hominibus. Optime S. Thomas animadvertit : « Solus Deus per auctoritatem et a peccato absolvit, et peccatum remittit : sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium. » [5]

59. *Obj.* 18. Dei est suscitare peccatorem, nec sacerdos quid valet præterquam declarare sibi persuasum esse eum esse a morte peccati resuscitatum: « Quis eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit, dicens : Lazare, prodi foras? » [6] Ita Augustinus.

60. *Resp.* Utique divinæ est potestatis peccatorem excitare ad pœnitentiam, et vita gratiæ donare, quamvis et hominis utatur opera; quod pulchre explicat ipse Augustinus : « Cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit : cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur? a quibus solvitur? « Quæ solveritis, » inquit, « in terra, erunt soluta et in cœlo. »

(1) L. iii. de Spiritu S. c. xviii.
(2) Luc. v 21. (3) Matth. ix. 6. (4) Ibidem, 8.
(5) iii. p. qu. lxxxiv. art. iii. ad 3.
(6) Serm. lxvii. alias viii. de verbis Domini.

Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest; suscitari autem ipse mortuus nonnisi intus clamante Domino potest: hæc enim Deus interius agit. »[1]

61. *Obj.* 19. Patres varias dant explicationes locorum quæ afferuntur ad potestatem remittendi peccata adstruendam: nec dubitant asserere Dei esse solius peccata remittere. Sic Cyprianus: « Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt solus potest ille largiri. »[2]

62. *Resp.* Id in more positum est Patribus, varias adhibere interpretationes moribus informandis accommodatas; quod a nonnullis factum de his testimoniis, quum alias de peccata remittendi potestate apud omnes constaret, ex obvia verborum acceptatione. Quandocumque affirmant Dei esse solius dare veniam, intelligendi sunt de summa qua pollet auctoritate; et ut nemo sibi putet licere aliquid contra divinam legem, qua congrua pœnitentia exigitur. Hac de causa Cyprianus arguit eos qui lapsos in persecutione temere donabant venia, pœnitentia tanto sceleri congrua non peracta: « Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita ac falsa pax periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, *ante purgatam conscientiam* sacrificio, et *manu sacerdotis*, ante offensam placatam indignantis Domini, et minantis, pacem putant esse quam quidam verbis fallacibus venditant. » De hac nimia facilitate dicit: « Nemo se fallat, nemo se decipiat: solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major: nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest quod in Dominum delicto graviore commissum est. » Cæterum agnoscit veram remissionis potestatem, uti patet, ex eo quod conscientiam manu sacerdotis purgari dicat; et lapsos ad pœnitentiam hortetur, ut remissionis fruantur beneficio . . . « Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et *remissio per sacerdotes apud Dominum grata est.* »[3]

63. *Obj.* 20. Deus hominum opera non indiget in peccatis remittendis.

64. *Resp.* Nulla re, nullius opera indiget Deus, sed pro summo arbitrio hominum utitur opera ut sua nobis impertiatur dona. Ejus voluntas exquirenda est, et adimplenda; illudit enim sibi quisquis veniam et salutem sibi pollicetur alia quam ea quam statuit Deus ratione.

65. *Obj.* 21. Saltem liberum est cuicumque ad divinam confugere misericordiam: nec enim Deus se sua potestate spoliasse censendus est.[4]

66. *Resp.* Non sua se spoliavit potestate Christus, sed Apostolos, judicum instar, auctoritate reos vel damnandi, vel absolvendi, induit, et ideo tribunal constituisse, ad quod peccatorum causæ necessario deferendæ sunt, dicendus est. Profecto si nullam imposuisset necessitatem ad sacerdotes pro venia recurrendi, frustra dedisset illam potestatem; uti supra Augustinus recte animadvertit.

Corollaria.

67. I. Ex probata potestate remittendi

(1) Enarr. II. in Ps. ci.
(2) L. de lapsis.
(3) Lib. de lapsis.
(4) White Dissertation iii. Forgiveness of Sins.

peccata, vel retinendi, liquet sacerdotes judicium exercere ex Christi auctoritate, quod sane eos qui Baptismo ingressi sunt Ecclesiam spectat ; « Quid enim mihi, » ait Apostolus, « de iis qui foris sunt judicare ? » [1] Ergo potestas illa circa peccata post Baptismum admissa versatur : Baptismo quippe priora omnia delicta abluuntur.

68. II. Sequitur absolutionem sacramentalem sacerdotis esse actum judicialem, quo, scilicet, judicio habito, sententiam Dei auctoritate profert, ideoque vere remittit peccata. Non igitur nudum est ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata.

69. III. Sequitur singulis Christifidelibus illa Christi verba de ligandis et solvendis, retinendis et remittendis peccatis non convenire, sed Apostolis imprimis, Episcopis et sacerdotibus : nec enim aliis datum est judicium in alios ferre in conscientiæ foro.

70. IV. Sequitur Sacramentum Pœnitentiæ esse a Christo Domino institutum : data enim potestate remittendi peccata vel retinendi, judicii quædam forma necessario habenda est ; ideoque ritus externus quo venia datur, signum idcirco visibile invisibilis gratiæ.

71. V. Sequitur Pœnitentiæ Sacramentum esse a Baptismo distinctum : hic enim ablutio est, illa est judicii instar : hoc fiunt homines Ecclesiæ membra, illa fideles pœnitentes veniam consequuntur. A quolibet datus Baptismus valet, ob ablutionis naturam, et Christi voluntatem : a nemine præter sacerdotem administrari potest Pœnitentia, quia ad judicium judicandi potestas omnino est necessaria.

CAPUT II.

DE HÆRESI NOVATIANA.

72. Potestatem remittendi graviora peccata, idololatriam præsertim, homicidium, et adulterium, Ecclesiæ denegabant Novatiani : reos horum criminum pœnitentiæ legibus adstrictos nulla venia donandos contendentes, sed Dei relinquendos judicio. Quum nullus appositus sit limes a Christo Domino, sed e contra verbis amplissimis potestas sit explicata — « quæcumque solveritis ; » « quorum remiseritis peccata ; » — liquet peccatores gravissimorum scelerum reos veniam consequi posse a ministris Ecclesiæ, quando eam pœnitenti animo petunt. Recte Ambrosius : « Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. » [2] Augustinus etiam : « Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. » [3] In refellenda illa hæresi non juvat immorari, præsertim quum sectarii hodierni non limites potestatis exercitio ponere quærant, sed ipsam radicitus evellere. Ne tamen aliquis hæreat in difficilibus quibusdam Scripturæ locis, in quibus Novatiani sui erroris præsidium quærebant, placet quæ veteres Patres iis reposuerunt referre.

73. Objiciebant Novatiani verba Heli sacerdotis, peccata filiorum suorum Ophni et Phineis arguentis : « Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo ? « [4] Difficultatem

(1) I. Cor. v. 12.
(2) L. i. de pœnit. c. iii. n. 10.
(3) L. de agone christiano c. xxxi.
(4) I. Reg. ii. 25.

veniæ ob sceleris gravitatem eo loci significari optime intellexit Ambrosius : « Non enim scriptum est : nullus orabit pro eo ; sed : quis orabit? hoc est, quis ille sit qui in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur. . . . . Singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum : quia quo major culpa, eo majora quærenda sunt suffragia. Non enim quicumque de vulgo pro Judæorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput, fidei immemores, adoraverunt. Numquid erravit Moyses? At certe quia non erravit, quod rogavit, et meruit, et impetravit. »[1]

74. Aliam difficultatem ex Joannis epistola a Novatianis objectam Ambrosius pariter diluit : « Nec illa quæstio vestra quicquam potest adferre ponderis, quam sumitis de epistola Joannis dicentis : « Qui scit fratrem suum pec- » care peccatum non ad mortem, petat, » et dabit illi vitam Deus, quia non pec- » cat ad mortem. Est peccatum ad mor- » tem, non de illo dico ut oret. » Non enim ad Moysen et Hieremiam loquebatur, sed ad populum, qui suorum peccatorum alium precatorem deberet exhibere, cui satis est si pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam justorum orationibus reservandam putet. Nam quomodo Joannes diceret non orandum pro delicto graviore, qui legisset Moysen rogasse, et impetrasse, ubi erat prævaricatio voluntaria : qui sciret etiam Hieremiam rogasse? »[2] Hieronymus simplicius dicit : « Cernis, quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam ; si pro majoribus, difficilis impetratio sit. »[3]

75. Illud Apostoli ad Hebræos testimonium sic explicat Ambrosius : « Authoritatem aiunt Apostolicæ sibi suffragari sententiæ, allegantes scriptum ad Hebræos : « Impossibile est » enim hos qui semel illuminati sunt, » et gustaverunt donum cœleste, et » participes facti sunt Spiritus sancti, » et bonum gustaverunt Dei verbum, » virtutesque futuri sæculi, lapsos ite- » rum renovari in pœnitentiam, rursus » crucifigentes Filium Dei, et osten- » tatione triumphantes. » Numquid Paulus adversus factum suum prædicare potuit? Donavit Corinthio peccatum per pœnitentiam : quomodo hic potuit sententiam suam ipse reprehendere? Ergo quia non potuit quod ædificaverat destruere, non contrarium dixisse eum sed diversum advertimus. Quod enim contrarium est, seipsum impugnat : quod diversum est, distinctam solet habere rationem. Ita autem contrarium non est ut alterum suffragetur alteri. Etenim quia de remittenda prædicavit pœnitentia, debuit et de iis qui iterandum putant Baptismum non silere : et prius solicitudinem nobis auferri oportuit, ut sciremus etiam post Baptismum si qui peccarent, donari eis posse peccatum, ne spe veniæ destitutos iterandi Baptismatis opinio vana perverteret. Deinde iterandum non esse Baptisma, rationabili disputatione suadendum fuit. De Baptismate autem dictum verba ipsa declarant, quibus significavit impossibile esse lapsos renovari in pœnitentiam. Per lavacrum enim renovamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit. . . . . Quid quod et supra doctrinam baptismorum præmisit? Et quia multa erant baptismata in lege, merito reprehendit illos, qui perfecta dimittant, et principia verbi requirant. Docet nos scire oportere destructa esse universa legis baptismata; unum Baptisma esse in Ecclesia. . . . . Possem quidem etiam illud dicere ei qui hoc de Pœnitentia dictum putat, quia quæ impossibilia sunt homini, possibilia sunt apud Deum. »[4]

(1) L. i. de pœnit. c. viii. (2) Ibidem c. ix. (3) L. ii. contra Jovinian. (4) L. ii. de pœnit. c. ii.

Quum Baptismus a Paulo dicatur lavacrum renovationis, prior illa explicatio, qua iteratio Baptismatis excluditur, satis verosimilis est : quod si de qualibet renovatione intelligere placeat testimonium, notum est impossibile aliquando dici quod summe est difficile; et apostatarum a fide, qui ad Judaismum relabuntur, de quibus Apostolus agit, conversionem esse difficilem.

76. Celebre est testimonium de peccato in Spiritum sanctum, quod nunquam remittatur. Illud objecerunt Novatiani, quibus respondit Ambrosius : « Perlatum est tamen ad nos etiam illud vos objicere solere, quod dicatis scriptum esse : « Omne peccatum et » blasphemia remittetur hominibus, » Spiritus autem blasphemia non re- » mittetur hominibus; et quicumque » dixerit verbum contra Filium homi- » nis, remittetur ei, qui autem dixerit » contra Spiritum Sanctum, non re- » mittetur ei neque in hoc sæculo, » neque in futuro. » Quo exemplo omnis assertio vestra destruitur, et absolvitur. Scriptum est enim : « Omne pec- » catum et blasphemia remittetur ho- » minibus. » Cur igitur non remittitis? Cur ligatis vincula quæ non solvitis? Cur nodos nectitis quos non relaxatis? Remittite cæteris, et agite de iis quos peccantes in Spiritum sanctum evangelica authoritate in perpetuum adstringi putatis. Et tamen quos adstringat consideremus, repetentes superiora lectionis ipsius, et evidentius comprehendamus. Dicebant Judæi : « Hic non » ejicit dæmonia nisi in Beelzebub prin- » cipe dæmoniorum. » Respondit Jesus: « Omne regnum divisum contra se » destruetur, et omnis civitas vel do- » mus divisa contra se, non stabit. Si » enim satanas satanam ejicit, ad- » versum se divisus est : quomodo ergo » stabit regnum ejus? Quod si ego in » Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? » De iis utique ex- » pressum videmus, qui Dominum Jesum in Beelzebub ejicere dæmonia loquebantur, quibus sic respondit Dominus, quod satanæ hæreditas in iis esset qui satanæ compararent Salvatorem omnium, et in regno diaboli constituebant gratiam Christi. Et ut cognosceremus quia de hac dixit blasphemia, adjunxit: « Progenies viperarum, quomodo po- » testis bona loqui, cum sitis mali? » Hos ergo qui hæc loquuntur negat ad veniam pertinere. Denique Petrus Simoni, qui magicæ artis consuetudine depravatus putasset quod gratiam Christi per impositionem manus, atque infusionem Spiritus sancti compararet pecunia, ait : « Non est tibi pars, neque » sors, in hac fide; quia cor tuum non » est rectum apud Deum. Pœnitentiam » itaque age ab hac nequitia tua, et » precare Dominum, si forte remittatur » tibi hæc cogitatio cordis tui In felle » enim amaritudinis et obligatione ini- » quitatis video te esse. » Vides quod hunc magica vanitate blasphemantem in Spiritum sanctum apostolica authoritate condemnet, et eo magis quia puram conscientiam fidei non habebat: et tamen non interclusit ei spem veniæ, quem invitavit ad pœnitentiam? Responsum est igitur a Domino blasphemiæ Pharisæorum, et ideo his potestatis suæ gratiam negat, quæ in remissionem peccatorum est, qui cœlestem ejus potestatem diabolico fultam suffragio vindicarent. Eos quoque asserit diabolico uti spiritu, qui separarent Ecclesiam Dei, ut omnium temporum hæreticos et schismaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat. . . . Et ideo revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie : omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est : « Omnis quicumque in- » vocaverit nomen Domini, salvus » erit. » Denique etiam Judæorum populus qui dicebat de Domino Jesu : « dæmonium habet : » qui dicebat : « in Beelzebub ejicit dæmonia : » qui

crucifixit Dominum Jesum, Petri prædicatione vocatur ad Baptismum, ut sceleris tanti merita deponat. »[1]

77. Ex Patrum quæ laudavimus testimoniis liquet controversiam cum Novatianis respexisse remissionem peccatorum, non tantum in foro externo Ecclesiæ, sed etiam vere, et coram Deo: de hac enim Ambrosius manifesto agit. Equidem severior illa pœnitentiæ disciplina, quæ per plura sæcula viguit, inducta videtur, ne faciliori veniæ consecutione pœnitentes ad peccandum fierent propensiores, et ut Montanistarum et Novatianorum obviam iretur accusationibus. Concilii Eliberitani Episcopi censuerunt ecclesiasticæ communionis jura, ne quidem in mortis discrimine esse quibusdam gravissime delinquentibus concedenda,[2] quibus tamen veniam in foro, uti aiunt, conscientiæ denegatam non possumus nobis persuadere. Meminit Cyprianus quorumdam Episcoporum, qui « dandam mœchis pacem non putaverunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt : »[3] quorum tamen decreta ei non fuerunt probata.[4] Ea fuit etiam vetus disciplina, ut nemo pœnitentiæ publicæ stadium iterato posset percurrere : quapropter qui in gravia facinora publica luenda pœnitentia relabebantur, Ecclesiæ communione nonnisi sub mortem iterato donari valuerunt. Eruditorum hominum de his rebus disceptationes nostrum non interest penitius expendere.

78. Generalis Ecclesiæ disciplina qualibet ætate omnibus pœnitentibus veniam et communionem ecclesiasticam post pœnitentiam indulsit. S. Cyprianus ait : « Neminem putamus a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum; cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. »[5] S. Gregorius Nyssenus statuit : « In hora sui excessus e vita apostata pœnitens Sacramenti communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is præter spem vivat, in eodem rursus vivet judicio mysticorum sacramentorum ad vitæ exitum usque pœnitens. »[6] Decrevit Concilium Nicænum : « De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur a corpore, ultimo et maxime necessario Viatico minime privetur. »[7]

CAPUT III.

DE CONTRITIONE.

79. Potestas remittendi peccata, quam sacerdotibus vindicavimus, in eos exercenda est qui animo pœnitenti sunt; non enim possunt homines eam exercere, nisi Dei vicibus fungentes, qui peccatoribus non alia lege veniam pollicitus est. « Contritio, » prout a Tridentinis Patribus definitur, « est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. »[8] Consona est hæc definitio iis quæ tradit Gregorius Magnus : « Pœnitentia est mala præterita plangere, et plangenda iterum non committere. »[9] Attritio dicitur illa peccati detestatio, quæ « vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur. »[10] Dolor quicumque seu imperfectus, qualis est *attritio*, seu perfectus, *contritio* stricte dictus, debet a Spiritus sancti inspiratione proficisci, et ejus niti ad-

(1) L. ii. de pœnit. c. iv. (2) Can. i.
(3) Ep. lii. ad Antonian.
(4) Ep. liv. ad Corn. (5) Ep. lii. ad Anton.
(6) Ep. ad Letojum Can. ii. (7) Can. xiii.
(8) Sess. xiv. cap. iv. (9) Hom. xxxiv. in Evang.
(10) Sess. xiv. cap. iv.

jutorio, ut ad justificationem hominem disponat, juxta Tridentinorum Patrum decretum : « Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. » [1] *Supernaturalis* igitur oportet ut sit, quoad principium : quamvis aliquando contingat *occasionem* oriri ex re naturali, morbo scilicet, infamia, mortis discrimine. Debet esse *summus*, quatenus peccatum quis super omnia detestetur, et Dei legem omnibus anteponat : quo pacto erit et *universalis*, omnia peccata gravia spectans : « Convertimini ad me in toto corde vestro; » inquit Deus per Joelem. [2] « Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. » [3]

80. Tridentina Synodus « docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » [4] Negarunt Bajus, Jansenius Iprensis, et etiam Estius hominem quantumvis contritum extra Sacramentum veniam consequi, nisi in necessitate, vel martyrii occasione. [5] Recentiores nonnulli charitati vehementi et contritioni intensæ veniam ante susceptum Sacramentum concedi assensi sunt : quam plerique æquius charitati veræ, licet haud vehementiori, semper tribui putant; quum scriptum sit : « Omnis qui diligit, ex Deo natus est. » [6] Pulchre Chrysostomus : « Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala. » [7]

81. « Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ : declarat *(Synodus Tridentina)* non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. » [8] Plures ea de re lati sunt canones : « Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit. » [9] « Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac volunta-

(1) Sess. vi. can. iii. (2) Joel ii. 12.
(3) Ezech. xviii. 21.
(4) Sess. xiv. cap. iv.
(5) Vide prop. Baji lxxi.
(6) I. Joan. iv. 7.
(7) Hom. vii. in II. ad Tim.
(8) Sess. xiv. cap. iv. de Pœnitentia.
(9) Sess. vi. can. viii. de Justificatione.

rium ; anathema sit » [1] Hi canones Lutheri et aliorum illius sæculi novatorum errores feriunt, qui sectariis plerisque hodiernis adhuc arrident, sed præ cæteris Jansenianis. [2]

Propositio.

Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, ponderando eorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, est verus et utilis dolor, et præparat ad gratiam.

82. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Verus est et utilis dolor, qui in sacris Scripturis nobis exemplis et præceptis commendatur. Ezechias ait : « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. » [3] David passim plorat peccatorum suorum multitudinem et gravitatem : « Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum : et sicut onus grave gravatæ sunt super me. » [4] Jeremias populum ad considerandum mala quæ ei evenerunt ob Deum derelictum hortatur : « Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito, et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. » [5]

83. Timor divinorum judiciorum passim in Scripturis inculcatur. David orat : « Confige timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui. » [6] Christus nos monet : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » [7] Joannes metu pœnarum peccatores ad pœnitentiam movit : « Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ . . . jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. » [8] Paulus ait : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » [9] Quum igitur sacri scriptores et ipse Christus Dominus timorem divinorum judiciorum tam sæpe incutere quærant, ut peccatores a peccato avertant, liquet verum et utilem esse dolorem de peccatis sic excitatum.

84. *Probatur* 2. *Patrum auctoritate.* Tertullianus : « Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit : et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adoptione non dubites. » [10] S. Chrysostomus ait : « Quid gehenna gravius ? Sed hujus metu nihil utilius; gehennæ namque timor regni nobis adfert coronam. . . . Nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem vero crescere facit et germinare, quantum continui timoris natura. . . . Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus sermones et longos, de illa pœna et supplicio loquens. » [11] S. Augustinus : « Ille timor nondum castus præsentiam Domini et pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit : non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor : utilis est. » [12]

85. *Probatur* 3. *ratione theologica.* Verus et utilis dolor ille habendus est qui concipitur ob rationes fide propositas, et qui voluntatem a peccato avertit. Hujusmodi autem est dolor quem vindicamus.

(1) Sess. xiv. can. v.
(2) Vide Prop. lx. lxi. lxvii. lxvii. Quesnelli, et Prop. xv. et xvi. ab Alexandro VIII. damnatas.
(3) Isaiæ xxxviii. 15. (4) Ps. xxxvii. 5
(5) Jer. ii. 19. (6) Ps. cxviii. n. 120. (7) Matth. x. 28.
(8) Luc. iii. 9. (9) Heb. x. 31. (10) L. de pœnit. c ix.
(11) Hom. xv. ad pop. Antioch.
(12) In Ps. cxxvii. n. 8.

Objectiones solvuntur.

86. *Obj.* 1. Timor ex quo nascitur attritio, est charitati adversus, juxta illud Joannis : « Timor non est in charitate : sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. » [1]

87. *Resp.* Timor quo pœna tantummodo metuitur, voluntate peccandi manente, est charitati adversus; quem idcirco vocant Theologi *serviliter servilem*. Timor autem *servilis*, quo voluntas peccandi deponitur, nihil habet charitati contrarium, quum potius conveniat in eo quod peccato adversetur : quamvis non nitatur ratione adeo perfecta. Cæterum perfecta charitas abhorret a peccato, absque respectu ad pœnam, quin hunc prorsus excludat, quamvis ita Deum diligens, *filialem* potius metum habeat, filii instar, verens ne Deo, amantissimo Patri, displiceat. Id tradit Joannes loco objecto hominem charitate perfecta donatum Deo inservire amore magis quam metu: ille enim huic prævalet, adeo ut solus cor videatur occupare.

88. *Obj.* 2. Timor servilis non est Christi discipulorum : « Non enim, » inquit Apostolus, « accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. » [2]

89. *Resp.* Conditionem fidelium extollit Apostolus, quod Deus nos habeat veluti filios, quum Judæi instar mancipiorum haberentur. Vult igitur ut Spiritu Dei acti tamquam filios Dei nos geramus, quum gratiam acceperimus adoptionis; sed non ideo omnem metum divinorum judiciorum damnat. Profecto ipse sæpius monet peccatores eos a regno cœlorum procul futuros, nisi pœnitendo sua luant delicta. « Terra . . . proferens spinas ac tribulos reproba est, et maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem. » [3]

90. *Obj.* 3. Apostolus aperte profitetur nihil prodesse sine charitate. [4]

91. *Resp.* Loquitur Apostolus de merito apud Deum consequendo; et docet nec sacrarum rerum notitiam, nec eleemosynas, nec martyrium ipsum prodesse sine charitate : nemo enim beatitudinem æternam assequi, vel aliquid apud Deum promereri potest, quin ipsum diligat. Non inde sequitur dolorem ex pœnarum metu conceptum malum esse; nam et ille qui ex Apostolici judicii severitate ortus est, quum ad pœnitentiam duxerit Corinthium, probatus est : « Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. » [5]

92. *Obj.* 4. Augustinus ait : « Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. [6]

93. *Resp.* Loquitur Augustinus de eo qui affectum peccandi retinet. Equidem quamdiu quis hunc non deponit, sibi frustra blanditur de peccati victoria.

94. *Obj.* 5. Attritio necessario includit affectum peccandi : quum enim ideo detestetur peccator quæ admiserit, quia pœnas metuit, pœnas, non autem peccata, detestatur.

95. *Resp.* Pœnarum intuitu movetur peccator ad peccatum detestandum; novit enim illud gravissimum esse malum, quum a Deo optimo adeo puniatur. Pœnas igitur metuit; peccatum vero utpote in se malum et justissime puniendum detestatur.

96. *Obj.* 6. Illa de attritione doctrina totam evertit fidei œconomiam et morum principia.

97. *Resp.* Sane intellecta nihil habe

(1) I Joan. iv. 18. (2) Rom. viii. 15.
(3) Heb. vi. 8. (4) I. Cor. xiii. 3.
(5) II. Cor. vii. 10.
(6) Ep. cxlv.

hæc doctrina quæ non sit maxime moribus et fidei consona : peccator scilicet quem Dei dilectio non tangit, metu judiciorum divinorum a peccato retrahitur, ut postea ad altiora assurgat, et toto animi affectu Deum amplectatur.

98. *Obj.* 7. Peccator attritione motus seipsum magis quam Deum diligit, imo manifesto se Deo anteponit : abhorret enim a peccato, quia sibi æternorum suppliciorum causa foret, non quia Deo irrogat injuriam. Igitur peccat ipso actu quo peccatum detestari dicitur.

99. *Resp.* Attritione tactus peccator abhorret a peccato, utpote contra Dei legem, et ideo æternis suppliciis luendo. Non se, nec creatam ullam rem Deo anteponit, sed legem Dei tamquam regulam agendi et sentiendi amplectitur, et omnia spectat prout ad Deum referuntur. Ipsa supplicia non tantum in se considerantur, sed quatenus a Deo justissime infliguntur. Nihil autem est vitii in eo quod quis a suppliciis abhorreat : est enim a Deo animæ nostræ insitus amor ille felicitatis, cui obsequi voluntatem necesse est.

Animadversiones.

100. Attritionem disponere ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam docuerunt Patres Tridentini, quin eam sufficere declararint. Fuerunt quidem e scholæ doctoribus qui perfectam contritionem requiri contenderent, ut quis absolutioni sacerdotis recipiendæ foret idoneus ; quorum sententia, licet haud damnata, post Concilium Tridentinum obsolevit, Jansenianis tamen plerisque acceptissima. Orta est inter Theologos aeris satis disceptatio, utrum aliquam Dei dilectionem attritio includere debeat, ut sufficiat justitiæ in Sacramento consequendæ. Plurimi affirmarunt, Scripturæ afferentes testimonia : « Qui non diligit, manet in morte ; » et alia hujusmodi : Concilii etiam Tridentini allegantes authoritatem ; nam modum quo præparantur peccatores ad justitiam in Baptismo assequendam describens, dicit : « Illum (*Deum*) tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. » Plerique attritionem *formidolosam*, omnis charitatis expertem, sufficere censebant, accedente sacerdotis absolutione ; nam deposita voluntate peccandi, et converso animo ad Deum, licet gehennæ metu, obex omnis potestatis remittendi peccata exercitio sublatus illis videbatur. Ne cum charitatis dispendio lis ageretur, vetuit Alexander VII. anno 1667, utriusque sententiæ patronis adversariorum placitis aliquam inurere notam. De hac sententiarum varietate nulla nos tenet sollicitudo, quum apud omnes in confesso sit, neminem posse absolutionis frui beneficio, qui affectum peccandi non deposuerit ; et a confessario omnem adhibendam diligentiam ut pœnitens ad contritionem excitetur, prout monet Benedictus XIV.[1] post Rituale Romanum. Hoc animadvertendum duximus ut obstruatur os calumniantibus Theologos catholicos et Ecclesiam ipsam ; sunt enim inter novissimos scriptores Anglicanos qui doctrinam de attritione veluti portentum quoddam et monstrum notant, contra aliorum concessionem.

101. Apud Baptistas, aliosque sectarios, qui, in occidentalibus præsertim provinciis, omni arte student sectatores augere, hominum mulierumque imprimis excitatis phantasiis, præsertim in illis conventibus per plures dies continuatis, in sylvis, (*Camp-meetings* vulgo dictis) totum reconciliationis negotium peragi censetur, terrore prius ineusso, et peccatore ad desperationem fere redacto, qui quum

(1) De Synodo, diœces. l. vii. c. xiii. n. 10.

statim conceperit certam fiduciam peccata sua sibi remissa esse, hac sibi blanditur. Hanc persuasionem Lutheri principiis admodum congruam fanatismi fœcundam parentem novit quicumque eos inviserit conventus. Quanto melius Tridentini Patres dolorem animi de peccato admisso cum proposito non peccandi de cætero, ad peccatorum remissionem exigi docuerunt, anathemate dicto ei qui « duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata! »[1]

CAPUT IV.

DE CONFESSIONE.

102. Judiciariæ quam sacerdotibus vindicavimus potestatis exercitium causæ postulat cognitionem, quæ haberi nequit nisi reo confitente; pleraque enim delicta latent. *Confessio* idcirco est sui accusatio sacerdoti facta, tamquam Dei ministro, a peccatore, veniam quærente. Ἐξομολογήσις a Græcis dicta est, qua tamen voce totam pœnitentiæ disciplinam, cujus pars est præcipua, nonnunquam veteres scriptores complectebantur. *Publica confessio* aliquando fiebat coram fidelium cœtu, ut sui coram omnibus humiliatione peccator tolleret quod delinquendo pravum præbuerat exemplum, et Dei iram averteret. *Secreta* autem confessio *auricularis* dicitur, quia auribus insusurratur sacerdotis.

103. Confessionis necessitatem primus impugnavit Wickleff, cujus error a Concilio Constantiensi damnatus est.[2] Petrus de Osma, sæculo decimo quinto, confessionem peccatorum specialem ad Ecclesiæ legem, potius quam ad jus divinum referens, ab Archiepiscopo Toletano, et deinde a Sixto IV. damnatus est. Lutherus aliquando confessionis prædicavit utilitates: « Occulta confessio, quo modo celebratur, miro modo mihi placet, et utilis, imo necessaria est, nec vellem eam non esse, cum sit afflictis conscientiæ remedium: »[3] sed pro more mutavit sententiam, et confessionem deinceps designavit cruentissimam carnificinam.[4] Ejus sectatores in Confessione Augustana privatæ confessionis utilitatem agnoverunt,[5] et eam retinendam optarunt, quam Walchius suo tempore adhuc apud suos vigere testatus est.

104. Calvinus negavit juris esse divini confessionem, eam vero antiquissimam esse agnovit: « cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur. »[6] Consuluit quidem afflicto « non negligere quod illi a Domino offertur remedium: nempe ut ad se sublevandum privata confessione apud suum pastorem utatur. »[7] Carnificinam tamen appellavit, quæ apud Catholicos fit, specialem omnium peccatorum confessionem.[8]

105. Convocatio cleri Anglicani anno 1536 docuit pœnitentiam perfectam constare contritione, confessione, et vitæ emendatione, cum legum et voluntatis Dei acceptatione.[9] Anglicanum Rituale injungit presbyteris, ut periclitantem vita ad specialem peccatorum confessionem, si qua forte tenea-

(1) Sess. xiv. can. iv. de Pœnit.
(2) Sess. vii. prop. vii.
(3) L. de captiv. Babyl. cap. de Pœnit.
(4) Serm. de Pœnit.
(5) Art. xi. apud Walchium introd. l. i. c. iii. §. xxxiv. p. 295.
(6) Inst. l. iii. c. iv. n. 7. (7) Ibidem n. 12.
(8) Ibidem n. 47.
(9) « Convocation 1536. — « That perfect penance » which Christ requireth, consists of contrition » confession, and amendment of former life, and » an obedient reconciliation to the laws and will of » God. » See also the Homilies. » Apud Oxonienses tract No. 62.

tur culpa graviori, hortentur;[1] quod tamen omittit Rituale Americanum, uti pluries monuimus. Hortatur etiam presbyter ante communionem, ut si quis conscientiam suis conatibus pacare nequeat, ad ministrum accedat, et quo angitur dolorem ei pandat ministerio verbi divini absolutionis beneficium una cum consiliis salutaribus acceptur us.[2] Id etiam in Rituali Americano reperitur, omissa absolutionis mentione.

106. Methodistæ, in regulis quas præscripserunt societatibus quas vocant *Band-Societies*, quæ duobus, tribus, aut quatuor vere fidelibus constant, seu viris, seu mulieribus, nuptis vel innuptis, dummodo quælibet ejusdem generis personis constet, quamdam commendant confessionem, ut Dei mandato, quod scilicet a Jacobo promulgatum intelligunt, obtemperent: « Confitemini ergo alterutrum peccata vestra. » Ex illis quilibet conscientiæ suæ statum exponit, et cæteros deinceps interrogat, qua majori possit diligentia, de suo statu, de peccatis etiam et tentationibus; præsertim quænam patrarint peccata ex quo tempore ultima vice convenerint, vel quid cogitatione, verbo, vel opere admiserint de quo dubitant utrum peccatum sit.[3]

107. *Shakers* peccatorum omnium confessionem sanctis faciendam esse contendunt ad veniam consequendam, sacerdotum autem ministerium nihili faciunt.[4]

108. Concilium Tridentinum hos edidit canones: « Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit. » — « Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum

(1) « Here shall the sick person be moved to make a special confession of his sins (if he feel his conscience troubled with any weighty matter). » *The visitation of the Sick.* Episcopus Anglicanus nomine Patrick hac de re monet: « The penitent therefore should be reminded that his confession be as minute and particular as it can; since the more particular the confession is, to be sure, the more sincere and safe the repentance. » In Paley's works: The Clergyman's Companion, § iii. Jeremias Taylor examen prolixum conscientiæ suis scriptis inseruit.

(2) « Let him come to me, or to some other discreet and learned minister of God's holy Word, and open his grief. » *The Communion.*

(3) « Rules of the Band Societies, drawn up Dec. 25, 1738. The design of our meeting is to obey that command of God, « Confess your faults, one » to another, and pray one for another, that ye may « be healed. » James v. 16. To this end we agree. . . . . To desire some person among us to speak his own state first, and then to ask the rest in order, as many and as searching questions as may be, concerning their state, sins, and temptations. . . . . What known sins have you committed since our last meeting? . . . . What particular temptations have you met with? What have you thought, said or done, of which you doubt whether it be a sin or not? » The doctrines and discipline of the Methodist Episcopal Church, published for the Methodist Episcopal Church at the Conference office, New York, 1856. Ch. ii. section iii. p. 82.

(4) « In order to obtain a final forgiveness, an honest and full confession of every sin, in the order of God, will for ever be indispensably necessary, while one sin remains concealed in the earth. » The testimony of Christ's second appearing, p. viii. ch. iv.

non licere confiteri peccata venialia; anathema sit. » « Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christifideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit. »[1]

Propositio.

Confessio omnium peccatorum mortalium quæ quis post Baptismum se patrasse recordatur, jure divino est necessaria.

109. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christus potestatem remittendi peccata Apostolis communicans dixit : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. »[2] Judices ergo constituti sunt, ut dijudicarent quinam venia forent digni, quibusnam ea deneganda esset. Causæ autem cognitio ad judicium hujusmodi maxime est necessaria : nam quanta fuerit peccatoris pravitas; quænam ex admissis delictis sequantur onera, quibus debet satisfacere; et quæ sit præsens animi voluntas, innotescant oportet, ut æquum proferatur judicium, divina sanctione roborandum. Hæc autem omnia ex pœnitentis confessione discenda sunt : pleraque enim delicta patrantur remotis arbritis, et etiam intra animum plurima continentur, solo desiderio concepta. Pœnitentis animus ad reparandum damnum, et ad occasiones peccandi in posterum declinandas pariter explorandus est. Ergo vi illius potestatis Apostoli, et qui hac in re eorum ministerio funguntur, eorum scrutari debent conscientias qui veniam peccatorum petunt; omnes autem petere tenentur : statuto enim divinitus tribunali, ad eas causæ deferantur necesse est, ne frustra potestas data habeatur.

Idem argumentum ex promissione de ligandi solvendique potestate efflorescit. Theologus antiquus animadvertit : « In hoc enim quod ministris sacrorum Christus dedit potestatem ligandi atque solvendi, insinuavit confessionem eis tamquam judicibus fieri debere : sic ergo Christus instituit confessionem tacite : sed Apostoli promulgaverunt eam expresse. »[5] Hæc sane intelligenda sunt : Christus quippe mentem suam et voluntatem Apostolis notam fecit, quamvis ex verbis evangelicis ratiocinando colligenda sit.

110. *Probatur* 2. *ex Patribus.* S. Clemens Romanus, in secunda ad Corinthios epistola, quæ quidem non ea qua prima gaudet auctoritate, sed haud omni caret, dicit : « Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum habemus tempus pœnitentiæ. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere. » — μετὰ γὰρ τὸ ἐξελθεῖν ἡμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου, οὐκ ἔτι δυνάμεθα ἐκεῖ ἐξομολογήσασθαι, οὐ μετανοεῖν ἔτι[6]

111. S. Irenæus de Marco quodam refert : « Adhuc etiam et amatoria et adlectantia efficit, ut et corporibus ipsarum contumeliam irroget, hic idem Marcus quibusdam mulieribus, licet non universis. Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei *confessæ sunt*, et secundum corpus exterminatas se ab eo, et velut cupidine inflammatas valde

(1) Sess. xiv. can. vi. et vii. de pœnit.
(2) Joann. xx. 23.
(3) Theol. Venetiis an. 1492. l. vi. c. 23.
(4) Edita est hæc epistola cum altera an. 1677 Oxoniæ in Theatro Sheldoniano. Eam commemoravit in hist. Eccl. l. iii. c. 38. Eusebius, quamvis paris auctoritatis, ac prima, eam non esse dixerit.

illum dilexisse. »[1] S. Epiphanius idem referens utitur voce ἐξωμολογήσαντο.[2] Ergo viguit tunc confessio peccatorum etiam occultorum : nam nonnisi ex mulierum confessione flagitia illa innotuerunt. Verosimile autem est eas ad majorem sui humiliationem et ad hæretici hominis progressus impediendos privatæ delictorum confessioni publicam adjecisse.

112. Tertullianus confessionem veluti pœnitentiæ partem et veniæ conditionem commendat : « Tantum revelat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat : confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. . . . Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur et frequentatur, *exomologesis* est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare : cæterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa ; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, *Presbyteris advolvi*, et aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictatione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit : cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, credo, parcet. Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores quam salutis : velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti proditæ reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens. . . . Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur : videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus ? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur ? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi ? . . . Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit : et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adoptione non dubites.... Igitur cum scias adversus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris ? cur cessas aggredi quod scias mederi tibi ? . . . . Peccator restituendo sibi institutam a Domino exomologesim sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit ? »[3]

113. Tertullianum exomologesis nomine totam pœnitentiæ disciplinam complecti liquet, a præcipua parte tota appellata. Confessio, et quidem homini facta, clarissimis verbis statuitur : « revelat confessio delictum, » « con-

(1) L. i. adv. hær. c. ix.

(2) Hær. xxxiv. (3) L. de pœnit. c. ix.

fessione pœnitentia nascitur; » inde fit peccatorem « presbyteris Dei advolvi : » « cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit. » Occulta delicta respicit, ideoque malus pudor reprobatur. Quod autem publicationem sui refugere dicantur, qui confiteri differunt, de revelatione soli sacerdoti facta recte intelligitur. Equidem Tertulliani verba de quadam confessione, seu publica, seu privata, necessario explicanda sunt; at publicæ confessioni non conveniunt quæ dicit, nempe eam esse a Domino institutam, et tantæ necessitatis, ut non alia ratione gehenna extinguatur.

114. Origenes, respondens objectioni unam esse apud Christianos peccatorum veniam, quia Baptismum iterato suscipere non licet, dicit martyrio, eleemosyna, injuriarum condonatione, peccatorum conversione, et charitatis abundantia veniam impetrari; deinceps pergit : « Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum *non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum*, et quærere medicinam, secundum eum qui ait : « Dixi, pronuntiabo adversum me in» justitiam meam Domino, et tu remi» sisti impietatem cordis mei. » In quo impletur et illud quod Jacobus Apostolus dicit : « Si quis autem infirmatur, » vocet presbyteros Ecclesiæ, et im» ponant ei manus, ungentes eum oleo » in nomine Domini; et oratio fidei » salvabit infirmum, et si in peccatis » fuerit, remittentur ei. »[1] Confessio igitur qua quis sacerdoti Domini indicat peccatum suum, quærens animæ medicinam, est ratio veniam consequendi. Quod Origenes eam cum unctione infirmorum conjunxerit, contigit quia Apostolus ea occasione dixit : « Confitemini ergo alterutrum peccata vestra. »[2]

115. Omnia publicanda, etiam quæ cogitatione sola deliquimus, dicit, ut accusatorem diabolum præveniamus : « Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationem secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. . . . Tu ergo, inquit, dic prior, ne te ille præveniat : quia si prior dixeris, et sacrificium pœnitentiæ obtuleris . . . et tradideris carnem tuam in interitum, ut spiritus salvus fiat in die Domini, dicetur et tibi : quia percepisti et tu in vita tua mala, nunc vero hic requiesce. Sed et David eodem spiritu loquitur in Psalmis, et dicit : « Iniquitatem meam » notam feci, et peccatum meum non » cooperui. Dixi pronuntiabo adversum » me injustitiam meam Domino, et tu » remisisti impietatem cordis mei. » Vide ergo quia pronuntiare peccatum, remissionem peccati meretur. »[3] Hæc adstruunt necessitatem confitendi; quæ quum de publica coram omnibus confessione non potest affirmari, ad confessionem qua peccator *non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum* referenda plane est.

116. Peccatorem comparat homini male se habenti, qui stomacho gravatur : « Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. . . . . Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum : proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam; ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit et præviderit talem esse

(1) Hom. II. in Levit. n. 4. (2) Jac. v. 16. (3) Hom. III. in Levit. n. 4.

languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est. »[1] Confessionem publicam a privata clare distinguit, hancque adstruit necessariam; illam e confessarii judicio prudenti pendere docet.

117. S. Cyprianus de lapsis agens dicit: « Videt ille (*Deus*) corda et pectora singulorum, et judicaturus est non tantum de factis, sed et de verbis, et de cogitationibus nostris; omnium mentes voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Denique quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli[2] facinore constricti, *quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt*, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt; scientes scriptum esse : « Deus » non deridetur. » . . . . . Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. »[3] Patet confessionem apud sacerdotes peccatorum etiam cogitatione admissorum a Cypriano commendari et inculcari ad remissionem peccatorum assequendam. Quod autem de cogitatione idololatrici cultus loquatur, contigit quia de lapsis in persecutione scribebat; sed de aliis omnibus peccatis gravibus valet quam adducit ratio, quod scilicet Deus omnium mentes intueatur, judicaturus ipsas cogitationes. Privata igitur apud sacerdotes fiebat tunc confessio, et remissio per hos facta apud Dominum grata credebatur.

118. Lactantius circumcisionem symbolum quoddam et typum pœnitentiæ esse docet. « Volens enim (*Deus*) vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit : ut si cor nudaverimus, id est, si *peccata nostra confessi* satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo qui non faciem, sicut homo, sed intima et arcana pectoris intuetur. »[4] Hanc peccatorum confessionem fieri homini liquet : neque enim de privata sui coram Deo humiliatione verbis tam amplis dicendum foret. Eam autem respicere omnia peccata, etiam occulta, pariter manifestum est, quum nullum fiat discrimen, et cor nudandum dicatur. Ejus necessitas tanta est, ut venia admissa sua celantibus denegetur. Nihil est quod suadeat de confessione coram cœtu fidelium agi : quam sane nemo dixerit tantæ necessitatis. Hanc veræ Ecclesiæ notam adsignat, qua scilicet a Novatianis, eo tempore grassantibus, discernebatur, quod omnium peccatorum vulneribus pœnitentiæ et confessionis remedia suppeditaret : « Sed quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos esse, et suam Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram in qua est *confessio* et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. »[5] Viderint sectæ quo discrimine a vera Christi Ecclesia distinguantur.

119. S. Ephrem Syrus, post peccata enumerata, ait : « Si te devictum in hoc

(1) Hom. II. in Ps. xxxvii.

(2) « Facinus libelli » dicebatur eorum crimen qui testimonium cultus idololatrici præstiti a magistratibus mercabantur, quin idola ipsi colerent.

(3) L. de lapsis. (4) Inst. l. iv., c. xvii.

(5) Ibidem cxxx.

senseris, festina sanitatem recipere, et statue custodiam in corde tuo, et per confessionem a spiritali patre et a medico quære medelam, ne rursum eadem patiaris. » [1]

120. S. Basilius ait : « Omnino in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis homines temere aperiunt, sed iis tantummodo qui rationem qua ea curanda sint teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet apud eos videlicet, qui ea possunt curare. » — οὕτω καὶ ἡ ἐξαγόρευσις τῶν ἁμαρτημάτων γίνεσθαι ὀφείλει ἐπὶ τῶν δυναμένων θεραπεύειν. [2] Alias dicit : « Necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. » ἀναγκαῖον τοῖς πεπιστευμένοις τὴν οἰκονομίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Θεοῦ ἐξομολογεῖσθαι τὰ ἁμάρτηματα. [3] Unicuique e populo peccati reo confessionem necessariam esse tradit, præsertim gravius peccantibus : « Magnum est et grave peccatum ? Multa opus habes *confessione*, lacrymis amarulentis — πολλῆς σοι χρεία τῆς ἐξομολογήσεως. [4]

121. S. Gregorius Nyssenus hortatur peccatorem ad fiduciam in sacerdote, ut ei detegat peccata : « Quam ob rem major tibi in eum fiducia sit, qui te in Deo genuit, quam in illis a quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tamquam occulta vulnera medico detege. Ipse et honoris et valetudinis tuæ rationem habebit. » [5] Et alias : « Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per declarationem peccatum suum sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, ægritudinem curabit. » [6]

122. S. Ambrosius ait : « Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt; sacerdotis induunt. Præceptum est : « Nolite sanctum dare ca- » nibus. » [7] Arguit eos qui post confessionem negligunt obire pœnitentiæ publica munia, quibus Deo satisfaciant: « An quisquam ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? Et pudeat te Deo supplicare, quem non lates, *cum te non pudeat peccata tua homini, quem lates, confiteri ?* » [8] Dicit etiam : « Si vis justificari, fatere delictum tuum : solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. . . . . Vides qua remissionis pollicitatione te provocet ad confitendum. » [9] Confessionis homini, scilicet sacerdoti, faciendæ vim et necessitatem hæc plane ostendunt.

123. S. Pacianus : « Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis : vos, inquam, post impudentiam tumidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri : qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis, et altare Domini non timetis. . . . . Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem : « Manus cito » nulli imponas, nec communicaveris » peccatis alienis. » Quid facies tu qui decipis sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem, probandi difficultate confundis? . . . . Rogo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. » [10] De confessione occultorum delictorum sacerdotibus facienda.

(1) L. i. Admonit. de compunctione cordis.
(2) In Reg. brev. resp. ad qu. 229.
(3) Ibidem resp. ad qu. 288.
(4) Hom. in hæc verba : *Attende tibi ipsi.*
(5) Orat. in eos qui alios acerbe judicant.
(6) Ep. ad Letojum. (7) L. ii. de Pœnit., c. ix.
(8) Ibidem, c. x. (9) Ibidem, c. vi.
(10) Parænesi ad pœnit.

agit: nam Deus per sacerdotes pœnitentibus ignoscere dicit.

124. S. Joannes Chrysostomus, sub finem Quadragesimalis jejunii populum Antiochenum sic allocutus est: « Quemadmodum naucleri, et cursores, et athletæ, ubi ad finem veniunt, magis enituntur et vigilant, eodem modo et nos facere oportet: quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandæ sunt preces, *faciendaque diligens et pura peccatorum confessio.* »[1] — πολλὴν καὶ ἀκριβῆ τὴν ἐξομολόγησιν τῶν ἡμαρτημένων ἐπιδείξασθαι. — Hæc de confessione a singulis communioni paschali præmittenda intelligenda sunt; quod enim pertinet ad publicam confessionem, jam ab initio Quadragesimæ peracta erat. Alias dicit: « Qui homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, et pœnitentiam agere, in die illa, non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur. »[2] — ὁ γὰρ ἐπαισχυνόμενος ἀνθρώπῳ ἀποκαλύψαι τὰ ἁμαρτήματα· Θεοῦ δὲ ὁρῶντος μὴ αἰσχύνόμενος πρᾶξαι, μηδὲ θέλων ὁμολογῆσαι καὶ μετανοῆσαι, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὃν ἐνώπιον ἑνὸς καὶ δύο, ἀλλὰ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ὁρώσης παραδειγματίζεται. — Alias post explicata Pauli ad Hebræos verba de renovatione iterata per Baptismum impossibili, ait: « Annon priusquam didicissetis, quod per pœnitentiam ablui possunt peccata, eratis anxii, ut qui sciretis non esse aliud lavacrum, et de vobis spem abjeceratis? Tunc autem cum ea didiceritis, per quæ recte agitur pœnitentia et remissio, et quod omnia poterimus effugere, si ea utamur, ut oportet, quamnam assequamur veniam, si ne in mentem quidem nobis veniant nostra peccata? Nam si hoc esset, omnia essent confecta. Nam sicut qui ostium est ingressus, est intus, sic qui propria mala cogitat ac supputat, omnino veniet ad eorum curationem. Sin autem dicit: Sum peccator; ea autem per species non cogitat ac supputat, et non dicit: Hoc et illud peccatum admisi; nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis. »[3]

125. S. Hieronymus: « Si quem serpens diabolus occulte momorderit, et, nullo conscio, eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. » « Alligat vel solvit Episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus. »[4]

126. S. Augustinus ait: « Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat; adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum: *confitere*, exeat in confessione, et defluat omnis sanies. »[5] Alias dicit: « Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum . . . . veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: et tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis Sacramentorum accipiat satisfa-

(1) Hom. xxx. in Genes.
(2) Orat. de muliere Samaritana.
(3) Hom. ix. c. vi. Heb.
(4) Comm. in c. xvi. Matth.
(5) Enarr. in Ps. lxvi. n. 7.

ctionis suæ modum : ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. »[1] Liquet igitur peccata necessario deferenda ad Ecclesiæ Antistites, per quos claves ministrantur, publicam autem pœnitentiam ex eorum pendere judicio.

127. S. Leo Magnus ad Episcopos Campaniæ scribit : « Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri : ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur : cum reatus conscientiam sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. »[2]

128. S. Gregorius Magnus explicat quomodo potestas a Christo data exercenda sit : « Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis. »—« Lazaro ergo dicitur : « Veni » foras : » ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis ? Foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. »[3]

129. *Probatur* 3. *Conciliorum authoritate*. Concilium Laodicenum decrevit : « De his qui diversis facinoribus peccaverunt, et perseverantes in oratione confessionis et pœnitentiæ, — προσκαρτερουντας τῇ προσευχῇ τῆς ἐξομολογήσεως καὶ μετανοίας — conversionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus post pœnitentiæ tempus impensum, propter clementiam et bonitatem Dei communio concedatur. »[4]

130. Concilium Cabilonense I. anno 650 : « De pœnitentia vero peccatorum, quæ est medela animæ, utilem esse hominibus censemus : et ut pœnitentibus a sacerdotibus, data confessione, indicatur pœnitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire. »[5]

131. Trullana Synodus anno 692 : « Oportet autem eos, qui solvendi et ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, et ejus qui peccavit ad conversionem promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medicinam. »[6]

132. Turonense III. Concilium anno 813 docet : « Episcopis et presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur : quoniam varie ab aliquibus sacerdotibus et indiscrete hæc judicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis, cum

(1) Serm. cccli. alias l. c. 4.
(2) Ep. cxxxvi. alias lxxx.
(3) Hom. xxvi. in Evang.
(4) Can. ii. (5) Can. viii.
(6) Can. cii.

omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus. »[1]

Concilium Cabilonense II. et Rhemense eodem anno habita, et Wormatiense anno 868 videre etiam licet.

133. *Probatur* 4. *ex veteribus libris pœnitentialibus*. Extat liber pœnitentialis Joannis Jejunatoris, Patriarchæ Constantinopolitani, sub finem sæculi sexti, quem ex codice manuscripto quingentorum annorum vetustatis descripsit ante duo fere sæcula Joannes Morinus. In eo sacerdos sic alloquitur pœnitentem : « Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario ac præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus . . . . Revela igitur et declara coram sanctis Angelis, nihilque me cela eorum, quæ a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris, et ipse occultorum cognitor delebit omnia quæ revelaveris. . . . Licet enim hoc pudendum et probrosum tibi videatur opera probris et pudori obnoxia revelare; attamen eximie et accurate tibi persuasum esto, per præsentem pudorem te a futuro liberari, et mandatis obediendo, non modo indulgentia, sed etiam coronis te dignum fieri. » Ipsi deinceps « mansueta et serena voce dicit : Quomodo, frater, vel soror, primum virginitas tua corrupta est? Per fornicationem, vel legitimum matrimonium, vel per mollitiem, aut aliquid eorum quæ sunt contra naturam ? Consentientem vero et dicentem sic et sic, iterum ipsum interrogat, in quot mulieres inciderit, antequam uxorem duceret : Num aliquæ earum essent ancillæ, quantæ viduæ, et quantæ nuptæ? . . Hæc imprimis confessorem oportet interrogare confitentem : in universum simul in quotas incidit. Ante enim omnia numerus quæritur, et personarum differentia. » Ταῦτα ἐν πρώτοις χρὴ τὸν τὰς ἐξομολογήσεις ἐπαδεχόμενον ἐρωτᾶν τὸν ἐξομολογούμενον καὶ τὸ ὅλον εἰς πόσας ἐμοῦ περιέπεσε. Πρὸ πάντων γὰρ ὁ ἀριθμὸς ζητεῖται, καὶ ἡ τῶν προσώπων διαφορά.[2]

134. Egbertus, Eboracensis Archiepiscopus, anno circiter 731 creatus, librum pœnitentialem excerptum e canonibus catholicorum Patrum edidit, quem ex codice sexcentos annos ætate superante descripsit suo tempore Morinus. In eo pœnitens dicit : « Nimis peccavi in cogitationibus nefandissimis, delectando eis, et consentiendo illis, et meditando atque disponendo in sensu et in memoria, atque voluntate mea, qualiter explere potuissem opera quæ male cogitabam. »[3] Plures alias confessionis formulas continet ille liber, inter quas sacerdotis confessio habetur. De ipso munere confessiones audiendi : « Peccavi de illis pœnitentibus, qui ad me propter confessionem venerunt, quos ego nec secundum legem admonui, nec solicitus fui de illis, sicut debui. »[4]

135. *Probatur* 5. *exemplis*. Socrates celebrem rem gestam tempore Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani refert singulorum post Baptisma patratorum a muliere confessionem apud presbyterum pœnitentiarium peractam ; κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας, ἃς ἐπεπράχει μετὰ τὸ βάπτισμα.[5] « Sigillatim confitetur peccata quæ admiserat post Baptismum. » Erat ergo mos singula peccata sacerdoti confitendi. De S. Ambrosio narrat Paulinus diaconus : « Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et flere illum compel-

(1) Can. xxii.

(2) Apud Morinum in calce operis · *Commentarius Historicus de disciplina in administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, p. 79.

(3) In calce Comm. p. 13. (4) Ibidem p. 14

(5) L. v. hist. c. xix.

leret : videbatur enim sibi cum jacente jacere. »[1] S. Audoenus, Rothomagensis Episcopus, sæculo septimo, in vita S. Eligii Noviomensis Episcopi, narrat: « Cum jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, et metuens ne aliqua suum delicta pectus frustrarent, omnia ab adolescentia sua coram sacerdote confessus est acta. »[2] In actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti ab anno 700 ad annum 800, ostendit Mabillonius rem perquam communem fuisse ea ætate ut principibus viris essent confessarii. Martinus monachus Corbejensis Caroli Martelli excipiebat confessiones. S. Ausbertus Theodorici III. Franciæ regis peccata in sacro tribunali audiebat. Theodorus Studites in vita S. Platonis scribit : « Quod laudabilius est, occultas mentis cogitationes, et acta cuidam eorum qui præerant, confitebatur : quæ res magnum religionis illius erat indicium. Idque cum perfecte facere solitus esset, qui confessionem ipsius audiebat, admirationem ac stuporem afferebat. » Wilhelmus Malmesburiensis laudat milites Normannos, « quod tota nocte confessioni peccatorum vacantes, Dominico corpori communicaverint, antequam pugnam cum Anglis inirent. »[3] In Concilio œcumenico Constantinopolitano IV., anno 870, Legati Pontificis Hadriani II. Theodorum Protospatharium interrogaverunt : « Fecisti confessionem, et accepisti pœnas de peccato illo pœnitens ? Theodorus dixit : Etiam. Vicarii dixerunt : Cui confessus es ? Theodorus dixit : Nescio, defunctus est : id tantum scio, quia chartularius et monachus qui quadraginta annos habitarat in columna : meum illi scelus confessus sum, a quo pœnam septennii irrogatam accepi, quam adhuc hodie subeo. »[4] S. Petrus Damiani refert Agnetem Augustam, Henrici IV. matrem, Romæ, ante aram Principis Apostolorum, confessionem generalem peregisse : « Per lugubres gemitus et amara suspiria, ab ipsa quinquennii infantia quidquid subtile vel minimum potuit in visceribus titillare, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus relationibus evolvit. »[5]

136. *Probatur* 6. *ex Orientalium sectarum consensione.* Notum est confessionem apud Græcos fieri, quod liquet ex responsione prima Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Lutheranos, et ex confessione orthodoxa a quatuor Patriarchis edita. Apud Syros etiam viget, testante Nairono.[6] Sic apud cæteras plerasque sectas Orientis, quamvis apud aliquas non sit adeo frequens ejus usus. Ejus origo proinde est prior qualibet secta, et merito recensetur inter pristina instituta ab Apostolis commendata, et a Christo ipso profecta.

137. *Probatur* 7. *præscriptione.* Ubique per Ecclesiam obtinet confitendi lex et consuetudo, nec auctor, nec tempus originis, post Apostolicam ætatem adsignari potest. Ergo ad Apostolos, et proinde ad Christum referenda est. Equidem res est adeo per se difficilis, ut nunquam humana auctoritate induci lex potuerit, vel consuetudo obtinere; quæ tamen omnes fideles absque gradus vel ordinis discrimine arcte ligat. Apud Anglicanos videre licet frustra esse omnem humanum conatum ad confessionem inducendam, divina sanctione sublata; ipsi enim eam valde commendarunt, et sæpius hortati sunt suos ad eam peragendam; quam

(1) In vita S. Ambrosii.
(2) In vita S. Eligii c. vii.
(3) L. iii. de gestis Anglorum c. xv.
(4) Conc. Const. act. ix.
(5) In opusculo lvi.
(6) Euophia p. 195.

tamen vehementer omnes refugiunt. Inde videre est nunquam contingere potuisse ut confitendi consuetudo inducceretur, vel necessitas agnosceretur, nisi ab ipsis Ecclesiæ exordiis injuncta fuisset, Dei ipsius nomine et auctoritate.

138. Congruit confessionis usus cum Judæorum more ex Dei lege orto; confitebantur enim delicta, pro quibus victimas immolabant.[1]

Objectiones solvuntur.

139. *Obj.* 1. Confessionis onus nimis grave est quam quod possit ratiocinando deduci ex potestate remittendi peccata, absque speciali Christi mandato.

140. *Resp.* Non ratiocinio humano, sed Christi mandato nititur confessio; nec alias potuit in Ecclesia universa ab antiquissimis temporibus obtinere. Quæ mandavit ipse, optime innotescunt ex Apostolicis institutis; Apostolis quippe jussit ut docerent omnia quæcumque illis mandaverat : mos autem confitendi merito recensetur inter instituta quæ Apostoli ex Christi mandato sanxerunt. Necesse non est ut omnia Scripturis contineantur, quum potius liqueat prædicationem et institutionem publicam, viva voce, fuisse præcipuam rationem a Christo statutam, et ab Apostolis adhibitam, ad promulgandum doctrinam et mandata Christi; nec nisi ex occasione ea fuisse scripto consignata. Non igitur ratiocinando confessionis onus inducimus et statuimus; sed consuetudinem pristinam et universalem confitendi vindicamus, tum Apostolicæ traditionis certissima autoritate, tum Christi verbis, ex quibus judicandi potestas, quibusnam venia danda sit, quibusnam vero deneganda, manifesto probatur. Confessionis necessitas inde sequitur, haud longo et incerto ratiocinio, sed consecutione facili et obvia; quæ si cuiquam haud omnino manifesta videatur, traditionem et consuetudinem receptam argumentum præbere certissimum divini mandati contendimus.

141. *Obj.* 2. Ut judicium fiat cuinam venia danda sit, cuinam deneganda, parum prodest singula referre quæ quis patraverit peccata, sed satis est pœnitentis animi habere indicia haud dubia.

142. *Resp.* Peccatorum notitia requiritur, ut quæ pœnitenti imponenda sint onera ad reparanda quæ patravit innotescant, et ut remedia congrua præscribantur. Præterea sui ipsius humiliatio est inter præcipua pœnitentiæ indicia, ideoque maxime inservit confessio, ut sacerdos judicet utrum venia dignus sit.

143. *Obj.* 3. Venia datur absque ulla peccatorum confessione, quando hæc fieri nequit; quæ quidem plerumque nonnisi ex parte fit : vix enim aliquis singula in memoriam revocare potest.

144. *Resp.* Quandocumque confessionis facultas deest, animi voluntas Deo est accepta; qui etiam haud rejicit pœnitentem, qui omnia, quorum memor est, delicta recenset. Quod hisce in rerum adjunctis venia detur, ostendit nihil ultra vires nobis injungi, et bonam animi voluntatem esse Deo gratam; sed non tollit confitendi necessitatem, quæ ex Scripturis et traditione innotescit.

145. *Obj.* 4. « Luculenta testimonia exstant tum in historiis, tum apud antiquos alios scriptores, quæ doceant hanc fuisse politicam disciplinam, ab Episcopis institutam, non legem a Christo aut Apostolis positam. . . . . Refert Sozomenus fuisse hanc Episcoporum constitutionem diligenter observatam in Ecclesiis Occidentalibus, præsertim vero Romæ. Quo significat non fuisse universale omnium Eccle-

(1) Hebrew Ritual by L. Alexander. London 1819. p. 71.

siarum institutum. »[1] Ita objicit Calvinus.

146. *Resp.* Quod refert Sozomenus, spectat munus Pœnitentiarii publici, uti fatetur ipse Calvinus : « Is est (quem hodie quoque in singulis cathedralibus Ecclesiis Pœnitentiarium vocant) graviorum criminum, et quorum censura ad exemplum pertinet, cognitor. » Illud quidem munus ad disciplinam recte refertur, et ab Episcopis tolli, sicut et statui potuit.

147. *Obj.* 5. Non alia tunc viguit confessio, quam quæ apud Pœnitentiarium peragebatur : nam apud eum mulier nobilis singula quæ post Baptismum admiserat peccata confessa est, testante Socrate; et munere illo abrogato, ob diaconi facinus ea occasione evulgatum. Nectarius « unicuique permisit, pro arbitrio, et pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere. »[2]

148. *Resp.* Viguit, sicut viguerat ab initio Ecclesiæ, confitendi sacerdotibus mos : nam ex necessitate confitendi occasio muneris illius instituendi orta est, uti fidem facit Sozomenus. Quod mulier illa nobilis omnia sua peccata apud Pœnitentiarium deposuerit, ostendit eum confessarii munere functum, sed non ideo cæteri sacerdotes eo caruisse censendi sunt. Munus quidem speciale Pœnitentiarii, quod cum confessarii munere in illo sacerdote conjunctum erat, abrogatum est, occasione stupri quod diaconus patravit, quum mulier illa orationibus in Ecclesia vacaret, pœnitentiæ opera sibi injuncta adimplens : sed, eo ablato, mansit confitendi necessitas apud sacerdotem quemcunque. Libertas unicuique permissa ad Sacramenta accedendi in eo posita est, quod Pœnitentiarii examini nemo subjaceret.

149. *Obj.* 6. De confessione singulis sacerdotibus tunc temporis peracta nihil a scriptoribus dicitur, sed soli Pœnitentiario, cujus muneris originem et munia Sozomenus sic describit : « Grave ac molestum ab initio juremerito visum est sacerdotibus, tamquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt : ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes, a se ipsis pœnas criminum exacturos. » Ita Sozomenus.[3]

150. *Resp.* Originem hanc muneris presbyteri pœnitentiarii Sozomenus referens, confessionis omnimodam necessitatem ei præbuisse causam declarat : « Cum in nullo penitus peccare, divinioris cujusdam naturæ sit, et humana præstantioris; pœnitentibus vero, etiam si sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit : cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat, » — μεταμελουμένοις δὲ καὶ πολλάκις ἁμαρτάνουσι, συγγνῶμην νέμειν ὁ θεὸς παρεκελεύσατο, ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεών, — grave ac molestum, » etc. Ergo Dei mandatum ut pœnitentibus daretur venia, ad quam confessio omnino requirebatur, fuit occasio cur ab initio sacerdotibus visum sit, necesse non esse palam in cœtu fidelium peccata evulgare. Munus Pœnitentiarii serius inductum est in Constantinopolitanam et alias nonnullas Ecclesias, quum confitendi necessitas ab omnibus agnosceretur, ex divino præcepto dandi veniam

(1) Calvinus Inst. l. iii. c. iv. n. 7.
(2) Socrates l. v. hist. civ xix.
(3) Hist. Eccl. l. vii. c. xvi.

pœnitentibus, quam nemo nisi confitendo assequi posset. Falso igitur asseritur a Dallæo auricularis confessionis privatim sacerdoti soli faciendæ nullum vestigium ea ætate reperiri, quum Sozomenus eam plane adstruat, et Pœnitentiarium eo functum esse munere, quamvis publicum aliud munus simul obiret, non obscure indicat.

151. *Obj.* 7. Si de auriculari confessione, auribus scilicet unius sacerdotis insusurrata, esset sermo, diaconi facinus non innotuisset, quod divulgavit mulier ultra modum confitendo progressa.

152. *Resp.* Profecto de confessione soli Pœnitentiario facta loquitur uterque scriptor, uti verba eorum manifestam faciunt fidem. Quomodo autem divulgatum fuerit flagitium, non satis exploratum est. Sozomenus dicit : « Matrona quædam nobilis, ob peccata quæ confessa fuerat, jussa ob hoc presbytero jejunare, ac Deum suppliciter orare; dum hujus rei causa in Ecclesia moraretur, a diacono se stupratam esse prodidit. » — κατεμήνυσεν. Socrates dicit eam apud Pœnitentiarium omnia post Baptismum admissa deposuisse; deinceps post aliquod temporis intervallum accusando aliud peccatum detulisse, quod scilicet, dum pœnitentiæ causa in Ecclesia versaretur, cum diacono concubuisset : ἐν τῷ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πτάισμα ταυτης κατηγορει. [1] — Voces ab utroque scriptore adhibitæ *indicium*, *delationem*, *accusationem* proprie significant, nec ad confessionem indicandam plerumque usurpatur. [2] Narrat Socrates diaconum idcirco ab Ecclesia ejectum, et turbas magnas excitatas, et abrogatum Pœnitentiarii munus : quæ omnia optime cohærent, si mulieris indicio apud ecclesiasticum judicem res gesta innotuerit. Cæterum tota series orationis obstat ne de publica confessione intelligatur, quum Sozomenus dicat grave ac molestum ab initio visum esse in cœtu fidelium confiteri. Ideo autem abrogatum est munus, quod ex pœnitentiæ impositæ a Pœnitentiario occasione patratum sit facinus. Cuique deinceps facta est facultas sibi consulendi, juxta conscientiæ dictamen, quin Pœnitentiarii, etiam de gravioribus delictis, sicut antea, standum foret judicio. Profecto privatam confessionem haud fuisse sublatam constat ex plurimis certissimisque documentis, quæ de ea vigente omni ætate in Ecclesia Constantinopolitana, sicut et ubique, fidem faciunt, et ex consuetudine nunquam interrupta, quæ adhuc ibi servatur.

153. *Obj.* 8. Omnis confessionis ritus abrogatus est in Ecclesia Constantinopolitana : « Hanc autem abrogationem tot locis evidenter Chrysostomus testatur, Constantinopolitanæ et ipse Ecclesiæ Præsul, ut mirum sit istos (*Catholicos*) audere contra mutire. » Ita Calvinus, qui pergit plura Chrysostomi referre testimonia.

154. *Resp.* Chrysostomus sæpius in suis concionibus ad muneris Pœnitentiarii abrogationem alludere videtur, et inde sumere occasionem hortandi fideles ad confessionem Deo faciendam. Quum autem maxime laboret in pravo pudore, quo ab hac retinebantur nonnulli, depellendo, liquet eam intelligi quæ sacerdoti Dei vices obeunti fit. Sic in loco, quem inter plura objicit Calvinus, dicit : « Si huc usque fuerimus

(1) Eccl. hist. l. v. c. xix.

(2) Censet Perrone iterato eam confessam esse apud Pœnitentiarium, quod ex versione Valesii colligitur : textus vero *indicium* magis denotat, nisi quod suipsius dicatur delictum quod detulit. Facilius explicatur quomodo res divulgata sit cum tanto muneris Pœnitentiarii odio, si dicamus eam detulisse stuprum forsan ad ipsum Pœnitentiarium, in foro tamen externo. Cæterum plurimis aliis rationibus res potuit innotescere.

negligentes, iniquitatem in opus progressam mox occidamus per confessionem, per lacrymas, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato, quam peccati accusatio condemnatioque, cum pœnitudine lacrymisque conjuncta. Condemnasti peccatum tuum? deposuisti sarcinam. Quis hæc dicit? ipse judex Deus. Dic tu peccata tua prior ut justificeris? Cur igitur, te quæso, pudescis et erubescis dicere peccata tua? Cave enim homini dixeris, ne tibi opprobret. Neque enim conservo confiteris, ut in publicum proferat, sed ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera. »[1] Alias hortatur ad confessionem : » Cibis ebrietateque dimissis, ad arctam vitam nos transferamus. Nam confessionis tempus est et non initiatis et baptizatis : his quidem ut post pœnitentiam peractam ad sacra veniant mysteria : illis vero ut, ablutis in Baptismo maculis, pura conscientia ad mensam accedant. »[2] Alibi ait : « Peccatum non per peccati additamentum tegitur, sed per pœnitentiam et confessionem. »[3]

155. *Obj.* 9. Venerabilis Beda dicit : « Quisquis vel hæretica pravitate, vel superstitione gentili, vel Judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Domini gratiam caruerit, necesse est ad Ecclesiam veniat, coloremque fidei verum quem acceperit, ostendat. Cætera vero vitia, tamquam valetudinis, et quasi membrorum animæ atque sensuum, per seipsum interius in conscientia et intellectu Dominus sanat et corrigit. »[4] Ergo sacerdoti horum confessio non est facienda.

156. *Resp.* Mens est Bedæ eos quos recenset ad Ecclesiam accedere debere, ut a lepra mundentur, fideles autem in ipsa Ecclesia munditiem, si qua eos infecerit labes, recuperare, opera tamen sacerdotum; ait enim alibi : « Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter et quanto tempore jusserit, purificari curemus. »[5] Ipse autem narrat militem quemdam Cœnredo regi acceptissimum sæpius ab eo admonitum « ut confiteretur et emendaret, ac relinqueret peccata sua, » distulisse, et in mortis discrimine positum noluisse ea confiteri, ne metu mortis videretur egisse; et desperatione obrutum obiisse, quum dæmon illi visus sit codicem obtulisse in quo «omnia scelera, non solum quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione » peccaverat, referebantur. « Hanc historiam, sicut a venerabili Antistite Pechtelmo didici, simpliciter, ob salutem legentium sive audientium, narrandam esse putavi.»[6]

157. *Obj.* 10. Confessio juris divini haberi nequit : nam « certe nullam de ea statutam fuisse legem aut constitutionem ante Innocentii III. tempora »[7] constat ex annalibus ecclesiasticis.

158. *Resp.* Calvinum ex ore suo damnamus : nam confessionis *vetustissimum esse usum* fatetur, quem nulla lege aut constitutione ecclesiastica nixum esse declarat. Ad jus divinum igitur referendus est : nec enim existimandum fideles tanto oneri sese ex antiquissimis temporibus sponte veluti subjecisse, nulla lege cogente. Recte ad Innocentii tempora lex ecclesiastica refertur, sed ex ipsius verbis liquet non novam ea induci obligationem,

(1) De Lazaro Concio iv. t. ii. p. 548. Vide apud Jacobum Boileau in Historia Confessionis auricularis c. xii. et xiii. loca Chrysostomi illustrata.
(2) Hom. x. in Matth.
(3) Hom. xlviii. alias xlix. in Matth.
(4) L. v. in c. xvii. Luc.
(5) In c. v. ep. Jacobi.
(6) L. v. hist. Eccl. c. xiv,
(7) Calvinus Inst. l. iii. c. iv. n. 7

sed divinum jus urgeri, pœna ecclesiasticæ censuræ intentata ei qui annum integrum ei satisfacere negligeret.

159. *Obj.* 11. Apostolos excepisse baptizatorum hominum confessiones nullibi legimus. De munere eas audiendi silet S. Paulus in epistolis ad Timotheum et Titum, licet munia sacrorum ministrorum ex professo explicet.

160. *Resp.* Res gestæ Apostolorum paucæ referantur, et quæ potius ad Ecclesiæ exordia et diffusionem pertinent, quam ad animarum regimen. Cæterum post relatum dæmoniaci hominis impetum in septem filios Sceva, Jesu invocationem in suos usus adhibentes, dicitur innotuisse Judæis et Gentilibus Ephesi morantibus, « et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu. Multique credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos. » — Πολλοί τε τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν. [1] — Liquet fideles qui jam crediderant, verbo præterito notari, quos salutari timore perculsos magicas artes et superstitionem omnem penitus abjecisse ea occasione contigit, adeo ut ipsi accesserint sui accusatores, et sigillatim actus suos contra divinam legem enarrarint, libris, quos pravo studio consueverant legere, Apostolis ad comburendum traditis : « Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus : et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. » [2] Quod confessarii munus non recensuerit Paulus, non obstat : nec enim sibi proposuit singula sacrorum ministrorum munia explicare, sed dotes præsertim quibus ornari debent, et Episcopi in regenda Ecclesia solicitudinem commendare. Cæterum quæ ad Timotheum scripsit : « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis; » [3] a S. Paciano et aliis de manuum impositione quæ fiebat absolvendo peccatores explicantur : hæc scilicet temere facta consortium est quoddam peccatorum alienorum.

161. *Obj.* 12. Nemo potest sua omnia recensere peccata, ideoque singulorum peccatorum examen et confessio impossibilis est : « Hac carnificina plus quam crudeliter divexatæ sunt eorum animæ, qui aliquo Dei sensu afficiebantur. » [4] Ita Calvinus.

162. *Resp.* Satisfit oneri confitendi dum quis ea confitetur quæ post diligens conscientiæ examen novit a se patrata. Igitur nihil impossibile exigitur, nec ulla carnificina fit animarum ; sed puritas conscientiæ fovetur, latebras omnes perscrutando, et remedium animæ impetratur, expositis medico vulneribus. « Impium est, » inquiunt Patres Tridentini, « confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit : reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. » [5]

(1) Act. xix. 18. Animadvertit Bloomfield : » The expressions are nearly synonymous, and denote frank and open confession, with a narration of all circumstances. By the πράξεις are especially meant magical practices, though also including sins of every kind. »

(2) Ibidem 19. (3) I. Tim. v. 22.

(4) Inst. l. iii. c. iv. n. 17.

(5) Sess. xiv. cap. v.

163. *Obj.* 13. Quæ obtinuit apud veteres confessio, erat publica delictorum quorumdam agnitio, in sui humiliationem, et scandali reparationem : omnino diversa a secreta confessione uni sacerdoti facta.

164. *Resp.* Confessio, juxta Apostolicam regulam, ab initio usitata fiebat solis sacerdotibus, uti Origenes, Cyprianus, Basilius, Leo, et alii plurimi fidem faciunt. Contigit nonnunquam peccata publice agnosci, quod tamen ad consuetudinem vel legem ecclesiasticam quorumdam locorum, potius quam ad divinum jus referendum est. Privatam apud sacerdotes confessionem præmitti consuevisse publicæ illi confessioni ex Origene colligitur. Apud omnes exploratum est publicam confessionem non esse a Deo injunctam : quapropter ea veterum testimonia quæ confessionis adstruunt necessitatem, de privata confessione intelligere necesse est.

165. *Obj.* 14. Tota Casuistarum disciplina posterioris ætatis est, quæ argumento est haud levi confessionis usum recens esse adinventum.

166. *Resp.* Fatetur Calvinus confessionis usum esse vetustissimum : nec desunt in Tertulliani et Augustini et aliorum operibus casus conscientiæ, quamvis non statim disciplinæ formam scientia morum nacta sit. Sic et dogmatum vindiciæ tardius in formam scholarum redactæ sunt. Equidem prioribus sæculis instituebantur candidati a sacerdotibus; quorum præceptis viva voce traditis ad munia omnia rite obeunda parabantur. Progrediente tempore visum est pluribus enucleatius exponere morum principia, eaque singulis accommodare casibus : quæ disciplinæ tradendæ ratio eo magis necessaria visa est, quod plurimis latis legibus ecclesiasticis et censuris, casuum solutio non unice penderet ex principiis morum ratione et fide innotescentibus.

Animadversiones.

167. Ex confessionis necessitate sequitur omnia peccata mortalia quæ quis se patrasse noverit, necessario exponenda esse confitendo : nam quidquid saluti obstat, clavium potestate tollendum est, ut in regnum cœlorum pateat ingressus. Eadem de singulis peccatis mortalibus viget ratio, sed et de peccatorum numero, quodlibet scilicet peccatum est ab alio distinctum. Imo circumstantiæ quæ mutant speciem necessario exponendæ sunt: nam novam malitiam inducunt, quæ alteri peccato respondet. Sic homicidium sacerdotis in Ecclesia patratum sacrilegii habet malitiam, personæ locique ratione, et divinæ legi proinde pluribus ex capitibus adversatur.

168. Divino jure confessio sacerdotibus injuncta est; ut autem fiat secreto, vel publice, non est definitum lege Christi, ideoque sufficit confessio soli sacerdoti facta, uti ex S. Leone didicimus. « Quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit ; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. »[1] Ita Tridentini Patres. Apud aliquas Ecclesias ea disciplina recepta olim fuit, ut peccatorum quorumdam confessio publice fieret. Quando palam patrata sunt facinora cum gravi fidelium offensione, ad peccatoris humiliationem et reparationem scandali, exigebatur sæpius

(1) Sess. xiv. cap. v. de Pœnit.

publica delicti agnitio; sed peccata occulta plerumque luebantur confessione secreta. Saltem nulla Ecclesiæ universalis lege unquam præceptum est ut occultorum delictorum fieret publica confessio; nec unquam alicubi obtinuit mos omnia absque discrimine peccata publice in cœtu fidelium confitendi: qui sane vix bonis moribus conveniret, et immania secum traheret incommoda.

169. Ex ipsa confessionis natura sequitur confessarium arctissime teneri ad celanda omnia quæ fuerint apud eum *sacramentaliter*, uti aiunt, deposita, in confessione scilicet ad peccatorum remissionem consequendam directa. Hinc Concilium Lateranense IV. decrevit: « Caveat omnino ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in monasterium detrudendum. »[1]

170. Nihil aliud a Concilio Lateranensi de obligatione confitendi statutum censendum est, quam ut divino præcepto hac de re semel saltem in anno satisfiat, pœna excommunicationis negligentibus intentata: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, et moriens christiana careat sepultura. »[2]

CAPUT V.

DE SATISFACTIONE.

§. 1. *De Pœna temporali.*

171. Tres esse pœnitentiæ partes tradit Concilium Tridentinum, contritionem scilicet, confessionem et satisfactionem. *Satisfactionis* nomine intelligitur opus in pœnam peccati a sacerdote injunctum, et a pœnitente acceptatum. Illud jam pro explorato habemus, hominem nihil posse facere quo ob injuriam Deo peccato irrogatam satisfiat: et pœnitentis operum totam virtutem a gratia Dei derivari, nec nisi Christi meritorum intuitu Deo posse aliquatenus esse acceptum. Igitur dum de pœnitentium satisfactione, quatenus ad Sacramentum pertinet, fit sermo, id tantum intelligimus, opera in pœnam peccati a sacerdote injungi posse, eaque rite peracta, per Christum prodesse ad pœnas temporales peccatis debitas luendas. De ipso reatu peccati, et de suppliciis æternis nulla est quæstio; ea enim nullo hominis conatu tolli, sed unius Christi meritis constat.

172. Jam, *in tractatu de Gratia*, de oratione, jejunio et eleemosynis disseruimus, eaque bona opera rite vocari, et mercedem apud Deum mereri ostendimus. Ad hæc tria veluti genera omnia pœnitentiæ opera revocantur quod enim dicitur apud Tobiam: « Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, »[3] omnia complectitur: « Jejunio scilicet, » uti animadvertit Augustinus, de Christi sermone loquens, « universam corporis castigationem significans; eleemosynis omnem benevolentiam et

(1) Cap. xxi. (2) Ibidem.

(3) Tob. xii. 8.

beneficentiam, vel dandi, vel ignoscendi; et oratione insinuans omnes regulas sancti desiderii. »[1] Satisfactionis nomen novatoribus sæculi decimi sexti invisum fuit, qui opera pœnitentiæ oderunt. Lutherus ait: « Vehementer odi, et sublatum vellem hoc vocabulum, satisfactio. »[2] Calvinus veteres omnes adversarios agnoscens, iis haud veretur refragari: « Parum me movent quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes fere quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere et dure locutos. »[3] Sectarii omnes hos sequuntur duces magno consensu, si exceperis Oxonienses, qui sanius sapere cœperunt, quamvis nullam plenam peccatorum indulgentiam ante diem judicii concedi peccantibus post Baptismum censeant.

173. Concilium Tridentinum definitionem hanc edidit: « Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionesque pœnitentium non esse aliam quam fidem qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit. »[4]

Propositio.

Tota pœna peccati non semper a Deo remittitur simul cum culpa.

174. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Moyses et Aaron in pœnam culpæ admissæ, occasione aquarum educendarum e rupe, prohibiti sunt ingressu in terram Chanaan;[5] quæ iis gravissima erat pœna. David a Nathan increpitus dixit: « Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. »[6] Hæc quoque gravissima habenda est pœna, pœnitenti, dimissa culpa, irrogata. Eidem cujusdam elationis animi in recensendo populo veniam deprecanti, gravissima pœna est inflicta: « Peccavi valde in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. » Gad propheta ei judicium divinum annuntiavit: « Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. »[7].

175. *Probatur* 2. *ex Patribus.* Augustinus ait: « Cogitur homo tolerare, etiam remissis peccatis, quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. Ac per hoc, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. »[8] Et alias: « Impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti. Sic prorogasti misericordiam, ut servares et veritatem. »[9] S. Gregorius Magnus: « Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta

(1) L. de perf just. c. viii.

(2) In assert. art. v. (3) Inst. l. iii. c. iv. n. 38.

(4) Sess. xiv. can. xii.

(5) Num. xx. 12.

(6) II. Reg. xii. 13. Adnotant Oxonienses: « Here is a perspicuous instance of a penitent restored to God's favour, at once, yet his sins afterwards visited, and it needs very little experience in life to be aware that such punishments occur continually, though no one takes them to be an evidence that the sufferer himself is under God's displeasure, but rather accounts them punishments, even when we have abundant proofs of his faith, love, holiness, and fruitfulness in goo works. » Tracts Vol. iv. N. 79. p. 7.

(7) II. Reg. xxiv. 10.

(8) Tract. cxxiv. in Joan. n. 5.

(9) Enarr. in Ps. l.

laxatur. Sic David audire post confessionem meruit : « Dominus transtulit » peccatum tuum; » et tamen multis post cruciatibus afflictus, reatum culpæ quam perpetraverat, exsolvit. »[1]

Objectiones solvuntur.

176. *Obj.* 1. Plena peccatorum indulgentia pœnitentibus in Scripturis promittitur : « Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. »[2]

177. *Resp.* Peccata a Deo delentur, et oblivioni veluti dantur, quando ea pœnitentibus remittit : constat autem eum haud semper omnem relaxare pœnam, ideoque generales illæ indulgentiæ promissiones intelligendæ sunt de plena culparum remissione, salvo jure exigendi pœnam temporalem, vel de omnimoda remissione iis qui vehementiori dolore plangunt peccata.

178. *Obj.* 2. « Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. »[3] Noceret autem si adhuc luenda foret pœnis temporalibus.

179. *Resp.* Eo loci Deus per Vatem peccatores certiores facit eorum delicta non obstare saluti, si ex animo ea abjecerint; de peccatore scilicet ad bonam frugem redacto dicit : « Omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei : judicium et justitiam fecit, vita vivet. »[4] Inde autem inferre non licet nullum incommodum vel detrimentum peccatori obventurum : liquet enim eam esse divinæ justitiæ consuetam œconomiam, ut plurimas pœnas adhuc luat, quod in Davide a regno pulso maxime videre est.

180. *Obj.* 3. Christus abunde pro nobis satisfecit : unica sui oblatione omnium deletis peccatis : « ipse est propitiatio pro peccatis nostris. »[5] « Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. »[6] Ergo quoties intuitu ejus datur venia, nulla manet pœna luenda; hæc enim foret ejus satisfactioni injuriosa.

181. *Resp.* Copiosa quidem est Christi redemptio, cui nihil prorsus deest; sed applicatio ejus ex ipsius consilio pendet, qui noluit peccatores ejus frui beneficio, nisi conditionibus quibusdam adimpletis. Quod culpa ejus intuitu pœnitentibus remittatur, pœna temporali plerumque manente, ex divina œconomia in Scripturis exhibita, et ex perpetuo Ecclesiæ sensu didicimus : nec hac ratione injuria fit Christi satisfactioni, quæ plenissima agnoscitur. Pulchre Oxonienses animadvertunt nos non aliter posse ad Deum accedere, quam sacrificio a nobis oblato, quod Christi cum sacrificio conjungatur. »[7]

182. *Obj.* 4. Remissio illa dimidiata Deum dedecet : nec enim vere ignoscere dicendus est qui pœnam adhuc irrogat. Præterea remissa culpa tollitur omnis pœnæ ratio, quæ proinde injusta erit.

183. *Resp.* Deum maxime decet misericordiam cum justitia conjungere, ne peccator veniæ facilitate relabatur. Semel concessa in Baptismo peccatorum indulgentia plenissima, sapienter misericordiæ exercitium deinceps attemperat, ut peccator intelligat non adeo

(1) L. ix. moral. c. xxvii.
(2) Isaiæ xliii. 25.
(3) Ezech. xxxiii. 12.
(4) Ibidem 16.
(5) I. Joan. ii. 1.
(6) Heb. ix. 28.
(7) If the doctrine of the Atonement is conveyed in the expression of Christ crucified, as used by St. Paul, it is by teaching, at the same time, the necessity of our mortification, which is repugnant to opinions now received. It is expressing, in other words, our Saviour's declaration, « he that cometh after me must take up his cross » daily and follow me. » They both imply that we cannot approach God without a sacrifice, — a sacrifice on the part of human nature in union with that of our Saviour. » Vol. iv. Tract. N. 89. p. 75.

levem esse culpam data sibi dona peccando abjicere.

184. *Obj.* 5. Quæ in Scripturis enarrantur peccatoribus post remissa peccata inflicta, in aliorum terrorem et ad reparandum scandalum decreta censenda sunt, potius quam ad peccata expianda.

185. *Resp.* Inflicta sunt in pœnam peccatorum, uti ex Scripturæ verbis patet; cesserunt autem in aliorum terrorem, et in scandali reparationem. Cæterum non constat populum scandalum passum esse ex censu Davidico, quem tamen pœnas gravissimas attulisse liquet.

186. *Obj.* 6. S. Ambrosius de Petro dicit : « Lacrymas ejus lego; satisfactionem non lego. »

187. *Resp.* Satisfactio apud auctores profanos excusationem seu vindicias significat, quo sensu eam hic usurpari ex contextu liquet : « Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit : lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego : sed quod defendi non potest, ablui potest. » [1]

§. II. *De operum pœnitentiæ virtute.*

188. Pœnam temporalem, quæ culpa remissa sæpe superest, redimi posse operibus pœnitentiæ definivit Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit. » « Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit. » [2] Hæc placita adhuc novatoribus communia sunt, ideoque contrariam Ecclesiæ doctrinam vindicare juvat.

Propositio.

Satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, sunt cultus Dei; qui nullatenus doctrinam de gratia, vel verum Dei cultum, vel beneficium mortis Christi obscurant.

189. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Daniel Nabuchodonosorem hortatus est : « Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : — וחטיך בצדקה פרק ועויתך במחן עגין — forsitan ignoscet delictis tuis. » [3] Igitur eleemosynæ, pœnitentis animi indicia, ad placandum Deum oblatæ, ei gratæ sunt, et ad redemptionem peccatorum prosunt : nisi enim Daniel id pro explorato habuisset, haud suasisset Nabuchodonosori eas spe illa et consilio dare. Justitia Hebraice misericordiam et eleemosynarum largitionem sæpe significat. Disrumpere peccata, quæ vis est vocum, est ea largiendo tollere, prout optime intellexit Vulgatus interpres.

190. Ninivitarum exemplum celebre est : Jona enim prædicente Ninive subversionem post quadraginta dies, jejunium publicum omnium civium indictum est, qui et saccos induti planxerunt peccata : « crediderunt viri Ninivitæ in Deum : et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. . . . . Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala; et misertus est Deus

(1) L. x. in Lucam § 88. c. xxiii. Eadem verba occurrunt in serm. S. Maximi Taurin. Serm. iii. inter hiemales de Negatione Petri.

(2) Sess. xiv. can. xiii. xiv. (3) Dan. iv. 24.

super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit. »[1] Illa opera, pœnitentiæ indicia et fructus, Deum placarunt. Ea igitur quæ nunc fiunt animo pœnitenti, et per Christum Deo offeruntur, ei grata procul dubio sunt, nec ullatenus cultui ejus adversa.

191. Ad opera illa pœnitentiæ passim hortati sunt sacri Vates : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est. »[2] Joannes Baptista ad fructus pœnitentiæ faciendos turbas hortatus est : « Facite fructum dignum pœnitentiæ. »[3] Apostoli ad pœnitentiam prædicandam missi sunt. Ex usu loquendi hæc denotabat non tantum animi dolorem, sed et ejus indicia operibus exhibita. Ergo hæc Deo grata sunt, et ad cultum ejus pertinent.

192. *Probatur* 2. *ex Patribus*. Tertullianus ait : « Quam porro ineptum pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere? Hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit : hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. »[4] — « Offendisti, sed reconciliari adhuc potes; habes cui satisfacias; et quidem volentem. »[5]

193. Origenes : « Si tamen invenerit manus tua pretium quod restituat. Quale pretium? Pœnitentiæ sine dubio lacrymis congregatum, et manibus, id est labore boni operis inventum. »[6] Et alias : « Pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat quod admissum est. »[7]

194. S. Cyprianus, de martyrum, scilicet qui aliquod supplicium propter fidem passi erant, intercessione, ut lapsi statim donarentur Ecclesiæ communione, querens, dicit : « Intercedunt ne rogetur Deus, qui indignar se ipse testatur. Intercedunt ne exoretur precibus et satisfactionibus Christus, qui negantem se negare profitetur . . . . . ne Deo indignanti satisfiat. . . . . Datur opera ne satisfactionibus et lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. » Lapsos a Novatianis recipi, omni pœnitentiæ lege soluta, queritur; quos frustra asserere honorem sic Deo reddi animadvertit : « Honor ergo datur Deo, quando sic Dei majestas et censura contemnitur, ut cum se ille indignari et irasci sacrificantibus dicat?» « Sublata pœnitentia, nec ulla exomologesi criminis facta, despectis episcopis atque calcatis, pax a presbyteris verbis fallacibus prædicetur, et ne lapsi surgant, aut foris positi ad Ecclesiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur? Quibus etiam non satis fuit ab Ecclesia recessisse, spem lapsis satisfactionis et pœnitentiæ sustulisse, fraudibus involutos, vel adulteriis commaculatos, vel sacrificiorum funesta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Ecclesia exomologesin criminum facerent, ab omni sensu et fructu pœnitentiæ removisse, foris sibi extra Ecclesiam et contra Ecclesiam constituisse conventiculum perditæ factionis, cum male sibi consciorum, et Deum rogare ac satisfacere nolentium caterva conflueret. »[8] Et alias : « Orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio et sordibus volutari. . . . . Qui sic Deo satisfecerit,

(1) Jonæ iii. 5. 10. (2) Joel. ii. 12.
(3) Matt. iii. 8. (4) L. de Pœnit. c. vi.
(5) Ibidem c. vii.
(6) Hom. xv. in Levit.
(7) Hom. vi. in Exodum.
(8) Ep. ad Cornel. l. i. ep. iii. alias lv. alias lix.

qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam : nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam. » [1]

195. S. Ambrosius : « Crimina bonis operibus fideique pretio et miseratione redimamus. » [2] Et alias eleemosynarum largitione redimi quodammodo peccata tradit : « Habemus plena subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes? Redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es : redime te operibus tuis ; redime te pecunia tua. » [3] Et alias : « Sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad nummum usque quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur. » [4]

196. S. Hieronymus : « Qui peccator est, et quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, et plangat sua delicta . . . et cubet vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset. » [5]

197. S. Augustinus : « In melius est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere : nemini enim dedit laxamentum peccandi : quamvis miserando deleat jam facta peccata si non satisfactio congrua negligatur. » [6] Et alias : « Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. » [7]

198. S. Pacianus : « Obtestor et deprecor ne pudeat in hoc opere ; ne pigeat opportuna quamprimum remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvare. In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet. » [8]

199. S. Fulgentius : « Omni homini in hac vita potest esse utilis pœnitentia quam quocumque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si toto corde renunciaverit peccatis præteritis, et pro eis in conspectu Dei non solum corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, et malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. » [9]

200. *Probatur* 3. *ex disciplina pœnitentiali. Publica* pœnitentia ob nonnulla gravissima delicta semper imponi consuevit ; et a tertio sæculo juxta certas leges peragebatur, *Canonica* idcirco dicta. Gravissimæ sane pœnæ injungebantur, quæ per annos plurimos luebantur ob delicta etiam occulta, uti ex librorum pœnitentialium regulis constat. Igitur persuasum est veteribus ea opera prodesse ad placandum Deum, et ad pœnarum alias luendarum remissionem. [10]

(1) L. de lapsis.
(2) L. ii. de Abel et Cain, c. iii.
(3) L. de Elia et jejunio c. xx.
(4) L. vii. in Lucam. (5) Comm. in c. i. Joel.
(6) Enchirid c. lxx.
(7) Serm. cccli. alias l. inter quinquaginta.
(8) Paræneс. ad Pœnit.
(9) L. de fide ad Petrum c. iii.
(10) Sæculo tertio solemniores pœnitentiæ gradus jam distinguebantur, uti liquet ex epistola canonica S. Gregorii Neocæsareensis can xi. « *Fletus* seu luctus est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. *Auditio* est intra portam,

Objectiones solvuntur.

201. *Obj.* 1. « In hanc summam recidunt omnia, nos quidem a Dei clementia delictorum veniam impetrare, sed intercedente merito operum, quibus peccatorum noxa compensetur, quo debita justitiæ Dei satisfactio persolvatur. » [1] Ita Calvinus.

202. *Resp.* Non merito operum veniam impetramus, sed Christi intuitu, qui pro nobis justitiæ divinæ satisfecit; opera tamen post veniam impetratam facta gratiæ auxilio per Christum valent ad pœnas temporales luendas.

203. *Obj.* 2. « Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem, qua nihil in Scriptura clarius prædicatur. Cur *gratis* additur, nisi ad tollendam omnem satisfactionis opinionem? » Calvinus iterum.

204. *Resp.* Quæ Augustini verba supra retulimus, tacito auctore recenset Calvinus, et mendacia appellat principia illa certissima. Iis gratuita peccatorum remissio nullatenus adversatur: nam *gratis* remittuntur delicta, quum nihil quod nostris viribus fiat, ullatenus valeat remissionem mereri. Est mera et summa Dei liberalitas, quod, nullo a nobis pretio oblato, detur venia: est summa Servatoris misericordia, quod se Patri victimam pro nobis obtulerit, pretio soluto. Nulla satisfactio nostra meretur justificationem, ideoque *gratis* justificari dicimur; [2] sed non ideo satisfaciendi ob pœnas temporales facultate caremus, Christi gratia adjuti.

205. *Obj.* 3. « Quum Scriptura universa testimonium Christo deferat, quod per nomen ejus sit accipienda peccatorum remissio, nonne alia nomina excludit? Quomodo igitur per satisfactionum nomen accipi docent? » Calvinus. [3]

206. *Resp.* Christi nomine prædicatur

in porticu, ubi oportet eum qui peccavit stare, usque ad Catechumenos, et illinc egredi: Audiens enim, inquit, Scripturas et doctrinam, ejiciatur, et precatione indignus censeatur. Subjectio autem seu *Substratio* est, ut intra templi portam stans cum Catechumenis egrediatur. Congregatio seu *Consistentia* est, ut cum fidelibus consistat, et cum Catechumenis non egrediatur. » Vide etiam Conc. Ancyranum, Can. 4. 5. 8. Nicænum, Can. 11. et 12. Postea in Occidentali Ecclesia eadem disciplina invaluit, cujus meminit S. Felix III. Epist. 7. ad universos Episcopos scripta, sæculo quinto ad finem vergente. *Flentes* sacco induti, cinere capiti insperso, capillis et barba promissis in vestibulo manebant: *audientes* intra portam in loco qui *narthex* seu ferula dicebatur; *substrati* genuflexi variis pœnis ac laboribus exercebantur, accipiebantque manus impositiones, sacerdotibus pro iis orantibus. Eorum locus fuit in ea Ecclesiæ parte quæ ad *ambonem* usque protendebatur; ambo autem erat excelsius quoddam suggestum in templis, ad quod gradibus ascendebatur, et ex quo Epistola et Evangelium legebantur. *Consistentes* deinceps usque ad Sanctuarium cum fidelibus cæteris miscebantur, communionis tantum expertes. Non omnes pœnitentiæ gradus singulis peccatoribus percurrere opus fuit, nec idem omnibus temporis spatium per quod versarentur in unoquoque gradu: sed Episcopis licuit hæc prudenti arbitrio definire.

Qui in veteri Ecclesia, Episcopi aut presbyteri pœnitentiarii judicio, publicam pœnitentiam exequi debebant, in capite jejunii, seu prima Quadragesimæ die, ad Ecclesiæ januam comparebant, sordidati, pro more lugentium. In Ecclesiam ingressi ex manibus Episcopi cinerem capiti inspersum, et cilicinam vestem accipiebant, seque in terram prosternebant, dum a clero et populo pro iis funderentur preces. Episcopus deinceps, clero canente: « In sudore vultus tui, etc. » eos ex Ecclesia ejiciebat, sicut Adam e Paradiso ejectus est. Qui in hoc pœnitentiæ statu versabantur, domi manebant, precibus et suspiriis vacantes; diebus festis et stationariis ad Ecclesiam venturi. Stadio pœnitentiæ decurso, reconciliabantur vel in Parasceve, vel in die Cœnæ Domini, pro vario Ecclesiarum more; Episcopo eos absolvente, et restituente Ecclesiæ communioni. Non omnes tamen reconciliationis impetrabant beneficium post unam Quadragesimam: plurimi enim plurimorum annorum pœnitentia adstringebantur juxta canones, quorum vim tamen indulgentia relaxabant sæpius Episcopi graves ob causas. Vide plura apud Sardagnam Theol. Dogm. Polemic. t. viii. de Sac. Pœn.

(1) Inst. l. iii. c. iv. n. 25.

(2) Conc. Trid. Sess. vi. cap. viii.

(3) Inst. l. iii. c. iv. n. 25.

pœnitentia et remissio peccatorum, non alio quovis nomine impetranda : « nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri. »[1] Satisfactiones nostras nullas obtendimus, nisi quæ per ipsum valeant, vim suam omnem ab ipso derivantes. Ad Christi ipsius voluntatem referimus, quod et nostris operibus debeamus pœnas quasdam luere, ut illius satisfactionis beneficio plenissime fruamur. Oxonienses se a nobis in rei summa haud dissentire satis innuunt.[2]

§. III. *De operum pœnitentiæ injunctione.*

207. Definierunt Patres Tridentini pœnas impositas pœnitentibus a sacerdotibus haud repugnare institutioni Christi : « Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema sit. »[3] Quomodo autem hæc potestas exercenda sit, præclare docuerunt : « Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem; nam claves sacerdotibus non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent. »[4]

Propositio.

Claves Ecclesiæ datæ sunt etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, non agunt contra finem clavium, nec contra institutionem Christi.

208. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* « Tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis. »[5] Ergo etiam ad ligandum claves datæ sunt. « Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo. »[6] Acceperunt Apostoli, et per eos sacerdotes omnes ligandi potestatem : hæc includit potestatem præcepta ferendi : ergo possunt præcepta ferre de iis quæ ad pœnitentiæ conditiones spectant. Præterea quum constet ex pluribus Scripturæ locis Deum culpam remittendo, sæpe sibi reservare jus pœnas aliquas irrogandi, qui ejus legatione funguntur in remissione peccatorum merito imitantur divinam hanc agendi rationem, ut justitiæ jura in misericordiæ exercitio non penitus negligantur.

209. *Probatur* 2. *ex Patribus.* S. Cyprianus queritur de martyribus, qui

(1) Act. iv. 12.

(2) Post Davidis exemplum relatum, qui pœnam remissa culpa luit, animadvertunt : « So far then we cannot be said materially to oppose the Romanists. They on the other hand agree with us in maintaining that Christ's death *might*, if God so willed, be applied for the removal even of these specific punishments of sins, which they call *temporal* punishments, as fully as it really is for the acceptance of the *soul* of the person punished, or the removal of eternal punishment. Further, both parties agree, that in matter of fact it is not so applied. » . . . As far as this then we have no violent difference of *principle*. » Tract 79. p. 7.

(3) Sess. xiv. can. xv.

(4) Ibidem c. viii.

(5) Matt. xvi. 19. (6) Ibidem xviii. 19.

gratia apud sacerdotes usi sunt, ut lapsi in persecutione ad communionem exciperentur, congrua tanto crimini pœnitentia non peracta : « Quos diligo, inquit Dominus, redarguo et castigo. Sic oportet Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. . . . . Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio. Irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. . . . . Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus exclusa est, gravissimique extremique delicti memoria sublata est. . . . Cæterum si quis præpropera festinatione temerarius remissionem se cunctis dare putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, non tantum nihil prodest, sed et obest lapsis. »[1]

210. S. Ambrosius : « Grandi plagæ alta et prolixa opus est medicina : grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem. »[2]

211. S. Augustinus exigit ut pœnitens « a præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. »[3] Vide et S. Leonis M. et S. Innocentii testimonia supra relata.[4]

212. *Probatur* 3. *ex disciplina veteri.* Per plura sæcula obtinuit disciplina qua singulis fere delictis graves adsignatæ sunt pœnæ; qua abrogata, per tempus satis diuturnum sacerdotes in tribunali adhuc eas vel similes pœnitentibus consueverunt injungere. Ea Ecclesiæ totius per plura sæcula consuetudo nitebatur certa fide Deum satisfactione humana placandum, nec alia lege offerri nobis satisfactionis Christi beneficium. Juvat nonnullos pœnitentiales canones, speciminis instar, recitare : « Qui a fide desciverit, pœnitentiam aget annis decem. Qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annos quinque. Qui opus aliquod servile die Dominico festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua. Si quis jejunia a Sancta Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua. Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua. Si quis hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet. Si laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit tres annos. Pro adulterio septennii et decennii pœnitentia imponitur. Qui usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua. »[5]

Objectiones solvuntur.

213. *Obj.* 1. Christus veniam concessit paralytico, mulieri adulteræ, meretrici, latroni, nulla pœna imposita. Patrem filium prodigum redeuntem excepisse narrat omni lætitiæ indicio, nulla injuncta pœna.

214. *Resp.* Penes Christum erat veniam donare amplissimam, quin inde inferre liceat eamdem indulgentiam semper peccatoribus omnibus exhibendam. Cæterum non constat mulierem adulteram fuisse crimine absolutam. Vehementiori peccatricis dolori, et dilectioni indulsit Christus remissionem integram, quam et in dies sacerdotum opera dat iis qui eadem dilectione flagrant, et vehementia pari plangunt peccata : sed quum hoc paucorum sit, optimo consilio pœnæ irrogantur confitentibus, ut qua valent ratione satisfaciant Dei justitiæ. Patris filium redeuntem excipientis exemplum nobis proponitur, ut infinitam Dei misericor-

(1) L. de lapsis.
(2) Tract. ad Virginem lapsam c. viii.
(3) Serm. cccli. alias l. c. 4.
(4) Supra p. 233.
(5) Plures vide apud S. Alphonsum de Ligorio l. vi. de Pœn. n. 530.

diam erga perditissimos quosque peccatores ex animo conversos miremur : sed justitiæ, quæ plerumque reservantur, jura aliunde innotescunt.

215. *Obj.* 2. Quæ injungit sacerdos confitentibus inter mandata hominum, quæ Christus improbavit, recensenda sunt.

216. *Resp.* Christus inanes Pharisæorum observationes improbavit, quum earum occasione lex divina negligeretur : sed obtemperandum voluit sacerdotibus, et legitimæ omni potestati : « Qui vos audit, me audit; »[1] dixit præconibus a se missis.

217. *Obj.* 3. Levia sunt et inania quæ a sacerdotibus consueverunt injungi, v. g. quarumdam precum, quæ haud intelliguntur, recitatio : hac autem ratione fovetur superstitio et morum corruptela, quum gravissima et immania flagitia sic redimi censeantur.

218. *Resp.* Id præ omnibus exigitur ut cordis contriti et humiliati offeratur Deo sacrificium : quæ autem injunguntur opera ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus, proportionem quamdam cum delictis habeant oportet, quamvis pœnitentis virium, et indolis haud negligenda sit consideratio. Equidem vix possunt impræsentiarum injungi quæ veteris disciplinæ severitatem præseferunt; sed injungenda sunt saltem quæ peccatorem aliquatenus puniunt, et a peccati discrimine longius removent. Nulla fovetur superstitio, vel morum corruptela : omnes enim norunt se non posse Dei veniam consequi, nisi peccatis derelictis, et, pro viribus, expiatis.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTI RATIONE.

219. Veram Sacramenti rationem pœnitentiæ convenire ex disceptatis liquet : est enim ritus externus, judicii formam præseferens, divinitus institutus in peccatorum post Baptisma admissorum remissionem. Patres idcirco passim dicunt eam veluti tabulam naufrago divinitus relictam, ut quam peccato amiserat Baptismi gratiam recuperet. « Hæc igitur venena ejus (*diaboli*) providens Deus, clausa licet ignoscentiæ janua, et intinctionis (*baptismi*) sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere : collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat. »[2] Ad pœnitentiam amplectendam jam hortatus fuerat : « Eam tu peccator, mei similis (immo me minor; ego enim præstantiam in delictis meam agnosco) ita invade, amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, et in portum divinæ clementiæ protelabit : » (*perducet*).[3] Eadem tabulæ imagine usus est Ambrosius.[4] Hieronymus etiam : « Pœnitentia quasi secunda post naufragium miseris tabula. »[5] Sacramenti rationem ei inesse, Patrum judicio, ex comparatione sæpe facta cum Baptismo, sicut et ex miris quos ei tribuunt effectibus manifestum est. Ambrosium jam audivimus remissionem peccatorum contra Novatianos vindicantem, eo quod et baptizando remittant peccata : « Quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? unum in utroque mysterium est. »[6] S. Hieronymus, ut probet ignorantia aliquando peccari, animadvertit homicidam, qui casu interfecerit hominem, ad urbem fugitivorum conferre se debere, « et tamdiu ibi esse, quamdiu sacerdos maximus moriatur, id est redimatur sanguine Salvatoris, aut in domo baptismatis, aut in pœnitentia quæ imi-

(1) Luc. x. 16. (2) L. de pœnit. c. vii.
(3) Ibidem c. iv. (4) Ep. ad Virg. lapsam.
(5) In cap. iii. Isaiæ.
(6) L. i. de pœnit. c. vii.

tatur Baptismatis gratiam, per ineffabilem clementiam Salvatoris, qui non vult perire quemque : nec delectatur mortibus peccatorum, sed ut convertantur et vivant. »[1] S. Augustinus ait : « Si a catechumeno factum est homicidium, Baptismate abluitur; si a baptizato, pœnitentia et reconciliatione sanatur. »[2] Solicitudinem maximam morientium quorumdam ut accipiant Baptismum, aliorum pœnitentiam, describens ait : « Aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, et *Sacramentorum* confectionem atque erogationem : ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? »[3]

220. Materiam et formam in pœnitentia non ejusdem generis ac in Baptismo, vel Eucharistia, exquirere licet, sed pro ratione judicii. Distinguunt theologi materiam *circa quam* versatur ab ea ex qua constat. Versatur circa peccata veluti res judicandas, et quidem necessario circa peccata *mortalia* post Baptismum admissa, quatenus hæc necessario subjicienda sunt sacerdotali judicio in sacro tribunali, quæ idcirco dicuntur *materia necessaria* : peccata vero *venialia* possunt clavium potestate remitti, quamvis et aliis rationibus tolli queant, ideoque vocantur *materia libera*.[4] Mortalia jam hoc Sacramento dimissa, libera materia etiam habentur.[5] Materia vero *ex qua* constat Sacramentum, censetur a plerisque actus pœnitentis, contritio, confessio, et satisfactio, quibus sacerdotis absolutio, tamquam *forma*, accedit, eis tribuens vim et effectus Sacramenti. *Quasi materia* vocantur illi actus, quia non sunt materia, instar aquæ, panis, vini, vel alterius rei sensibilis. Scoti discipulis placet materiam et formam in absolutione totam agnoscere : *materiam* enim eam prædicant quatenus verba sonant, veluti voces aliquæ ore prolatæ, *formam* vero quatenus veniam et remissionem significant. Ne theologorum placitis detraherent Tridentini Patres, *quasi materiam* vocarunt pœnitentis actus, satis habentes definire eos actus ad remissionem peccatorum requiri : « Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur . . . . anathema sit.»[6] Præcesserat Eugenius IV. in decreto pro Armenis, quasi materiam actus pœnitentis designans.

221. Absolutio, quæ forma habetur Sacramenti, verbis deprecantis sacerdotis olim enuntiabatur, sicut etiamnum fit apud Græcos.[7] Indicativa forma sæculo duodecimo exeunte apud Latinos cœpit usurpari, qua scilicet se

(1) Dialog. contra Pelagianos l. i. fol. 125. edit. Basil. an. MDXVI.

(2) L. ii. de adulter. conjug. c. xvi.

(3) Ep. ad Honoratum CLXXX. novæ edit. CCXXXVIII. Oxonienses morientium consolationem apud suos verbis speciosis, quibus rerum veritas male respondet, sic describunt : « When he lieth sick upon his bed, does not his SAVIOUR « make all his bed in his sickness, » when his Minister comes to him, *to receive the confession of his sins*, and to relieve his conscience of the « weighty » things which press it down : and then, (if he humbly and heartily desire it), by virtue of CHRIST's authority committed to him, assures him of the pardon of all his sins. » Vol. i. Tract. 17.

(4) Vide Conc. Trid. Sess. XIV. cap. V.

(5) Benedict. XI. in Decretali : *Inter cunctas*.

(6) Sess. XIV. Can. IV.

(7) Inter preces quas ea occasione recitant, reperitur *Oratio condonatoria super confessos*. In hac dicitur : « Ipse Salvator noster et Dominus Jesus Christus remittat tibi omnia quæ nunc coram tenuitate mea confessus es. »

absolvere affirmat sacerdos, Christi fungens auctoritate. « *Te absolvo*, » præcipua sunt verba, quæ prorsus necessaria sunt, et juxta multos sufficiunt, quamvis sint qui censeant « a peccatis tuis, » ad vim sententiæ definiendam requiri. Omnes conveniunt totam formam, quam præscribit Ecclesia, esse ex præcepto recitandam. Ex varia forma liquet ad disciplinam, quæ pendet ex Ecclesiæ arbitrio, pertinere, utrum verbis deprecantis vel affirmantis sententia exprimatur. Cæterum utroque modo est judicii instar, sed verbis deprecantis rite enuntiatur, quia a sacerdote, non suo nomine, sed Dei, fertur. Hinc S. Leo deprecationi vim solvendi tribuit: « Multum enim utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. »[1]

222. « Si quis dixerit, » inquiunt Patres Tridentini, « absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum . . . . anathema sit. »[2] Equidem quum tota Sacramenti ratio sit instar judicii, absolutio seu sententia sacerdotis absolventis est actus plane judicialis, quo pœnitentem veniæ judicat idoneum, eumque solvit culparum ligaminibus, vere remittens Dei nomine peccata. Ministerium quidem exercet sacerdos, sed non nudum: habet enim potestatem veram remittendi peccata, non tantum declarandi ea esse remissa. Clavium metaphora potestatem veram aperiendi cœli januas peccatorum venia denotat. Patrum testimonia hanc vim sacerdotis sententiæ inesse plane probant.[3] Ejus beneficio frui nequeunt quos peccatorum haud pœnitet; sed non ideo sacerdos mere declarat veniam tribui pœnitentibus: eam enim Dei nomine vere largitur. Quod ad quorumdam inter veteres scholæ doctores sententias attinet, qui sacerdotem declarare tantummodo dicebant peccatorum veniam, loquendi ratione peccasse videntur, potius quam sententia, quippe qui munus non suo sed Dei nomine a sacerdote peragi intelligerent. Cæterum nostrum non interest eorum vindicare placita.

223. Consuevit antiquitus absolutio canonica nonnisi pœnitentia functis concedi, ni mortis immineret periculum, aut gravis alia urgeret causa: absolutionem autem sacramentalem concessam fuisse rite pœnitentibus, arbitrio confessarii, ante peractam publicam pœnitentiam verosimile est: nec enim ulla suppetit ratio cur Ecclesia pœnitentes auxiliis gratiæ destitutos relinqueret, salutis discrimini obnoxios. Absolutionem sacramentalem, qua pœnitentes Deo reconciliabantur, a Canonica, qua Ecclesiæ restituebantur communioni, et fidelium juribus, aperte distinguit Sozomenus, Pœnitentiarii munus describens: « Ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur; ille vero pro cujusque delicto quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes a seipsis pœnas criminum exacturos. »[4] En absolutionem sacramentalem ante pœnitentiam peractam. De absolutione canonica intelligenda sunt quæ deinceps refert de aliarum Ecclesiarum moribus. « Ubi vero præstitutus dies advenit, tamquam debito quodam persoluto, a pœna commissi sceleris liberatur, et reliquo Ecclesiæ populo sociatur. Hæc episcopi Urbis Romæ ab ultima vetustate ad nostram usque ætatem custodiunt. » Liquet igitur nec ipsam priorum sæcu-

(1) Ep. xci.
(2) Sess. xiv. can. ix.
(3) Vide supra p. 231. et seq.
(4) Hist. Eccl. l. vii. c. xvi.

lorum disciplinam iis suffragari qui contendunt pœnitentiam necessario peragendam, antequam quis venia in sacro tribunali donetur. Mitis agendi ratio, qua vere pœnitenti statim ignoscitur, Christi nititur documentis et gestis; paralytico scilicet statim indulsit, seque pastori aberrantem ovem statim in ovile referenti, et Patri in osculum revertentis prodigi ruenti assimilavit : « Cito proferte stolam primam. »[1] S. Chrysostomus in homilia quinque diebus ante festum Christi Nativitatis habita dicit. « Neque mihi quisquam dixerit : « Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. » Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende quod breve est tempus; sed illud considera, quod benignus est Dominus : quandoquidem et Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei a se depulerunt. Nec obstitit illis temporis angustia; sed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, cum ad Christum accessisset, omnia probra diluit. »[2] Merito igitur damnavit Sixtus Quartus hanc Petri de Osma propositionem : « Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta. »[3]

224. Fides docet sacerdotalem potestatem requiri in pœnitentiæ ministro, quod Scriptura et perpetua traditione nixi definierunt Tridentini Patres. « Si quis dixerit . . . non solos sacerdotes esse ministros absolutionis . . . anathema sit. »[4] « Jus hoc, » ait Ambrosius, « solis permissum sacerdotibus est. »[5] « Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, » inquit Leo M. « ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri![6] Diaconi olim, gravissima urgente necessitate, canonicam absolutionem impertiebantur, ut moribundi, scelera sua agnoscentes, pacem Ecclesiæ adipiscerentur, ejus suffragiis post mortem fruituri. Id liquet ex S. Cypriano : « Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. »[7] Quæ coram laicis fiebat aliquando peccatorum confessio, deficiente sacerdote, in humilis animi et pœnitentis indicium peragebatur.

225. Potestas remittendi peccata in ordinatione confertur, sed quum instar judicii exercenda sit, jurisdictio exigitur in eos in quos exerceatur : quapropter non valet absolutio sacerdotis qui jurisdictione caret. Id explicant Tridentini Patres : « Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur : persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse sancta Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem or-

(1) Luc. xv. 22. (2) Hom. de S. Philogonio.
(3) Eumdem errorem damnavit Alex. VIII. an. 1690, prop. 16. 17. et 18. enunciatum, et Clemens XI. in Bulla *Unigenitus*, prop. 87. 88.
(4) Sess. xiv. cap. x.
(5) De pœnit. l. i. c. ii. n. 7.
(6) Ep. cviii. cap. i.
(7) Ep. xiii.

dinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. »[1] Jurisdictio illa ab Episcopo necessario est impetranda, ut sacerdos, seu regularis, sive sæcularis, sæcularium, etiam sacerdotum, audiat confessiones.[2] Nonnunquam limites jurisdictioni apponuntur, vel casus reservantur Episcopis, et etiam Summo Pontifici, in quos proinde nil possunt cæteri. « Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit. »[3] Errores synodi Pistoriensis hac de re reprobavit Pius VI in Constitutione *Auctorem fidei*. Qui his inficiebantur contendebant definitionem Tridentinam respicere absolutionem a censuris; sed liquet eam omnem casuum reservationem complecti : in quos docet Synodus sacerdotes nihil posse extra articulum mortis, quo in discrimine tollitur reservatio, ne hac occasione aliquis pereat.[4]

226. Jam vero Pœnitentiæ tractatui ponendus est finis, plurimis prætermissis quæ ad Ethicen spectant, vel quæ scholarum disputationibus permittuntur. In pœnitentia fidelibus commendanda magnum studium collocandum est; est enim summa prædicationis evangelicæ, ut animæ a peccatis ad virtutem revocentur, Christi gratia, ejus sanguine in Sacramentis abluendæ. Veterum exempla sæpius fidelibus proponenda sunt, ut discant peccata plangere, et se puniendo Dei prævertere vindictam. Pulchre S. Pacianus pœnitentes olim hortatus est : « Flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, provolvi, si quis ad balneum vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere : « Ista felicibus; ego de- » liqui in Dominum, et periclitor in » æternum perire. »[5]

(1) Sess. xiv. cap. vii.
(2) Ibidem xxiii. cap. xv. de Reform.
(3) Ibidem xiv. can. xi.
(4) Ibidem cap. vii. de pœnit.
(5) Paræsesi ad Pœnit.

TRACTATUS XV.

DE INDULGENTIIS.

PRÆNOTANDA.

1. Indulgentiarum occasione orta est Lutheri hæresis : quum enim Leo X. fidelium studium ad eleemosynas in templi S. Petri erectionem conferendas ut excitaret, obtulisset indulgentias, has promulgandi in Saxonia munus Tezelio ex Ordine S. Dominici, et fratribus suis, demandatum est ab Alberto, Archiepiscopo Moguntino; quæ res Luthero aliisque ex Eremitis S. Augustini offensioni fuit. Anno 1517 ad finem vergente, dum turbæ undique confluerent ad indulgentias comparandas, Lutherus Wittenbergi de iis habuit concionem, in qua de earum abusu questus est, et earum necessitatem impugnavit, nova proposita doctrina de fide qua justi efficiamur, nullo satisfaciendi onere gravati, nulla proinde pœnæ indigentes remissione. Credenti Christi justitiam imputari docuit, ad plenam peccatorum veniam. Calvinus ejus pressit vestigia, et æmulatus est calumniandi libidinem, omni prorsus contumelia indulgentias infamans. Præiverant utrique Waldenses et Wickleffitæ : secuti sunt Janseniani, quibus merito accensetur Episcopus infelix Pistoriensis, Riccius cum sua synodo; hi scilicet vim indulgentiarum evacuantes, de sola canonicæ pœnitentiæ relaxatione eas explicant. Oxonienses, indulgentias, quales nunc obtinent, dicunt recentiori ævo esse adinventas.[1]

2. Vera *indulgentiæ* notio, prout in documentis ecclesiasticis usurpatur, est remissio pœnæ temporalis peccatis jam remissis debitæ, facta extra Sacramentum ab eo cui clavium potestas est, et jus thesaurum Ecclesiæ dispensandi. Peccati remissio nulla indulgentiis conceditur : nam hæc pendet ex clavium usu in tribunali Pœnitentiæ; sed pœnæ peccatorum, quas sæpe manere luendas demonstravimus, indulgentiis remittuntur. Quod autem in nonnullis documentis veteribus tertia pars peccatorum indulgentia aliqua remissa dicatur, intelligendum est de pœnis temporalibus iis debita; qua ratione etiam

(1) Tract. 38, vol. i.

explicanda quæ de peccatis omnibus remissis nonnunquam dicuntur.[1] Non aliam indulgentiarum notionem præbuit ipse Tezelius, uti liquet ex libello quem in usum præconum indulgentiarum edidit.[2] Theologus, cujus opus Venetiis impressum est anno 1492, dicit : « Indulgentia non est donum collativum gratiæ, sed privativum pœnæ. »[3]

3. *Plenaria* ea dicitur indulgentia qua tota pœna peccatis debita remittitur : *partialis* ea est qua pœnarum pars tollitur. Notum est pœnitentibus per annos plurimos in operibus durioribus ut se exercerent olim injunctum, peccatis haud adeo gravibus leviori, puta quadraginta dierum, luendis pœnitentia. Indulgentia igitur quadraginta dierum solvit pœnam debitam peccato quod tot dies luere oportebat, juxta veterem canonum disciplinam. Sic indulgentia septem annorum tollit pœnam quam olim septem annos luere necesse erat.

4. Dispositio animi ad indulgentias lucrandas omnino necessaria, est *status gratiæ* : nemo enim potest remissionem pœnæ temporalis, quæ peccatis debetur, consequi, peccati labe haud sublata. Exigitur etiam quædam Deo satisfaciendi voluntas, « bonis operibus inhærendo, commissos excessus plangendo, » uti rescripsit Gregorius VII. Remigio Episcopo, quam exquisiverat indulgentiam plenariam ei elargiens.[4] Hinc [animadvertit scriptor protestanticus Reinhard in omni indulgentiarum Bulla exigi, ut contriti confiteantur peccata qui eas lucrari cupiunt.[5]

5. Calumniantur qui dicunt indulgentiis dari licentiam peccandi,[6] vel remissionem *per anticipationem*, quasi jam remittantur pœnæ quæ peccatis in posterum patrandis debebuntur. Nil autem vetat concedere indulgentias, quarum beneficio in mortis discrimine positi frui valeant : nam non actu recipiunt veluti *per anticipationem* indulgentias hujusmodi, sed fiunt idonei ut eis in illo discrimine fruantur. Sic proficiscentibus ad bellum sacrum Urbanus II. indulgentiam plenariam concessit, quæ in mortis articulo valeret, dummodo tamen vere pœnitentes obirent : « Qui autem in vera pœnitentia decesserint, et peccatorum indulgentiam et fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros. »[7]

(1) Perrone tract. de Indulgentiis. n. 37. nota.

(2) Instructions-Büchlein für die Prediger, zur Anpreisung des Ablasses, cit. a Audin *Vie de Luther*, p. 155.

(3) L. vi. c. 6. (4) L. i. ep. xxxiv.

(5) « Alle über den Ablass erschienen päpstlichen Bullen setzen als Bedingung fest, dass der Ablass-suchende seine Sünden beichten, unde bekennen, und eine Büssung übernehmen muss. » Reinhard p. 277.

(6) *Taxam Cancellariæ Romanæ* ex libello famoso quem Lugduni edidit anno 1564 Pinetus, Calvinianus homo, protulit nuperrime, post tot alios, præco e Baptistarum secta, ut probaret cuilibet flagitio veniam olim in Curia Romana tribui, imo licentiam illud patrandi dari consuevisse, certo soluto pretio : sed calumniam dissipavit Episcopus Carolopolitanus, ostendens libellum illum nulla prorsus fide dignum, utpote ab adversario infenso in lucem primum editum, et rejectum prorsus et damnatum a Romanis tribunalibus. Siluisse Lutherum et Calvinum de consuetudine adeo fœda, si unquam extitisset, ultra omnem fidem est. Vide Præsulis prælaudati egregias hac de re litteras.

(7) Conc. Claromont. De jure quo sacra illa bella gesta sunt, egit erudite satis et accurate Protestanticus præco B. M. Drake, e secta Methodistarum, districtui Natchetensi præfectus, in dissertatione quam habuit coram quodam Lyceo, Martii 12 die 1836. Inter cætera dicit : « It is our deliberative opinion that no aggressive war was ever undertaken from more just and christian motives. It was not a war to propagate their faith, but to relieve their suffering brethren from persecution. The Turks had no more just right to the dominion of Palestine than the French. . . . We do not say that aggressive war is right, but in this case, it seemed to be the only way to prevent invasion. Had the European princes waited until they were attacked, the Turks could have easily conquered them all in detail. »

6. Colligi olim consuevisse eleemosynas occasione indulgentiarum promulgandarum in confesso est: unde orta est calumnia eas fuisse venales: sed quæ dabantur eleemosynæ in rei christianæ subsidium, non fuerunt pretium quo indulgentiæ comparabantur. Inter conditiones iis lucrandis necessarias eleemosynarum largitio locum habebat, quod virtutis exercitium in Scripturis admodum commendatur. Cedebant in communem utilitatem: dabantur enim ad Ecclesias ædificandas, ad impensas bellorum sacrorum faciendas, ad orphanotrophia erigenda, et ad alia plurima charitatis christianæ opera, necnon aliquando ad publicos usus pontium extructione, et viarum refectione. Qui eas colligebant *Quæstores* dicebantur, quorum excessus Pontifices et Concilia pluries reprobarunt, munusque tandem in Concilio Tridentino prorsus abrogatum est. Cæterum inter conditiones indulgentiæ, quæ dicitur Jubilæus, eleemosynarum largitio adhuc recensetur, quas tamen unusquisque pro suo arbitrio in opus quodcumque pietatis vel charitatis tribuit, nemine eas colligente. Concesserunt etiam plures Summi Pontifices indulgentias societati in Galliis cœptæ et florenti jam in pluribus Europæ regnis, cujus membra singulis hebdomadibus obolum in Missionum Sacrarum auxilium conferunt. Quis hoc improbet? Quæ Cruciatæ nomine in regno Hispaniarum dantur dispensationes et indulgentiæ, parva eleemosyna [1] tributa in usus publicos, olim in subsidium missionariorum Palæstinæ, grave vulnus disciplinæ ecclesiasticæ intulerunt contra mentem Pontificum, qui ab abstinentia dispensandum, ex utriusque medici consilio, voluerunt.

CAPUT I.

DE POTESTATE INDULGENTIAS CONCEDENDI.

7. Tridentinum Concilium, plurimas quæ de indulgentiis agitabantur quæstiones consulto prætermittens, satis habuit definire Ecclesiam a Christo accepisse potestatem eas concedendi, et eas esse utiles: « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. »[2] Fidei igitur dogma est potestatem indulgentias concedendi a Christo Ecclesiæ concessam esse, easque esse utiles.

Propositio.

Est in Ecclesia potestas indulgentias concedendi, quæ et utiles sunt.

8. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Petro dictum est: « Tibi dabo claves regni cœlorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. »[3] Cæteris quoque Apostolis ligandi et solvendi potestas amplissimis verbis est data.[4] Illa solvendi potestas, clavium metaphora significata, auctoritatem denotat omnia tollendi quæ cœli ingressum impediunt. Ergo vi illorum verborum possunt Ecclesiæ Præsules pœnas temporales remittere: hæ enim obstant ne anima cœlum ingrediatur.

9. Hujus potestatis exercitium erga Corinthium pœnitentem videmus.

(1) Dos reales y medio.
(2) Sess. xxv. in decreto de indulgentiis.
(3) Mat. xvi. 19.
(4) Mat. xviii. 18.

Quum Paulus eum incestus reum communione Ecclesiæ privasset, et satanæ tradidisset in interitum carnis, humiliatum jam et pœnitentem venia amplissima donavit, orans fideles ut benignius eum haberent. « Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus : ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est. . . . Cui autem aliquid donastis, et ego : nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.» — καὶ γὰρ ἐγὼ ὃ κεχάρισμαι, εἴ τι κεχάρισμαι δι' ὑμᾶς, ἐν προσώπῳ Χριστοῦ. [1] Plenam delicti veniam Christi auctoritate donare se significat : quod culpam jam pœnitentia sublatam indicat, et pœnas temporales cum censura canonica remissas ostendit. Datam ab Apostolo non tantum Ecclesiæ communionem externam, sed etiam plenissimam quamdam indulgentiam Christi nomine inde colligere est.

10. *Patres damus interpretes.* S. Joannes Chrysostomus agnovit Apostolum veniam largitum esse quam ipsa pœnitentiæ vehementis ardua opera haud merebantur : « Quamvis peccatum confessus fuerit, ipsiusque pœnituerit, ostendit tamem eum non tam pœnitentiæ opera, quam gratia et beneficio veniam consequi. Unde subdit : « ob idque donetis et consolemini ; » et quod sequitur idem declarat : non enim, inquit, quod id promereatur, nec quod eam quam par sit pœnitentiam præstiterit ; sed quia infirmus est, idcirco hoc peto : « ne forte abundan- » tiori tristitia absorbeatur, qui est » ejusmodi : » quæ verba sunt hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinentis . . . . hincque docemur, quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam. » [2] Liquet Chrysostomum censere Apostolum de pœnitentiæ severitate aliquid remisisse, ideoque de pœna ob quam luendam pœnitentia erat peragenda.

11. Item Theophylactus : « Pulchre autem dixit Apostolus *donare :* attendit enim quod non tantum ex pœnitentia sua, quantum ex gratia et donatione dimissionem recipiat. » [3]

12. S. Pacianus hoc objecit exemplum Novatiano homini : « Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem ? vides mitissimam lenitatem, longe a vestro supercilio separatam ? longe a Novatiani fronte dissimilem, communi vero vitæ ac saluti omnium consulentem. » [4]

13. *Probautr* 2. *ex perpetua Ecclesiæ consuetudine.* Sæculis secundo et tertio sæpissime martyrum rogatu, precibus scilicet eorum qui fidei causa supplicium tulerant, relaxabant Episcopi leges pœnitentiæ, reos ampliori venia donantes. Tertullianus dicit : « Pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt. » [5] S. Cyprianus pluribus in locis testatur hanc esse consuetudinem, et modum adhibendum orat, ne temere quid fiat. [6] Nicænum Concilium de pœnitentibus statuit : « Licebit Episcopo de his aliquid humanius statuere. » [7] Sic et Ancyranum, [8] et Laodicenum II., [9] et Carthaginense IV. [10] Patres quarti et quinti sæculi hanc potestatem passim in Episcopis agnoscunt, ut canonum, qui pœnitentiæ opera præscribebant, severitatem relaxent. Sæculo XI, Urba-

(1) II. Cor. ii. 6.
(2) Hom. iv. in ii. Ep. ad Corinth.
(3) In locum. (4) Ep. iii. ad Sympronianum.
(5) L. ad Martyr. c. i.
(6) Ep. xiii. ad Presbyteros et Diaconos Carthagin. Ep. x. ad Martyres. L. de Lapsis.
(7) Can. xii. (8) Can. v.
(9) Can. ii. (10) Cap. lxxv.

nus II., in Concilio Claromontano omnem pœnam remisit illis qui, devotionis et fidei studio, laboribus et periculis pro Terra Sancta recuperanda sese objicerent. Idem indulserunt plures alii Pontifices. S. Bernardus indulgentias ab Eugenio III. concessas promulgavit tanto cum fidelium studio ad eas lucrandas, quod urbes et castella vastarentur, plerisque ad bellum sacrum se conferentibus.[1] Sæculo XII. indulgentiæ quasdam Ecclesias visitantibus concessæ sunt. Jam vero constat pœnas a canonibus eo consilio impositas fuisse ut Deo satisfieret pœnitentium operibus: ergo relaxatis hac in re canonibus indulgentiarum concessione, remissa est Præsulum auctoritate pœna quæ alias luenda erat.

14. Indulgentiarum usum maxime salutarem esse liquet ex eo quod pia foveant opera, quæ ad eas consequendas injunguntur, et contritionem cordis omnino exigant, et virtutum uberes fructus pariant, uti ex Jubilæi celebratione, qui solemnior est indulgentia, ubique innotuit.

Objectiones solvuntur.

15. *Obj.* 1. Paulus Corinthium ab excommunicatione absolvit, quin pœnam aliquam remiserit, eique dicit donasse se, si vere aliquid donaverit, Christi nomine, cæterorum fidelium causa, quos secum donare innuit.

16. *Resp.* Apostolus Corinthium tradiderat satanæ in pœnam delicti, eumque pœnitentem plenissima donavit venia. Merito igitur censendus est omnem remisisse pœnam temporalem, quum Christi nomine egerit. Dubitare se haud significat iis vocibus: « Si quid donavi; » sed utitur græca loquendi ratione, cujus vis est: « quidquid tandem donaverim; » modeste de potestatis suæ exercitio, et largitione veniæ loquens. Motus est utilitatis omnium studio ad veniam illam concedendam; novit enim indulgentiam pœnitenti præstitam in aliorum cessuram commodum et profectum. Eos ad donandum hortatus est, quia omnibus facta erat injuria, crimine quod omnibus probro erat, et omnes sibi mente jam adsciverat, plexurus gladio spiritali prævaricatorem, omnibus veluti probantibus. Jam igitur cupit ut injuriæ obliviscantur, et jura communionis et consortii fraterni, quæ ex ipsius mandato subtraxerant, restituant. Cæterum aliter donat veniam, Christi personam gerens.

17. *Obj.* 2. Christus ligandi et solvendi potestatem pollicens, retinendi quoque et remittendi peccata, illam distinctionem inter culpam et pœnam non statuit, nec inter absolutionem sacramentalem a culpa, et remissionem pœnæ extra Sacramentum.

18. *Resp.* Christus amplissimis verbis auctoritatem tradidit quæ variis rationibus exercenda est. Distinctionem culpam inter et pœnam necesse non erat statuere: innotuerat enim ex divina œconomia erga peccatores in Scripturis veteribus relata Cæterum verbis specialibus tradidit potestatem remittendi peccata, quæ culpæ reatum directe respicit, pœnas nonnisi indirecte. Quum autem culpæ remissio gratiam et justitiam secum ferat, Sacramentum habetur ritus quo ea contingit: relaxatio vero pœnæ potest extra Sacramentum fieri, quia fit absque nova gratiæ collatione. Igitur ex verbis Christi recte inferimus pastores Ecclesiæ posse culpas et pœnas remittere, præsertim quum præcepto ligent ad pœnas satisfactionis instar luendas.

19. *Obj.* 3. Martyres pacem lapsis tribuentes, vel impetrantes, communionem Ecclesiæ, non vero pœnæ alicujus coram Deo remissionem iis

(1) Bernard. Ep. cexlvi. L. ii. de Consid. c. i.

obtinuerunt. Eos etiam graviter increpuit Cyprianus ob eversam hac ratione disciplinam, imo Dei legem violatam.

20. *Resp.* Pacem et communionem Ecclesiæ cum omnibus quæ amiserant defectione jura martyres lapsis impetrabant. Quoties hæc, justa urgente causa, dabantur Præsulis auctoritate, ea agnovit Cyprianus apud Deum valere : « qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud presbyterum quemcumque præsentem . . . . exomologesin facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. »[1] Pax igitur plena erat venia, quando dabatur vere pœnitenti, et æquam ob causam. Cæterum leviter et temere oblata disciplinæ et Evangelii vigori adversabatur; quapropter merito questus est Cyprianus de nimia martyrum quorumdam in porrigendis precibus ad eam impetrandam facilitate.

21. *Obj.* 4. Episcopi canonum relaxantes severitatem, nihil de Dei juribus in peccatores remiserunt; sed christiani hominis privilegia restituerunt pœnitenti, indiciis eximiis doloris datis.

22. *Resp.* Quum constet ex libris pœnitentialibus et ex Patrum scriptis, pœnas a canonibus præscriptas satisfactionis Deo oblatæ habuisse rationem; canonum hac ex parte relaxatio pœnarum peccatis debitarum remissio censenda est. Pœnitentibus, qui majori doloris vi plangebant admissa, venia merito dabatur facilius, utpote magis idoneis ei suscipiendæ : quorum conatus potestatis a Christo datæ exercitio adjuvare præstabat.

23. *Obj.* 5. Indulgentiarum, quales in veteri Ecclesia usurpabantur, usus nullus est, abrogata pœnitentiæ publicæ disciplina : supervacaneum quippe est relaxare leges quæ a sæculis pluribus haud vigent.

24. *Resp.* Indulgentiarum usus non fuit, uti ostendimus, mera relaxatio canonum, sed remissio Christi nomine facta pœnæ temporalis, ad quam luendam opera pœnitentiæ a sacris canonibus præscripta sunt. Eadem viget nunc ratio, quum divina justitia nullis temporum vicibus varietur. Nil igitur interest leges ecclesiasticas abrogatas diu fuisse, quum indulgentia remittat pœnam peccatis debitam.

25. *Obj.* 6. Indulgentiarum origo a satisfactionum severiorum quæ olim pœnitentibus injungebantur relaxatione petenda est : « Remissio, quæ talibus fiebat, indulgentia vocabatur. Ubi autem satisfactiones ad Deum transtulerunt, ac compensationes esse dixerunt, quibus se redimant homines a judicio Dei, simul etiam indulgentias eo traxerunt, ut essent expiatoria remedia, quæ nos pœnis meritis liberant. » Ita Calvinus.[2]

26. *Resp.* Constat ex Cypriani, Augustini, et cæterorum Patrum testimoniis satisfactiones illas ad Deum semper referri consuevisse, quæ idcirco viguisse noscuntur Tertulliani ætate, antequam pœnitentiæ exercitia canonibus definita fuerint. Antiquissimum igitur morem esse indulgentias concedendi fateri debet Calvinus, qui eas cum pœnitentiæ disciplina connexas agnoscit. Eas vero habere vim quamdam expiandi, satisfactionum quum locum suppleant, manifestum est.

27. *Obj.* 7. Indulgentiæ olim extiterunt venales, unde locus est conjiciendi eas ex turpi lucri cupidine excogitatas.

(1) Ep. xiii. ad presbyteros et diaconos Carthag.

(2) Inst. l. iii. c. v. n. 5.

28. *Resp.* Aliquando, uti supra diximus, concedebantur indulgentiæ iis qui eleemosynas in rei christianæ subsidium sponte conferrent; quod non erat venales eas exponere, sed gratiæ et beneficii spiritalis intuitu fideles ad opera charitatis allicere. Sicut in Evangelio magna promittuntur præmia eleemosynas facientibus, ita visum est Præsulibus Ecclesiæ thesauros spirituales effundere, ut fideles ad eleemosynas largiendas excitarentur. Sic Concilium Triburiense anno 895 permisit iis qui jejunare non poterant, juxta canonum vigorem, ut eleemosynarum largitione jejunia veluti redimerent; exigens tamen ut impedimento cessante jejunarent: « postquam de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto tempore pœniteat. »[1] Abbas Regino in collectione manuscripta redemptiones illas recensuit: « Si quis forte non potuerit jejunare, et habuerit unde possit redimere, si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos viginti, » etc.[2] Occasione bellorum quæ susceperunt Christiani crucesignati, indulgentiæ oblatæ sunt cuicumque qui « pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit; »[3] et etiam omnibus pecuniam in belli sacri impensas, vel milites suppeditantibus. Æquum visum est ut qui fidei studio pecuniam conferrent, haud omni carerent mercede apud Ecclesiam, ideoque et pœnitentiæ severitas his mitigata est. Simili ratione indulgentiæ postea concedebantur iis qui sponte conferebant eleemosynas in Ecclesiarum erectionem, vel in alia pietatis opera: quæ tamen nunquam in alicujus privatam utilitatem cedere debebant. Hodie ubique terrarum exquiruntur a fidelibus subsidia in pia opera, absque illa indulgentiæ pollicitatione: quæ quidem si adjiceretur, non desinerent eleemosynæ esse voluntariæ, et Deo acceptæ. Cæterum ob Quæstorum abusus, qui vel indulgentiarum vim exaggerabant, vel nimis importunos se præbuerunt in eleemosynarum petitione, munus illud a Concilio Tridentino abrogatum est. « Abusus vero, » inquit, « qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. »[4]

29. *Obj.* 8. Infamis prorsus fuit olim indulgentiarum nundinatio: nam vendebatur a Pontifice jus colligendi eleemosynas fidelium, quæ proinde in privati hominis, emptoris scilicet, cedebant utilitatem.

30. *Resp.* Non ea fuit consueta ratio eleemosynas colligendi; sed quum urgeret necessitas, non iniquum Leoni X. visum est a divite statim recipere summam templi erectioni impendendam, quam hic ex eleemosynis fidelium colligendam sperabat. Non ideo mutata est ratio indulgentiarum: fideles enim sponte offerebant eleemosynas, quæ divitem indemnem redderent de soluta Ecclesiæ causa pecunia. In privatam utilitatem non cedebant, quamvis contingere posset ut cui locatum erat jus eas colligendi aliquid lucraretur, quod periculum in se susceptum compensaret. Cæterum magna secum trahere incommoda, et speciem malam præseferre illam agendi rationem haud

(1) Can. lvi.
(2) Apud Drouenium de re Sacramentaria l. vi. qu. vii. de Indulgentiis.
(3) Conc. Claromontan. an. 1095.
(4) Sess. xxv. Decr. de Indulgentiis.

gravamur fateri : [1] nostrum enim non interest quicquid occasione indulgentiarum factum fuerit vindicare, sed ipsam eas elargiendi potestatem, et earum utilitatem.

31. *Obj.* 9. Bonis moribus adversatur indulgentiarum usus, qualis in Ecclesia Romana obtinet : levissimis enim actibus plurimorum dierum, imo et annorum indulgentiæ conceduntur, quæ adeo multiplicantur, præsertim in regionibus catholicis, ut cœlum modico mercentur incolæ, tantis ditati beneficiis.

32. *Resp.* Morum fovet integritatem et sanctitatem indulgentiarum usus : eas enim nemo lucrari valet qui animo haud detestetur peccatum, et Dei gratia non fruatur. Quod autem actibus qui levissimi in se videntur indulgentia aliquando amplissima adnectatur, contingit plerumque ob specialia rerum adjuncta. Sic osculum crucis in amphitheatro Flaviano erectæ dierum ducentorum pœnitentiam solvit, quia specialis affectus erga Christum Dominum monstratur ipso quo martyrum sanguis effusus est loco. Magnum sensum pietatis hac ratione excitandum sibi polliciti sunt merito Pontifices supremi. Cæterum plurimæ indulgentiæ circumferuntur quæ incertæ sunt, vel plane suppositiæ. Quod ad copiam in catholicis regionibus oblatam attinet, majora illis salutis subsidia tribui ostendit, quam rationem in ipsa Dei erga genus humanum œconomia adorare oportet : sed quum indulgentiæ temporales pœnas tantum respiciant, cœli gaudia non alia lege ubique promittuntur, quam ut fide, spe, et dilectione colamus Deum, omnibus cupiditatibus compressis : « abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. » [2] Certe facilioribus conditionibus cœlum pollicentur Protestantes, satisfactiones omnes et pœnitentiæ opera rejicientes.

33. *Obj.* 10. Illa indulgentiarum doctrina ingeniose quidem excogitata est ad argumentis quibus impugnantur satisfaciendum : re autem vera plerisque persuasum est omnia sibi licere, indulgentia impetrata, quo pacto plurimi in vitiis consenescunt, indulgentiæ plenariæ sub mortem fiducia.

34. *Resp.* Quotquot sunt Catholici per orbem norunt absque pœnitentia et morum emendatione nullam sibi sperandam esse salutem, nihilque per se malum posse ulla auctoritate licere. Nemo adeo ignarus reperiri poterit, qui indulgentiæ consequendæ spe vitiis inhæreat : quamvis sint plurimi qui divinæ misericordiæ, quam verbis amplissimis efferunt sacri scriptores, fiducia peccare pergant. Profecto ipsa plebs catholica optime intelligit indulgentias ea præsertim niti conditione, ut corde contrito deponantur confitendo peccata. Quod si forent qui ignorantia vel superstitione aliqua abuterentur indulgentiis, non est cur legitimus earum usus tollatur.

35. *Obj.* 11. Indulgentias lucrandi studio virtutum negligitur exercitium, adeo ut tota sit solicitudo in confessione peragenda, et suscipienda communione, et paucis recitandis precibus.

36. *Resp.* Qui hæc munia rite obit, ad virtutes exercendas impellitur : quod si quis in iis consistat, neglectis virtutibus, culpandus erit, quin ideo damnandæ sint indulgentiæ. Cæterum

(1) « Che poi questo ritratto dell' Indulgenze fosse venduto ad appaltatori particolari, ha parimente sconcia sembianza ; e tale, ch' io confesso ingenuamente, essersi dovuto più tosto divorare ogn' incommodo, che dar questo scandalo, o attivo, o passivo, ch' egli si fosse, a Cristiani. Ma considerato l'affare in se stesso, chi è perito dell' umano commerzio, vedrà come a pena si poteva tener altro modo. » Pallavicini, Istoria del Concilio di Trento l. i. cap iii. p. 56. (2) Tit. ii. 12.

conditiones quibus nituntur, virtutum exercitium exigunt : et experientia constat tunc maxime has florere, dum indulgentiæ promulgantur.

37. *Obj.* 12. Si satisfactiones divino jure præcipiantur, uti tenent Catholici, eas remittere nequit Ecclesia.

38. *Resp.* Deus pœnas exigit temporales a peccatore, qui idcirco in pœnitentiæ opera incumbere debet : sed quum remissionis facultatem Christus Apostolis dederit, ipsius auctoritate tollitur debitum ad quod solvendum opera illa peragenda erant. Igitur divino juri non derogatur, quum Dei nomine fundamentum satisfactionum tollatur : sicut quisque tenetur proximo suo quod debet solvere; sed remissione debiti sponte facta a creditore, eo onere immunis fit debitor. Cæterum non omnis satisfaciendi tollitur indulgentiis necessitas, sed adjuvatur infirmitas nostra, ut quod nobis deest, ex thesauro Ecclesiæ suppleatur.

39. *Obj.* 13. Indulgentiæ, quales hodie prædicantur, omnino diversæ sunt ab iis quæ Lutheri tempore, et sæculis prioribus consueverunt promulgari : hæ enim dicebantur immania quæque flagitia remittere.

40. *Resp.* Ex libello Tezelii, quem laudavimus, constat eamdem traditam ab ipso indulgentiarum notionem ; nec eum monstra illa ac portenta unquam protulisse. Consueverunt quidem indulgentiarum præcones verbis Ezechielis plenam polliceri veniam flagitiosissimo cuique, dummodo eum vere pœniteret.

CAPUT II.

DE INDULGENTIARUM VIRTUTE.

41. Indulgentias olim relaxasse pœnitentiæ canones apud omnes in confesso est : eas vero pœnam divinæ justitiæ debitam coram Deo remittere præfracte negant hæretici. Lutherus dixit : « Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam. »[1] Simili errore Janseniani plures laborant, inter quos auctor synodi Pistoriensis, in qua docetur « indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti. »[2] Hanc propositionem sic intellectam, « quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam, » damnavit Pius VI. tamquam falsam, temerariam, Christi meritis injuriosam, ac dudum in articulo 19° Lutheri damnatam. Proxime ad fidem accedit doctrina, qua indulgentiæ censentur pœnas temporales apud divinam justitiam remittere : nam si de sola canonicarum pœnarum relaxatione ageretur, haud ægre assentirentur ipsi novatores.

Propositio.

Indulgentiæ valent ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.

42. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Indulgentiæ conceduntur, uti jam probavimus, vi potestatis clavium, qua solvuntur peccatorum ligamina, et cœli panduntur januæ. Ergo valent ad pœnæ temporalis peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam remissionem. Equidem juxta probata, ratum habetur in cœlis hujus potestatis exercitium, quod in persona Christi a Præsulibus Ecclesiæ fit.

43. *Probatur* 2. *ex Patribus.* Tertullianus, ad Montanistas delapsus, martyrum intercessionem pro mœchis im-

(1) Art. xix. a Leone X. damn.

(2) Constitutio quæ incipit : *Auctorem fidei.*

pugnat : « Quis permittit homini donare quæ Deo reservanda sunt? Sufficiat martyri propria delicta purgasse. »[1] Censuit ergo Catholicos credere veniam, martyrum intercessione datam, ad delictorum purgationem dirigi. S. Cyprianus, loco jam adducto, docet fideles prærogativa martyrum apud Deum adjuvari posse.

44. *Probatur* 3. *ratione theologica.* Indulgentiæ quæ pœnas canonicas remitterent, pœna apud Deum haud remissa, magis obessent, quam prodessent, quippe quæ pœnitentiæ opera tollerent, pœna manente. Præterea conceduntur indulgentiæ, abrogata jam a pluribus sæculis disciplina canonica. Ergo ad pœnam ipsam apud Deum remittendam diriguntur.

Objectiones solvuntur.

45. *Obj.* 1. Indulgentia olim erat remissio pœnæ canonicæ : ergo idem nunc sentiendum; nec proinde aliquam pœnam apud divinam justitiam tollit.

46. *Resp.* Indulgentia post pœnitentiæ disciplinam inductam relaxabat canones, simulque remittebat pœnam coram Deo ob quam luendam canones pœnitentiæ opera præscribebant. Ante latos canones, et post eorum abrogationem, indulgentiæ vis in sola pœnæ apud Deum remissione ponenda est : nec enim relaxatur lex, quæ jam est abrogata.

47. *Obj.* 2. Formulæ adhuc usurpatæ ostendunt canonum relaxationem etiamnum fieri indulgentiarum concessione: nam temporis spatiorum pœnitentibus olim adsignatorum fit mentio. Sic indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum ad disciplinam pœnitentiæ plane refertur.

48. *Resp.* Consuevit Ecclesia veteres formulas retinere, veluti pristinæ ætatis monumenta. Ideo autem concedit indulgentias hujusmodi verbis, ut intelligamus pœnas temporales remitti, quæ per ea temporis spatia, juxta canones, essent luendæ.

49. *Obj.* 3. Concilium Tridentinum declaravit se cupere moderationem servari in indulgentiis concedendis, ne disciplina enervetur. Jam vero si tota canonum disciplina de pœnitentiæ operibus abrogata sit, inanis est metus ne enervetur.

50. *Resp.* Disciplinam Ecclesiæ suo tempore vigentem intellexerunt Patres Tridentini, canones autem pœnitentiæ a quinque saltem sæculis desierant servari. Nimia facilitate indulgentias concedendi pœnitentiæ exercitia, quæ sponte suscipiuntur, vel a sacerdotibus in sacro tribunali injunguntur, negligi possent, ideoque moderationem in iis concedendis servandam cupiebat Concilium.

51. *Obj.* 4. Fervori pœnitentium canones veteres aliquid indulgendum censuerunt, quum e contra hodierna tempestate indulgentiæ ratio præbeatur, quod deferbuerit pœnitentiæ studium, nec spes sit pœnitentiæ ardua exercitia suscipiendi. Ergo indulgentiæ notio tota mutata est; apud veteres quippe significabat relaxationem pœnæ canonicæ in foro externo : apud recentiores est remissio pœnæ apud Deum, subsidii instar infirmitati præstita.

52. *Resp.* Fervoris pœnitentium causa merito relaxata est severitas disciplinæ, ut quo majori flagrabant studio Deo satisfaciendi, majorem experirentur Ecclesiæ liberalitatem Cæterum et aliis sæpius indulserunt Episcopi, precibus martyrum moti, quod argumentum est de pœnis apud Deum remitti. Monet Chrysostomus Apostolum Corinthio indulgentem infirmitatis ejus habuisse rationem : quam maximopere vult attendendam in peccatoribus sanandis. Nil mirum si ob rationes fere inter se

(1) Lib. de Pudicitia cap. ult.

oppositas Ecclesia potestatem sibi datam exerceat, pro personarum et temporum diversitate, ut fervidos præmio muneret, infirmis vero subveniat. Hæc œconomia sapiens et provida, non aliam veteribus, aliam hodiernis Præsulibus indulgentiarum notionem placuisse probat : utrisque enim vera habita est pœnæ apud Deum remissio, parcius vel largius pro adjunctorum varietate tributa.

Animadversio.

53. Moderationem quam commendarunt Patres Tridentini in indulgentiis concedendis desiderari queruntur nonnulli, ob magnam earum quæ plenariæ sunt copiam, quæ hodie habetur. Cæterum supremorum Ecclesiæ rectorum est judicare qui modus adhibendus sit pro temporum diversitate. Studium fidelium ad eas lucrandas videtur accensum recentioribus his temporibus, quod Pontifices fovendum duxerunt, ut eo magis clarescat Ecclesiæ auctoritas ab hæreticis frustra impugnata, et ut Sacramentorum susceptorum frequentia, et bonorum operum exercitio Deus honoretur.

CAPUT III.

DE THESAURO ECCLESIÆ.

54. Clemens VI. in Constitutione quæ incipit : *Unigenitus Dei Filius*, dicit : « Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit . . . . ad cujus quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, et omnium electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur. » Lutherus in hanc doctrinam insurrexit, dicens : « Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum. »[1] Synodus Pistoriensis docuit « Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi, et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum ; » quam propositionem intellectam quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum, falsam, temerariam, Christi et Sanctorum meritis injuriosam, dudum in articulo XVII. Lutheri damnatam, reprobavit Pius VI.[2]

55. Abundantem esse satisfactionem a Christo præstitam, res est apud omnes explorata : quapropter thesauro infinito ditasse Ecclesiam credendus est. Attamen merita Sanctorum adminiculum præstare dicuntur, quia quatenus satisfactiones sunt, per Christum Deo Patri offeruntur ad luendas pœnas aliis debitas. Totum meritorum præmium Sanctos accepisse constat ; sed quum plures vitæ illibatæ sponte sibi inflixerint pœnas, vel supplicia et mortem propter Christum passi sint, vis quædam satisfaciendi in iis reperitur, quæ aliis communicari queat : illud scilicet est Sanctorum in Christo consortium, ut sit communicatio satisfactionum. Ad fidem proxime accedit doctrina de thesauris quam exposuimus.

Propositio.

Thesauri Ecclesiæ, unde dantur indulgentiæ, sunt merita Christi et Sanctorum.

56. *Probatur ex ipso Ecclesiæ sensu et doctrina.* Quæ de indulgentiis Clemens VI. tradidit Constitutione prælaudata, ex sensu et traditione Ecclesiæ derivata sunt, et ejus consensu agnita. Porro consona sunt iis quæ de Sanctorum operibus sentire juvat, habita ratione virtutis quam ex Christi gratia derivant, et ex communione qua omnia Christi membra inter se gaudent. Re

(1) Art. xvii.

(2) Constit. *Auctorem Fidei.*

quidem vera SSmæ Virginis omni labe immunis cruciatus, anima gladio transfixa ; S. Joannis Baptistæ austera vita, et Sanctorum plurimorum propter Christum labores vim quamdam expiandi et satisfaciendi, illis procul dubio haud necessariam, habent : quam æquum est, et divinæ misericordiæ consonum, in nostram cedere utilitatem. Ecclesiæ autem est omnibus suis filiis consulere, clavium potestate, et æqua thesaurorum quibus ditatur dispensatione.

57. In operibus quæ justi pro aliis suscipiunt, et Deo offerunt, vel ut convertantur peccatores, vel ut avertantur pœnæ a justis, communicationis hujusmodi exemplum videre est. Sic Ambrosius de Corinthio agens ait : « Jam tunc igitur Apostolus reddendum sacramentis judicavit cœlestibus, si purgari se ipse vellet. Et bene ait, *expurgate ;* velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato, et in homine mundatur interiore Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, quæ Domini Jesu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur. » [1] Et iterum : « Consideremus ipsum Apostoli sermonem : « Ex» purgate, » inquit, « vetus fermentum, » ut sitis nova conspersio, sicut estis » azymi. » Sive quod tota Ecclesia suscipiat onus peccatoris, cui compatiendum et fletu, et oratione, et dolore est : et quasi fermento ejus se totam conspergat; ut per universos ea quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente virilis misericordiæ, aut compassionis, velut collativa quadam admixtione purgentur. » [2]

Objectiones solvuntur.

58. *Obj.* 1. Injuria fit Christo, Sanctorum meritis, seu satisfactionibus, tamquam thesauri sui adminiculis adhibitis : « qui enim poterat fœdius profanari Christi sanguis, quam dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi velut arescentis et exhausti defectus aliunde suppleatur et sufficiatur ? » [3] Ita Calvinus.

59 *Resp.* Satisfactiones Sanctorum non adjiciuntur, veluti ad defectum supplendum; sed juxta divinam œconomiam qua inter Christi famulos consortium sanctum, et communicatio satisfactionum statuitur, quarum tamen vis omnis a Christi gratia et meritis derivatur. Equidem Apostolus absque Christi injuria dixit : « Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. » [4] Quæ igitur Calvinus congerit de remissione peccatorum martyrum sanguini tributa, et de sanctificatione a martyribus perfecta, carent fundamento, et a libidine calumniandi proficiscuntur.

60. *Obj.* 2. « Præclare adversus hæc sacrilegia Leo Romanus Episcopus ad Palæstinos, epist. 81 : Quamvis, inquit, multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit (Ps. 116. 15.), nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepere justi, non dederunt coronas, et dé fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona justitiæ : singulares quippe eorum mortes fuere, nec alterius quispiam debitum suo fine persolvit : quum unus extiterit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati. » Ita Calvinus. [5]

61. *Resp.* Nihil in his adversatur indulgentiis; nec enim alium quam Christum agnoscimus propitiationem mundi, nec ad alium accepta dona justitiæ referimus, nec quempiam debitum alterius

(1) De Pœnitentia l. 1. c. xv. n. 80.
(2) Ibidem n. 81.
(3) Inst. l. iii. c. v. 2. (4) Coloss. i. 24.
(5) Inst. l. iii. c. v. 3.

suo fine persolvisse dicimus. Quæ igitur ex Leone objicit Calvinus, probant quod apud omnes in confesso est, nos Christi morte, non alterius cujuscumque, redemptos esse. Obierunt martyres, non debitum alterius persolventes, sed Christo ferentes testimonium, quorum tamen mortem patienter toleratam per Christum nobis aliquatenus prodesse, nil detrahit infinitæ virtuti redemptionis, quam pro omnibus ipse unus dedit.

62. *Obj.* 3. « Agnoscant (Catholici) annon hæc sint sua placita, martyres plus morte sua Deo præstitisse ac meritos esse quam sibi opus esset: tantamque illis meritorum largitatem superfuisse, quæ in alios redundaret. Ne igitur supervacuum sit tantum bonum, commisceri eorum sanguinem sanguini Christi, et ex utroque thesaurum Ecclesiæ confici ad remissionem et satisfactionem peccatorum. » Ita Calvinus. [1]

63. *Resp.* Non hæc sunt placita nostra : nam martyres credimus plenam meritorum mercedem a Deo consecutos; sed suppliciis eorum, præter meritum, vim quamdam inesse censemus luendi pœnas, eaque idcirco offerri posse Deo, ut infirmioribus fratribus per Christum ad pœnarum temporalium valeant remissionem. Non credimus eorum sanguinem Christi sanguini commisceri, ut ex utroque veluti partibus thesaurus conficiatur; sed ad cumulum infiniti thesauri Christi sanguinis, martyrum sanguinem veluti adminiculum accedere, qui nobis prosit ad remissionem pœnarum Christi intuitu. Non igitur, ut calumniatur Calvinus, Christum vulgarem sanctulum facimus, qui in turba vix dignoscatur; sed unicum Redemptorem cum agnoscimus et prædicamus, licet martyrum egregii labores et supplicia nobis valeant, ut redemptionis Christi beneficio largiori donemur. Hac ratione ad solvendum debita nostra apud divinam justitiam martyrum satisfactiones valent, ea, quam e Christi gratia derivant, vi nobis impertita. Cæterum ex divina acceptatione fit ut hac fruamur utilitate. [2] Theologus antiquus ait : « Ex parte Ecclesiæ sunt duo : primum est meritum et præcipue Christi, quod est inestimabile, et aliorum Sanctorum qui fecerunt opera multa supererogationis : quæ omnia sub potestate clavium sunt posita : ut quod minus est in uno membro Ecclesiæ, compensetur in alio. — Secundum est indulgentia quam dat Ecclesia per Papam et Episcopos. » [3]

CAPUT IV.

DE INDULGENTIARUM APPLICATIONE.

64. Indulgentias applicari posse animabus fidelium defunctorum constans est sensus et doctrina Ecclesiæ. Eas quidem *per modum suffragii* prodesse docent Theologi, verba pontificii indulti præ oculis habentes, et conditionem animarum; quæ quum extra ditionem Ecclesiasticorum Præsulum sint positæ, non possunt proprie absolvi ab aliqua pœna. Suffragii autem ratio in eo sita est, quod Pontifex Deo offerat ex thesauro Ecclesiæ solutionem debiti quo gravantur animæ illæ, deprecans ut acceptetur, in earum utilitatem. Vis magna insit necesse est hujusmodi suffragio, ab illo oblato cui Christus ipse ligandi et solvendi in terris dedit potestatem. Negavit Lutherus mortuis utiles esse indulgentias; quem errorem cum cæteris confixit Leo X. Riccius cum sua synodo pariter erravit, merito idcirco a Pio VI damna-

(1) Inst. l. iii. c. v. 3.
(2) Vide Christ. Lupum diss. de peccatorum et satisfactionum indulgentiis, c. vii.
(3) Venetiis an 1492. l. vi. c. 32.

tus : « In eo quod superaddit (synodus) luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos ; » propositio XLII. damnatur veluti falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim, et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22. Lutheri. « In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata » etc., propositio XLIII. declaratur temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa. »

65. Applicatio indulgentiarum mortuis probatur præcipue ex consuetudine Ecclesiæ, nixa Sanctorum communione. Equidem quum, ex constanti sæculorum omnium fide, magna proveniat utilitas defunctis ex vivorum precibus, nulla occurrit ratio cur indulgentiarum omni beneficio priventur. Enimvero membra sunt Christi sancta, proinde nobiscum consortio conjuncti : « neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, uti recte monet Augustinus.[1] « Non est, » inquit S. Thomas Aquinas, « quare Ecclesia transferre possit communia merita quibus indulgentiæ innituntur, in vivos, et non in mortuos. »[2] Constat Pontifices Summos has indulgentias ex vetusto more concedere consuevisse, quod temere eos fecisse, vel inaniter, absit ut vir Catholicus suspicetur. Joannes VIII. anno 878, et Joannes IX. anno 900, et alii plurimi noscuntur eas largiti fuisse. Porro undique per Ecclesiam indulgentiæ hujusmodi promulgantur ab Episcopis, et magno cum devotionis affectu expetuntur a fidelibus, adeo ut sensus totius Ecclesiæ huic consuetudini suffragetur.

66. Plenaria indulgentia mortuis applicata animam liberare a pœnis purgatorii dicitur; quæ quum sacrificii Missæ celebrationi adnectatur, *privilegiatum altare* vocatur. Illud sic explicatur a Benedicto XIV. : « Summus Pontifex, cum privilegiatas aras declarat, ac pro Missæ celebratione, quæ in illis indicitur ad expiandam defuncti alicujus animam, thesauri ecclesiastici eam partem tribuit *per modum suffragii*, quæ satis est ut eadem anima, si Deo placitum sit, e purgatorii cruciatibus eripiatur. »[3] In Theologia Venetiis impressa anno 1492 legimus : « Dicendum ergo quod Papa proprie non absolvit defunctos a pœna, sed quasi pro eis de communi thesauro Ecclesiæ solvit. »[4]

67. Inter indulgentias ea quæ dicitur *Jubilæi* præcipua est, utpote plenaria, cum privilegiis amplissimis. A Judæis desumptum est nomen, annus scilicet quinquagesimus apud eos sic vocabatur; quo recurrente, omne æs alienum remittebatur, agri ac domus venditæ suis prioribus dominis restituebantur, servi cum suis liberis in libertatem vindicabantur, omnisque labor in agris colendis cessabat.[5] Bonifacius VIII., anno 1300, proposita indulgentia plenaria fidelibus universis qui Urbis inviserent templa, contritique susciperent Sacramenta, facultatem simul fecit ut a censuris quibuscumque ecclesiasticis absolverentur. Sed jubilæi nomen non adhibuit, nec instituti judaici ullam fecit mentionem : quod Clemens VI. primus commemoravit, dum populi Romani precibus annuens, anno 1350,

(1) L. xx. de civ. Dei c. ix. n. 2.

(2) Suppl. qu. 71. art. 10.

(3) Instit. lvi. n. 15. Magnæ offensioni plerisque viatoribus acatholicis est hæc loquendi ratio, qua *anima e Purgatorio liberari* dicitur, celebrata in quodam altari Missa, sed sensus ejus ex pontificia declaratione innocuus est.

(4) Lib. vi. c. 6. (5) Lev. xxv. 27.

voluit jubilæum quinquagesimo quoque anno celebrari. Urbanus VI. anno 1389 indulsit ut post annos triginta tres in Christi in terris vitæ honorem celebraretur. Paulus II. anno 1470, vigesimo quinto anno recurrente, eum celebrari permisit. Plures Pontifices eum promulgarunt occasione suæ exaltationis, vel ob gravem aliquam reipublicæ christianæ necessitatem.

68. Summi Pontificis est, utpote supremi in terris Ecclesiæ rectoris, cui claves regni cœlorum datæ sunt, indulgentias concedere amplissima auctoritate, sed sapienti illa œconomia quæ decet illum quem constituit Dominus super familiam suam. Hinc suspecti de erroribus Wickleffi et Huss interrogandi erant, utrum crederent, « quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et justa possit concedere indulgentias? »[1] Innocentius III. in Concilio Lateranensi Episcoporum auctoritatem in iis elargiendis certis limitibus arctavit : vetuit scilicet ne ultra annum indulgentiam tribuerent in dedicatione Ecclesiæ, et ultra quadraginta dies in aliis casibus.[2] Hinc interrogabantur iidem : « Utrum credant, quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum hujusmodi indulgentias concedere possint? »[3] Archiepiscopus in tota sua provincia indulgentias dare potest : pertinet enim ad voluntariam jurisdictionem.

69. Hæc de indulgentiis sufficiant. Cui persuasum est Christum claves regni cœlorum Petro tradidisse, et omnibus Apostolis ligandi et solvendi dedisse potestatem, haud facile quæstionem movebit de remissione quam Præsules Christi nomine concedunt. Largitatem hanc mirari et amplecti oportet, et in ea virtutum opera incumbere, quæ ad thesauros hos nobis comparandos requiruntur, haud neglectis pœnitentiæ exercitiis, quibus idonei tantis beneficiis fruendis efficiamur.

(1) Acta Concil. tom. viii. col. 915.
(2) Tit. lxii. ib. t. vii. col. 66.
(3) Ibidem t. viii. col. 915.

TRACTATUS XVI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI VERITATE.

1. *Extrema* vocatur *Unctio* illa quæ fieri consuevit ægrotis in mortis discrimine constitutis. Eam Sacramentum esse negavit audacter Lutherus, Jacobi epistolam, in qua commendatur, stramineam esse, et Apostolo prorsus indignam, affirmans. « Omitto enim, » inquit, « quod hanc epistolam non esse Apostoli Jacobi, nec apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine authoritatem, cujuscumque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset Apostoli, dicerem non licere Apostolis sua authoritate Sacramentum instituere : hoc enim ad Christum solum pertinebat. »[1] Calvinus dicit : « Tertium fictitium Sacramentum est Extrema Unctio. . . . Ejusdem rationis est ista unctio, cujus esse manuum impositionem supra demonstravimus : nempe histrionica hypocrisis, qua citra rationem et sine fructu Apostolos referre volunt. »[2] Errores hos confixit Concilium Tridentinum : « Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum ; anathema sit. » « Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos ; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum ; anathema sit. » « Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni ; anathema sit. » « Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum ungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem ; anathema sit. »[3]

(1) L. de captiv. Babylon.
(2) Inst. l. iv. c. xix. n. 18.

(3) Sess. xiv. can. i. ii. iii. iv. de Extrema Unctione.

2. Leibnitius a suorum errore hac in re, sicut in aliis fere omnibus, tandem aliquando recessit; scripsit enim : « De unctione infirmorum non est cur multa disputemus. Verba habet Scripturæ sacræ, interpretationem Ecclesiæ, cui pii et catholici homines tuto fidunt, nec video quid in eo more quem recipit Ecclesia, reprehendi a quoquam possit. » [1] Barclaius autem cœnam Protestantium rejiciens, argumento quod ex usu veteris Ecclesiæ desumunt, occurrit, objiciendo eos ritum unctionis, qui speciali mandato injungitur, negligere. [2] Neglectus hic omnibus sectis hodiernis inter quas versamur communis est.

Propositio.

Extrema Unctio est vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum.

3. *Probatur ipsius Jacobi celeberrimo testimonio.* Scribit Jacobus Apostolus : ἀσθενεῖ τὶς ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας καὶ προσευξάσθωσαν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου· Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. A vulgato interprete sic redditur : « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. » [3] Quum hæc universim ad fideles scribantur, liquet agi de ritu qui ad omnes spectat, et qui perpetuo servandus foret; nil enim dicitur, quo ad tempus restringatur. In graviori infirmitate quæ mortis periculo haud vacat, [4] jubet arcessi presbyteros Ecclesiæ, sacerdotes scilicet qui hoc nomine in novo Testamento passim designantur, quorum munus est pro periclitante orare, eumque sacro oleo perlinire, Deo invocato. Ritus externus plane designatur, unctio scilicet peragenda a sacro ministro, oratione comite. Effectus orationi huic adnexus refertur, scilicet salus periclitantis, animi levamen, et peccatorum, quæ admiserit, remissio. Est igitur signum visibile invisibilis gratiæ. Porro quum Apostolus ipse non potuerit hos effectus huic adnectere ritui, manifestum est eum tantummodo promulgasse ritum cujus Christus ipse auctor est, cujus est vim gratiam impertiendi ritui adnectere.

4. *Probatur 2. ex Patrum interpretatione.* Origenes remissionem peccatorum, quæ impetratur pœnitentia, sacerdoti Domini indicando peccatum suum, referens, ait : « In quo impletur et illud quod Apostolus dicit : « Si » quis autem infirmatur, vocet presby- » teros Ecclesiæ, et imponant ei ma- » nus, ungentes eum oleo in nomine » Domini, etc. » [5] In exemplum hanc pœnitentiam, quæ fit in extremis, adducit, satisque indicat ritum illum ungendi adhuc suo tempore servari,

(1) System. Theol. p. 280.

(2) « How come they to pass over far more positive commands of the Apostles, as matters of no moment? as James v. 14, where it is expressly commanded *that the sick be anointed with oil in the name of the Lord.* » Apology Prop. xiii. § viii. p. 418. edit. Birmingham 1765.

(3) Jacobi v. 14.

(4) In Demosthenis prima Oratione contra Philippum, Atheniensium de morte Philippi expectatio refertur; interrogabant scilicet : Quid novi? mortuusne est Philippus? Et quum eum graviter ægrotare nossent, solabantur se spe proximæ ejus mortis : Τεθνηκε φίλιππος· Οὐ μὰ Δί', αλλ' ἀσθενεῖ; ut eum in extremis fere versari insinuaret. Sic et apud Xenophontem Anab. i. §. i. ἤτει δὴ ἀσθένει Δ. καὶ ὑπεστενε τελευτὴν τοῦ βιοῦ. Bloomfield in Jacobi locum scribit : « The ἀσθενεῖ must from the context be understood of severe sickness. » De Lazaro moribundo usurpatur Joan. xi. 3 Τον καμνοντα in extremo laborantem significare constat, nam καμοντες significat mortuos.

(5) Hom. ii. in Levit.

et secum ferre peccatorum remissionem.

5. S. Chrysostomus, sacerdotum erga laborantem et morti jamjam propinquam animam officia extollit : « Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent : « Infirmatur, » inquit, « inter vos aliquis? accersat presbyteros Ecclesiæ, » et orent super eum, ungentes eum » oleo. »[1] Igitur Chrysostomi quoque ætate ritus peragebatur veluti munus sacerdotii christiani peccatorum veniam afferens.

6. S. Innocentius I. consultus ab Eugubino Episcopo, Decentio, utrum Episcopo Extremam Unctionem ministrare conveniret, plerumque enim a sacerdotibus dabatur, respondit : « Non est dubium (*verba Jacobi*) de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt » . . . « Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi, occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere, et tangere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? »[2] Liquet rem indubiam habitam esse Jacobi verba de ægrotantibus fidelibus intelligenda esse, et ritum totam vim suam retinere. Pœnitentiam publicam agentibus non dabatur : a Sacramentorum enim perceptione prohibebantur, nisi sub ipsum vitæ exitum, quum aliis in gravi quocumque vitæ discrimine daretur.

7. Auctor antiquus, qui S. Cæsarius Arelatensis a plerisque censetur, dicit : « Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat : et inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est impleatur in eo : « Infirmatur aliquis? inducat presbyte» ros, etc. » Videte, fratres, quia, qui in infirmitate ad Ecclesiam concurrerit, et corporis sanitatem recipere, et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. »[3] Hæc corporis sanitas haud adeo certa est, quum pendeat omnino ex Dei voluntate, nec Sacramenti sit effectus præcipuus, sed prout ad Dei gloriam et animæ salutem prosit.

8. Venerabilis Beda in Jacobi testimonium scribit : « Hoc et Apostolos fecisse, in Evangelio legimus, et nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur. »[4]

9. *Probatur* 3. *ex libris ritualibus.* Sacramentarium S. Gregorii M. præscribit olei benedictionem ab Episcopo, et preces recitandas ungendo infirmum. Inter cætera dicitur : « Concede ut medelam tuam non solum in » corpore, sed etiam in anima sentiat. »

10. Liber pœnitentialis Theodori, Cantuariensis Archiepiscopi, qui nono sæculo exeunte floruit, injungit : « Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda confessio peccatorum. . . . . et secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sanctorum Pa-

(1) L. iii. de Sacerdotio c. vi.
(2) Ep. ad Decentium.
(3) Serm. ccxv. de Tempore inter Augustinianos.
(4) Comm. in locum.

trum communione Viatici reficiantur. » Hæc ex Synodo Moguntina, anno 847 habita, descripta videntur. [1]

11. Græcorum Euchologium ritum ungendi infirmos septem sacerdotibus adstantibus peragendum præscribit. Sacerdos qui ungit eos, dicit : « Pater sancte, animarum et corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, omnem morbum curantem, et ex morte nos liberantem misisti : sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam. »

12. *Probatur* 4. *Conciliorum auctoritate.* Concilium Cabilonense, anno 813, decrevit : « Secundum beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait : « Infirmatur quis in vobis ? » inducat presbyteros, etc. » Non est itaque parvi pendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus. » [2]

13. Concilium Aquisgranense anno 836 : « Si quis autem infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione sacerdotali, nec non unctione sacrati olei, per presbyteri negligentiam careat. » [3]

14. Concilium Ticinense, anno 850, dicit : « Illud quoque salutare Sacramentum, quod commendat Jacobus Apostolus dicens : « Infirmatur quis » in vobis ? etc. » solerti prædicatione populis innotescendum est, magnum sane ac valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, et remittuntur peccata, et consequenter corporalis salus restituitur. [4]

15. *Probatur* 5. *exemplis.* Paschasius Radbertus, sæculo nono, in vita Adelardi, Abbatis Corbejensis, narrat Hildmanum Episcopum, audito morbo Adelardi, advenisse illico : « Interea cum cœpisset idem sanctus Episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a beato Apostolo sancitum est, deberet perungi : interrogavimus utrumne vellet ? . . . quod ille audiens, erectis oculis in cœlum, obsecrabat ut fieret. » De S. Oswaldo, Eboracensi Episcopo, sæculo decimo, narratur, quod mortem imminere sentiens, « convocatis fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ Unctionis, cum Viatico Dominici corporis. » In vita Leonis IX. refertur, « cum intelligeret, non diutius retinendum se carnis ergastulo, decrevisse, ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium effluxerant turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore. » De S. Malachia refert S. Bernardus : « Jubet se sacro oleo ungi. » [5]

16. *Probatur* 6. *Græcorum et Orientalium sectarum consensione.* Græci vocant hoc Sacramentum ἐυχέλαιον, *oleum cum prece.* In confessione orthodoxa dicunt : « Septimum Sacramentum est Extrema Unctio a Christo præscripta. Cum enim cœpisset discipulos suos binos mittere, (Mar. 6. v. 7. et 13.) ungebant oleo multos et sanabant : quam deinceps unctionem religiosa consuetudine Ecclesia observavit, prout ex epistola sancti Jacobi compertum est : « Infirmatur quis in vobis ? » etc. [6] Fructus hujus Sacramenti sunt, quos velut ei proprios sanctus Jacobus Apostolus explicat, videlicet remissio peccatorum, animæ salus, corporis denique sanitas ; quam etsi non semper importet, semper tamen animam per

(1) Synod. Mog. cap. xxvi.
(2) Can. xlviii.
(3) Can. v.
(4) Cap. viii.
(5) In vita S. Malachiæ c. xxxi.
(6) Quæst. 117.

remissionem peccatorum in meliorem statum restitu t. » [1]

17. Maronitæ in Rituali suo præscribunt unctionem infirmi morti proximi: « Oratio super infirmum horam obitus appetentem. Afferat sacerdos ex oleo sancto in vase mundo, et dicat « Pater » noster, » et reliquas ad hoc statutas orationes, tunc benedicat oleum signo crucis, et ungat corpus infirmi in septem locis. » [2] « Eodem fere modo, » subjungit Naironus, « cæteræ nationes orientales conficiunt. »

18. Fuit igitur ritus hic antiquissimis temporibus ante sectarum orientalium originem toti Ecclesiæ communis; et Christi mandatum et gratiam habere credebatur.

19. *Probatur* 7. *præscriptione*. Viguit ubique per orbem christianum, sextodecimo ineunte sæculo, ritus periculoso morbo laborantes ungendi, et tamquam Sacramentum a Christo institutum habebatur; quin ostendi possit eum post Apostolicam ætatem invectum esse. Imo constat eum Apostolorum temporibus servatum, Jacobo testante, et omnibus id fatentibus. Porro ostendi nequit eum unquam intermissum, vel doctrinam de ejus virtute ab aliquo post Apostolos ortam. At vero quum esset res quotidiana, facile non erat novam aliquam de ea notionem ubique per orbem invehere, et statuere.

Objectiones solvuntur.

20. *Obj.* 1. « *Oleum* positum esse videtur pro remediis aliis etiam salutaribus et necessariis. Nam in regionibus orientalibus et ad meridiem olea erant valde generosa, et usus oleorum permultus medendis variis morbis obtinebat. » [3] Ita Rosenmüller.

21. *Resp.* De remedio naturali non agitur, sed de animæ salute; quapropter orationem et Dei invocationem adhibendam esse injungit Apostolus His, non autem olei, quantumvis generosi, virtuti, adscribit ritus hujus effectus: « Oratio fidei salvabit infirmum. »

22. *Obj.* 2. Ad donum curationum respexit Jacobus, ideoque ægrotis restituendam pollicetur sanitatem, ob orationem ex fide profectam, qua scilicet miracula patrabantur. « Ungebant, » inquit Marcus, « oleo multos infirmos, et sanabantur. » (Marc. 6. 13.) « Huc respexit Jacobus, quum jussit arcessi presbyteros ad ungendum infirmum. » [4] Ita Calvinus.

23. *Resp.* Hoc Sacramentum, uti monent Patres Tridentini, « apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum » est. Quæ dicit Jacobus non conveniunt dono curationum; nec enim hoc certo hominum ordini allegatum est, nec pro arbitrio exercendum erat, sed ex Spiritus sancti motu, prout cuique datum fuerit. Quum igitur jubeat presbyteros arcessi, orationem fundi, unctionem fieri, loqui censendus est de subsidio cuilibet ægrotanti a ministris sacris porrigendo. Ipse Rosenmüller dicit: « Nulla necessitas postulare videtur, ut extraordinariam et miraculosam sanandi facultatem intelligamus. » [5] Quod autem fidei orationi tribuantur effectus, non suadet de miraculis agi: nam oratio ex Ecclesiæ auctoritate prolata, nixa fidei certissimis principiis, fidei oratio rectissime dicitur. Leibnitius animadvertit: « Videmus olim et donum curationis sæpe affuisse; cujus usus nunc cum aliis extraordinariis beneficiis, stabilita Ecclesia, infrequentior factus est, semper tamen ne

(1) Quæs. 119. Vide et Jeremiæ patriarchæ Constantinopolitani responsionem ad Lutheranos.

(2) Apud Naironum in Euoplia p. 206.

(3) In locum.

(4) Inst. l. iv. c. xix. n. 18.

(5) In locum.

tunc quidem sanatos fuisse credendum est, qui ungebantur. »[1]

24. *Obj.* 3. « Sacrum ritum *Unctionis Extremæ*, quæ morituris jam impenditur, minime ex hoc loco posse demonstrari facile patet; commemoratur enim adjumentum sanitatis, non præsidium et adjumentum pacatius moriendi. »[2] Rosenmüller.

25. *Resp.* Ad salutem animæ Apostoli verba maxime referuntur : nam remissio peccatorum huc plane pertinet, et verbum σωσει salutem apud Jacobum passim designat : « Numquid poterit fides *salvare* eum? μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν; [3] Vox ἐγείρει *excitabit* ad animi levamen non inepte refertur, fatente Schleusnero,[4] quamvis nil vetet eam de corporis adjumento intelligere, quod ritus hic sacer præstat, juxta sapientem Dei œconomiam, supremis ejus consiliis statutam. Ipse Rosenmüller dicit : « Notum enim est in novo Testamento, ut in vita communi, sæpe universe enuntiari, quod cum restrictione intelligendum est. Juvabunt preces ægrotantem, si ei expediat ad salutem æternam. »[5]

26. *Obj.* 4. « Jacobus vult infirmum ungi a *senioribus* Ecclesiæ : isti unctorem non admittunt, nisi sacrificulum. » Ita Calvinus.[6]

27. *Resp. Presbyteri Ecclesiæ* intelliguntur sacerdotes, ideoque nomen illud his adhæsit, et in plerasque linguas adscitum est[7] Profecto puduit Rosenmüller Carpzovii subscribere sententiæ, qui vocis etymologiæ inhærendo *profectos ætate* intellexit : « Huic sententiæ obstare videtur, (Vide Noesselt, Fasc. ii. p. 328) quod *presbyterorum Ecclesiæ* nomen in novi Testamenti libris semper de viris in Ecclesia primariis, iisque vel magistris vel præsidibus usurpetur. »[8] Ex usu igitur scriptorum Novi Testamenti, et omnium qui rem illustrarunt christianam ab initio Ecclesiæ, presbyteri intelliguntur sacerdotes. Equidem munera sacra illis plane a Jacobo adsignantur, nempe orationem solemnem fundere, sacram adhibere unctionem, Deo invocato, et peccatorum excipere confessionem, remissione eorum opera data.

28. *Obj.* 5. « Quod apud Jacobum *presbyteros* interpretantur sacerdotes, et pluralem numerum ad decorem positum nugantur, nimis frivolum est : quasi vero Ecclesiæ eo tempore sacrificorum examinibus abundarint, ut in longa pompa procedere potuerint ad ferendum sacri olei ferculum. »[9] Calvinus.

29. *Resp. Presbyteri Ecclesiæ* necessario intelligendi sunt sacerdotes : nam ita constans fert usus loquendi scriptorum novi Testamenti. Pluralis autem numerus obvio sensu usurpatur pro quolibet e cœtu; sicut quum Christus præciperet leprosis a se mundatis, ut se sacerdotibus exhiberent,[10] uni sacerdoti satis erat se ostendere.[11] Cæterum et plures sacerdotes possent ad unctionem ministrandam operam præstare, quum ipsa Apostolorum ætate plures sæpe simul adesse in urbe aliqua contingeret. Apud Græcos septem sacerdotes adsunt quoties ritus hic peragitur, qui olim apud Latinos pluribus præsentibus plerumque peragebatur.

(1) System. Theol. p. 280. (2) Ibidem.

(3) Jac. ii. 14. Vide et i. 14. iv. 12. v. 20.

(4) Novum Testamentum Græcum perpetua annotatione illustratum, edit. Koppianæ vol. ix. Gottingæ 1799.

(5) In locum. (6) Inst. l. iv. c. xix. n. 21.

(7) De vocabulo « Priest » dicunt Oxonienses : « In truth it is one of the very words you mentioned, only somewhat shortened by our forefathers in their pronunciation of it — Presbyter was made Prester, and that by degrees became Prest or Priest. » Tract. N. 12.

(8) Rosenmüller in loc.

(9) Inst. l. iv. c. xix. n. 21. (10) Luc. xvii. 14.

(11) Lev. xiv. Vide plura exempla apud Augustinum l. iii. de consensu Evangelistarum c xvi.

30. *Obj.* 6. *Peccatorum remissio*, de qua Jacobus loquitur, intelligenda est de morborum causa sublata : « morbo curato, etiam peccatum ipsum condonatum esse dicebatur. » Ita Rosenmüller.[1]

31. *Resp.* Nil sinit, ut ab obvia verborum acceptatione discedatur; sed e contra, quum de animæ salute præcipue sit sermo, peccata vere remissa credenda sunt. Hæc de morborum curatione explicatio non potest statui tamquam norma, ad quam tota oratio Apostoli referatur, quum constet eum haud de corporis morbis solicitiorem, de subsidiis salutis in tota epistola agere. Profecto non distinguit infirmitatem ex peccato provenientem, ab alia, quæ absque peccato contrahitur; sed cuilibet graviter ægrotanti illud præscribit remedium, quo peccatorum venia et animæ salus comparetur. Rosenmüllero objicimus Leibnitium, qui, etsi existimaret donum curationum ab Apostolo indicari, quod aliquando unctioni adnecteretur, censuit tamen animæ subsidia semper conferri, et in Ecclesia esse perpetua : « Superest igitur saltem hodieque efficacia illa sanitatis perpetua, et nunquam fallens, quæ ad animam ipsam bene dispositam pertinet, atque a Jacobo Apostolo additur, quando hujus Sacramenti usum describit, et in peccatorum remissione ac fidei virtutisque munimento collocatur, quo nunquam magis opus est, quam in vitæ periculo atque terroribus mortis ad ignea tela satanæ, tum maxime ingruentia, repellenda. »[2]

32. *Obj.* 7. Jacobus dicit : κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. « Si patraverit peccata, remittentur ei. » Id de peccatis immanibus, quæ morborum habebantur causæ, intelligendum est; nam de peccatis quibuscumque si loqueretur, nulla fuisset apponenda conditio, quum nemo est qui non peccet.

33. *Resp.* Nil exigit ut de peccatis morborum causis ea verba intelligantur, quum de peccatis gravibus quibuscumque obvio sensu explicari valeant : sunt autem qui nullius peccati lethalis labem contraxerunt.

34. *Obj.* 8. Juxta hanc explicationem peccata lethalia unctione remittuntur : apud Catholicos vero prædicatur vivorum Sacramentum, quod nefas est suscipere, conscientia peccato gravi irretita.

35. *Resp.* Remissio peccatorum impetratur Extrema Unctione, venialium quidem ex fine ejus primario, sicut et reliquiarum peccatorum lethalium, quæ scilice ex peccatis jam remissis remanent incommoda. Ipsa lethalium peccatorum venia impetranda est Sacramento Pœnitentiæ, confessione peracta, uti insinuat Jacobus, dicens : « Confitemini alterutrum peccata vestra ; » nam optime intelligitur loqui de confessione presbyteris, de quibus mox agebat, facta. Profecto Rosenmüller ipse de peccato censens sermonem esse, quod causa fuisset morbi, fatetur confessionem faciendam injungi presbyteris, quos jusserat Jacobus arcessi : « Hunc (*infirmum*) ne pudeat, peccatum hoc in conspectu presbyterorum fateri. » . . . « Recte, ut mihi quidem videtur, ea, quæ hoc commate dicuntur, trahuntur ab interpretibus ad *ægrotum*, et ad *presbyteros*, quorum mentio vs. 14 facta est. »[3] Catholicæ doctrinæ admodum congruit totius textus series : nam confessione remittuntur peccata lethalia, unctione vero venialia, et peccatorum reliquiæ absterguntur, et, si forsan conscientia gravi macula inquinata sit, quam confiteri non valet moribundus, alioquin animo pœnitens, sed loquela carens, vel peccati sibi non conscius,

(1) In locum. (2) Syst. Theol. p. 296. (3) In locum.

emundatur etiam et sanatur. Ita docet S. Carolus Borromæus,[1] quod consonum est Tridentinorum Patrum documentis : « Delicta ipsa, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. »[2]

36. *Obj.* 9. Totum ritum ad sanitatem recuperandam dirigi, patet ex iis quæ subjungit Apostolus — εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων ὅπως ἰαθῆτε — « orate alius pro alio, ut sanemini. »

37. *Resp.* Vox illa *sanandi* passim in Scripturis usurpatur pro animæ salute,[3] quod Rosenmüller post Carpzovium haud diffitetur. Hinc vertit Carpzovius : « *ut ad mentem saniorem redeatis, et vobis condonet Deus peccata.* »[4] Rosenmüller quidem censet corporis sanitatem hic significari; sed de animæ salute præcipue agi totus sermonis contextus demonstrat.

38. *Obj.* 10. Ad Apostolicam ætatem, in qua donum curationum frequens erat, totum illud Jacobi documentum refertur. Ergo, ablato dono, frustra ritus retinetur.[5]

39. *Resp.* Ostendimus de dono curationum haud agi, sed de animæ remedio cuilibet graviter ægrotanti adhibendo. Documenta virtutis universis fidelibus per omnia sæcula congrua continet tota illa epistola; nec est cur præceptum de infirmorum unctione ad tempus latum censeatur. Equidem constat ritum ungendi infirmos sæculo sequenti Apostolorum ætatem, et deinceps per omnia, quæ secuta sunt, sæcula ubique in Ecclesia obtinuisse : quod argumento est haud levi Apostoli verba hunc sensum exigere.[6]

40. *Obj.* 11. Immane est discrimen inter Jacobi mandatum et ritum Catholicorum : « Jacobus omnes infirmos vult inungi : isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, quum jamjam anima in primoribus labris laborat, vel (ut ipsi loquuntur) in extremis. » Ita Calvinus.[7]

41. *Resp.* Infirmi de quibus loquitur Jacobus, juxta vim vocis et seriem orationis intelliguntur periculose decumbentes, quos omnes ungere consueverunt Ecclesiæ presbyteri in id muneris arcessiti. Quod si in extremis ungantur ii, qui antea non habuerunt facultatem unctionis suscipiendæ, vel qui distulerunt, spem valetudinis recuperandæ quum haberent, nihil in Apostoli verbis occurrit, quod id vetet.

42. *Obj.* 12. De ritu ungendi moribundos altum apud scriptores priorum quatuor sæculorum Ecclesiæ silentium, licet plures ex professo de Sacramentis egerint.

43. *Resp.* Non adeo silent veteres scriptores : Origenes enim haud ambiguum præbet testimonium. Victor Antiochenus presbyter, qui ante medium quartum sæculum floruit, et commentarium in Evangelium Marci, ex eorum, qui eum præcesserant, scriptis concinnavit, adnotat in caput sextum :

(1) Instruct. de Extrema Unctione.

(2) Sess. xiv. Extremæ Unctione.

(3) Matt. xiii. 15 : ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς — « convertantur et sanem eos » Vide et Heb. xii. 13.

(4) Apud Rosenmüller in locum.

(5) Barclaius animadvertit : « Though this might many ways be answered, to wit, that prayer then might as well be *forborn*, to which also the *saving of the sick* is there ascribed. . . . . since our adversaries, and that rightly, think a *ceremony* ought to cease where the virtue fails, they ought by the same rule to forbear the laying on of hands, in imitation of the Apostles, since the gift of the Holy Ghost doth not follow upon it. » Apology Prop. xiii. §. viii.

(6) « There can be little doubt, however, that *in the next generation* the thing became (what, indeed, most recent Commentators *here* suppose it) a *solemn religious ceremony* comprehending *a symbolical rite*, the use of which *tended* to produce the blessings prayed for, as far as was consistent with the plans of Divine providence. » Ita Bloomfield *in locum*, fatens ritum obtinuisse post Apostolorum ætatem.

(7) Inst. l. iv. c. xix. n. 21.

« Interim quæ Apostolus Jacobus in sua canonica narrat, ab his non dissentiunt; scribit enim : « Infirmatur » quis in vobis? etc. »[1] Quod autem in operibus plerisque quæ supersunt non commemoretur unctio extrema, contigit quia ad propositum scriptorum non pertinebat : sunt enim plerumque fidei vindiciæ contra ethnicos, vel contra errores tunc grassantes; et ipsa quæ de Sacramentis agunt, ad catechumenos fere directa sunt, quos oportebat de iis quæ mox suscipienda erant edocere. Equidem raro admodum de Extrema Unctione impræsentiarum in sacris concionibus agitur, quamvis quotidie ministretur, prævia instructione his quibus est ministranda.

44. *Obj.* 13 Ab Heracleonitis, quos memorat Irenæus,[2] ritus inungendi moribundos desumptus videtur : illi enim oleum aquæ immixtum capiti injiciebant, invocationibus adjectis.

45. *Resp.* Toto cœlo distat ritus sacer quem Apostolo obtemperantes peragimus, a profanis Heracleonitarum moribus : nec enim aquam oleo infirmorum immiscemus, neque voces : « Basema, Chamose, Baænora, etc. » proferimus, neque mortuos inungimus.

CAPUT II.

DE SACRAMENTI MINISTRATIONE.

46. *Materiam* Sacramenti esse oleum, ex Jacobi verbis liquet; quo nomine oleum olivæ intelligitur, adeo ut oleum cetaceum, vel quod distillatione exprimitur ex aqua oleaginosa, non possit adhiberi. Benedicendum esse ex consuetudine et mandato Ecclesiæ constat. Venerabilis Beda in caput sextum Marci scribens, Jacobi testimonium ad illud illustrandum recitat, subjungens : « Unde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato.»[3] Utrum benedictio sit prorsus necessaria ut valeat unctio, non constat, Theologis varie sentientibus. Sacerdotes Græci et Armeni ipsi benedicunt oleum, antequam ungant infirmum,[4] qui mos non est improbatus : quamvis Episcoporum apud Latinos jus sit speciale. Consecratur solemniter feria V. in Cœna Domini. Paulus V die 15 Januarii 1655 declaravit temerariam et proximam errori propositionem, « quod Sacramentum Extremæ Unctionis, oleo episcopali benedictione non consecrato, ministrari valide possit. » Gregorius XVI. die 14 Septembris 1845 approbavit decretum S. Congreg. S. Inquisitionis illud negans.

47. « Infirmus ungendus est, » juxta decretum pro Armenis, « in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. » « Renum unctio, » inquit Rituale Romanum, « in mulieribus honestatis gratia semper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. » Consuetudo aliquorum locorum est ut semper omittatur, prout in Fœderatis his provinciis. Pedes aliis in locis non unguntur. Magna varietas in vetustis temporibus permissa est de partibus ungendis, adeo ut res sit di-

(1) Com. in Marc. p. 91. in edit. Ingolstad. 1580.
(2) L. 1. adv. hær. c. xviii. Vide et Aug. l. de hær. c. xvi. et Epiphanium hær. xxxvi.
(3) L. ii. c. xxiv.
(4) Vide Arcadium l. v. Concordiæ c. ii. et Leonem Allatium l. de consensu utriusque Ecclesiæ c. vi. Benedictum XIV. de Synodo Diœcesana l. viii. c. viii.

sciplinam spectans, quæ ex consuetudine et lege pendet.

48. *Forma* Sacramenti, in Rituali Romano tradita, est : « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per *visum* deliquisti ; » et sic per singulos sensus organa eorum inungendo. Græcorum forma aliquanto prolixior est. Apud Latinos variatum est ; nam in Sacramentario Gregorii M. dicitur : « Ungo te de oleo sancto, etc. » et sic in Ecclesia Mediolanensi ætate S. Bonaventuræ. [1] Liquet igitur verba specialia, quibus constat forma, ad disciplinam pertinere, quamvis adhibenda sint necessario quæ unctionem ad sacrum effectum determinent.

49. « *Minister* hujus Sacramenti est sacerdos, » prout declaratur in decreto Eugeniano toties citato. Id constat ex Jacobi verbis, tota suffragante traditione. Crucem aliquibus figunt Innocentii I. verba de oleo unctionis : « Quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo. » [2] De unctione suscipienda loqui censendus est Pontifex ; nam adeo constabat sacerdotem esse ministrum Sacramenti, ut quæstio orta sit, utrum Episcopis id liceret conferre, cui satisfacit postea in eadem epistola. Fuit quidem ritus apud veteres quo oleum benedictum a fidelibus quibuscumque adhibebatur [3] ad usus quosdam, sicut aqua benedicta adhuc usurpatur. De hoc placuit quibusdam Innocentii verba interpretari. Quidquid sit, de sacerdote ministro adeo constat ex Scriptura et traditione, ut sententia illa ambigui sensus non possit officere. Porro unum sacerdotem sufficere declaravit Alexander III. [4]

50. « Hoc Sacramentum nisi *infirmo*, de cujus morte timetur, dari non debet, » juxta decretum pro Armenis, quod nititur verbis Apostoli, quæ de infirmo in discrimine intelligenda esse ostendimus. Cæterum non est expectandus ipse mortis articulus ; sed præstat illud ministrare, dum ægrotus valet animo se parare, uti beneficio ejus gaudeat. In eodem morbo ministrari iterum potest, si ægrotus evaserit mortis periculum, et deinceps in illud relabatur : qua in re sacerdotem non debere nimis angi monet Benedictus XIV, quum vetus Ecclesiæ consuetudo iterationi faveat, variato periculo. [5]

51. Effectus Sacramenti sunt gratiæ augmentum, abstersio reliquiarum peccati, animæ alleviatio, delictorum, si quæ adhuc sint expianda, ablatio, sanitatisque, si expedierit ad salutem, restitutio. Hæc tamen fit adjuvando remedia, juxta ordinem constitutum a Deo, ideoque absque miraculo.

Breviter de hoc ultimo subsidio egimus. Jam vero Tractatui finis sit : ut de Ordinis Sacramento, quod tanti momenti est toti reipublicæ christianæ, agamus.

(1) In iv. Sent. Dist. 23. art. 1. qu. 4.

(2) Ep. ad Decentium Eugubinum. Gerundium illud : *inungendo*, posse intelligi de unctione suscipienda censent plurimi. Exemplum haud absimile ex Virgilio adducit Perrone : « Alitur vitium, vivitque tegendo. Georgic. iii. v. 454.

(3) Vide apud Ruffinum l. ii. hist. Eccl. c. iv. Palladium hist. Lausianæ c. xx.

(4) Cap. *Quæsivit*, Extra de Verb signif.

(5) De Synodo Diœces. l. viii.

TRACTATUS XVII.

DE SACRIS ORDINIBUS.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI VERITATE.

1. De ritu illo nunc agendum quo homines ad sacra munera obeunda idonei fiunt. Persuasum fuit toti Ecclesiæ et orbi christiano, ad sæculum usque decimum sextum, esse quemdam sacrorum ministrorum Ordinem, potestate divinitus præditum sacra obeundi munia, eosque Ordinis Sacramento eam accipere. Lutherus tamen hoc vocavit « commentum papisticæ synagogæ. »[1] Calvinus manuum impositionem qua munus presbyteri tribuitur, inter Sacramenta fere recensuit: « Certe utile est » inquit, « ejusmodi symbolo cum ministerii dignitatem populo commendari, tum eum qui ordinatur admoneri, ipsum jam non esse sui juris, sed Deo et Ecclesiæ in servitutem addictum. Præterea non erit inane signum, si in germanam suam originem restitutum fuerit. Nam si nihil frustra Spiritus Dei in Ecclesia instituit, hanc cæremoniam, quum ab eo profecta sit, sentiemus non esse inutilem, modo in superstitiosum abusum non vertatur. »[2] De sacerdotio, quale tenet Ecclesia, agens, dicit : « Certe nimis improbi sunt, dum Sacramenti titulo insignire audent. Quantum ad verum presbyterii munus attinet, quod ore Christi nobis est commendatum, libenter eo loco habeo. Illic enim cæremonia est, primum ex Scripturis sumpta, deinde quam non esse inanem nec supervacuam, sed fidele spiritualis gratiæ symbolum testatur Paulus (1. Tim. iv. 14.). Quod autem tertium in numero non posui, eo factum est quod non ordinarium nec commune est apud omnes fideles, sed ad certam functionem specialis ritus. »[3]

2. A Calvini placitis, Ordinem, uti liquet, Sacramentum agnoscentis, quamvis ob futilem satis rationem tertium non appellaverit, discesserunt qui alias plerumque eum sequuntur ducem. Ordinationis quemdam ritum plerique retinent, in quo tamen nullam

(1) L. de captiv. Babylon.

(2) Inst. l. iv. c. iii. n. 16. (3) Ibid. c. xix. n. 28

virtutem divinam agnoscunt. Oxonienses tamen, antiquas repetentes semitas, jam prædicant vim magnam huic ritui inesse, eoque dari Spiritum sanctum, et divinæ esse originis.[1] Presbyteriani eos quos vocant *Ruling Elders*, seniores scilicet regimine fungentes, oratione ministri in id muneris delegant,[2] quo pacto etiam et diaconis dant auctoritatem; electos autem in munus pastorale seu episcopale, (idem enim apud eos habetur) impositione manuum a presbyterio,[3] cœtu nempe seniorum, ordinant. Baptistæ, electo aliquo in ministerium, eum *ordinandum* dicunt impositione manuum presbyterii illius Ecclesiæ cui præficiendus est, vel vicinæ Ecclesiæ, jejunio et oratione injunctis, et tota Ecclesia, (ita vocant quemlibet cœtum) adstante.[4] Anglicani impositionem quoque manuum adhibent, Episcopo una cum presbyteris qui adsunt eas imponentibus. Hunc ritum imitantur Methodistæ episcopales, variata tamen verborum formula: Episcopus enim Anglicanus dicit: « Accipe Spiritum sanctum; » Methodista autem: « Dominus tibi infundat Spiritum sanctum. » Unitarii ordinationis ritum oratione incipiunt; sequitur sermo, ordinationis oratio, mandatum quo præco aliquis ordinato sua munera explicat, datur dextera in consortii ministerii indicium, et oratione alia terminatur Cæterum nullum certum ritum agnoscunt, sed Ecclesiis, cœtibus scilicet singulis, tribuunt auctoritatem formam statuendi et conditiones ordinationis.[5] Quakeri omnem ordinationis ritum respuunt; cuilibet, quem Spiritus excitaverit, absque sexus vel ætatis discrimine, jus prædicandi vindicantes. Dicunt quemquam ministrum, pastorem, et doctorem in Ecclesia Christi constitui interiori Spiritus Dei virtute: munera autem illa non æstimant esse perpetua, sed a quibuslibet pro Spiritus instinctu exercenda; quamvis non negent aliquos aliquando vocari a Spiritu ad continuos ministerii labores. Irrident autem et damnant totam illam studiorum rationem, qua homines sacris muneribus suscipiendis idonei effici censentur, et ritus quibus sacra donantur potestate, in ordinem specialem cooptati.[6] Plurimi ex sectis,

(1) « Ordination, or as it is called in the case of Bishops, consecration, though it does not precisely come within our definition of a sacrament, is nevertheless a rite partaking in a high degree, of the sacramental character. » Tract. N. 5. Vide etiam jam citata testimonia, n. 9. p. 5.

(2) Form of Government ch. xiii. et xiv.

(3) « The presiding minister shall by prayer, and with the laying on of the hands of the presbytery, according to the apostolic example, solemnly ordain him to the holy office of the Gospel ministry. » Ibidem ch. xv.

(4) « After having taken all due care to choose one for the work of the ministry, they are, by and with the unanimous consent or suffrage of the church to proceed to his ordination; which is a solemn setting apart of such a person for the sacred function in this wise, by setting apart a day of fasting and prayer, Acts 13. 2. 3. the whole church being present, he is to have the hands of the presbytery of that church, or of neighbouring elders called and authorized by that church, whereof such a person is a member, solemnly laid upon him. » Church discipline concerning Ministers, etc.

(5) « Bishops and Ministers ought to be consecrated according to such form, and on such principles, as the Churches they are appointed to serve, judge most agreeable to Scripture and propriety. » Unitarian Miscellany, vol. v. p. 221.

(6) « When they assemble together to wait upon God, and to worship and adore him; then such as the Spirit sets apart for the *Ministry*, by its divine power and influence opening their mouths, and giving them to exhort, reprove, and instruct with virtue and power; these are thus ordained of God, and admitted into the *Ministry*, and their brethren cannot but bear them, receive them, and also *honor them for their work's sake*. And so this is not *monopolized* by a certain kind of men, as the *Clergy*, (who are to that purpose educated and brought up as other carnal *artists*), and the rest to be despised as *laics*: but it is left to *the free gift of God* to choose any whom he seeth meet thereunto, whether rich or poor

quæ ordinationis quemdam ritum retinent, præconum officium suscipiunt, ex sola Spiritus quam jactant vocatione: quod et haud raro deponunt, ut munera civilia suscipiant, quæ in quibusdam provinciis cum ministerio sacro conjungi nequeunt.

3. De sectariis universim verba Tertulliani dici possunt: « Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes: nunc neophytos conlocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia munia injungunt. »[1]

4. *Ordinem*, seu sacram ordinationem, Sacramentum esse definierunt Patres Tridentini: « Si quis dixerit, *Ordinem*, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et Sacramentorum; anathema sit. » « Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: « Accipe Spiritum sanctum; » aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit »[2]

Propositio.

Ordo, sive sacra ordinatio, est vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum.

5. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Ad Timotheum scripsit Paulus: « Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. »[3] — Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοὶ διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Donum igitur datum est Timotheo, quod in eo maneret, quando manus a Paulo ei impositæ sunt ad munus presbyteratus conferendum. Prædicta erant de Timotheo egregia facinora, quibus vaticiniis motus erat Paulus ut eum in sacrum collegium cooptaret; quapropter eum alias hortatur ad se gerendum ratione quæ iis respondeat: « Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam. »[4] Per ipsas Pauli manus donum illud communicatum fuit; quapropter ait: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. »[5] — διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. Manuum igitur impositione datum est donum cœleste ad fungendum presbyterii muneribus. Hunc effectum huic ritui Paulus ipse dare non potuit: proinde habendus est divinitus insitus, ex Christi, Sacramentorum auctoris, institutione.

6. Equidem constat manuum impositione sacram potestatem tribui: nam Saulus et Barnabas, a Spiritu sancto electi in opus ministerii, hac ratione auctoritatem acceperunt: « Ministrantibus autem illis (*prophetis et doctoribus, quos mox recensuerat sacer scriptor*) Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimi-

servant or master, young or old, yea, male or female. » Barclay's Apology, proposition x. § xxiv. p. 275.

(1) L. de præscript. c. xli.

(2) Sess. xxii. can. iii. iv.

(3) I. Tim. iv. 14.

(4) Ibidem i. 18.

(5) II. Tim. i. 6.

serunt eos. »[1] De Paulo et Barnaba refertur, quod manuum extensione, seu impositione, presbyteros singulis præfecerint Ecclesiis. Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν, παρέθεντο αὐτοὺς τῷ κυρίῳ, εἰς ὃν πεπιστεύκεισαν. « Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino in quem crediderunt. »[2] Presbyteri igitur constituti sunt manuum extensione, seu impositione : nam voci eam inesse vim ex Græcorum usu patet; Χειροτονία enim apud eos ordinationem designat.

7. Potestatem sacram et donum quo quis ea rite fungi queat, manuum impositione dari liquet ex adductis testimoniis. Jam vero ritum hunc perpetuum fore in Ecclesia ex munere cui adnectitur colligitur. Equidem Paulus ministerium ex Christi instituto mansurum in finem usque sæculi tradit : « Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei. »[3] Munus igitur pastorum et doctorum, quod ultimo loco ponitur, perpetuum est, donec consummentur sancti, perficiatur opus ministerii, et ædificetur corpus Christi, omnibus in fidei unitatem convenientibus. Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ divinitus dati sunt, ut fundamenta sacri ædificii jacerentur, quæ pastores et doctores pergent novis vivisque lapidibus cumulare, donec perficiatur. Omnia igitur habentur quæ ad Sacramentum novæ legis constituendum requiruntur; est enim ritus externus, perpetuo servandus, ex Christi instituto, gratiam cum potestate sacra conferens.

8. *Probatur* 2. *Patrum testimoniis.* S. Augustinus sic urget Donatistas : « Illud quod quidam eorum veritate convicti dicere cœperunt : « Baptismum » quidem non amittit qui recedit ab Ec» clesia, sed jus tamen dandi amittit : » multis modis apparet frustra et inaniter dici. Primo quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere. Utrumque enim Sacramentum est; et quadam consecratione utrumque homini datur, istud cum baptizatur, istud cum ordinatur : ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. »[4] « Sed si nos male facimus, ipsi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti : quoniam dicunt, « Rece» dens ab Ecclesia Baptismum quidem » non amittit, jus dandi tamen amittit. *Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat;* cur illud non amittitur, et istud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est. »[5] Augustinus manifesto agnoscit Ordinem esse Sacramentum, idque apud neminem dubium esse dicit.

9. S. Leo Magnus, scribens ad Dioscorum Alexandrinum, docet jejunium quod Ordinum conferendorum occasione servatur, tum a conferente, tum a suscipientibus, ex traditione Apostolica derivari : « ut intelligamus quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis *Sacramentum* negligenter videatur impletum »[6]

10. S. Anastasius II. Pontifex, ad Anastasium Augustum scribens, eum certiorem fecit de valore Ordinum ab Acacio collatorum : « Sacratissimum

(1) Act. xiii. 2.
(2) Ibidem xiv. 22.
(3) Eph. iv. 11.
(4) Contra ep. Parmen. l. ii. c. xiii. 28.
(5) Ibidem n. 30.
(6) Ep. xi. alias lxxxi. ad Dioscorum Alex. c. 2.

serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes sive levitas secundum Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii, portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita *Sacramenti* gratia minus firma videatur. »[1]

11. *Probatur* 3. *Conciliorum auctoritate.* Concilium Chalcedonense decrevit: « Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, et non venalem gratiam vendiderit, — εἰς πράσιν καταγάγῃ τὴν ἀπρατον χάριν — proprii gradus periculo subjacebit. »[2] Gratiam igitur, quæ vendi non potest, ordinatione tribui, illis Patribus persuasum est: ritus autem externus quo gratia tribuitur, est Sacramentum. Idem liquet ex Nicæno Concilio II.,[3] et ex Constantinopolitano anno 459,[4] ex Bracarensi I.[5] et Toletano II.[6]

12. *Probatur* 4. *orientalium sectarum, Græcorum imprimis consensione.* Euchologia omnia fidem faciunt quo loco semper habita sit ordinatio. Synodi Constantinopolitana et Hierosolymitana, occasione errorum Cyrilli Lucaris habitæ, eam Sacramentum agnoscunt. Syri quoque Maronitæ et cæteri orientales in eamdem conveniunt sententiam.[7]

13. *Probatur* 5. *præscriptione.* Consuevit ordinatio in tota Ecclesia fieri, magno cum sacrorum rituum apparatu; et firma ubique obtinuit sententia sacram potestatem cum gratia ea conferri. Hujus persuasionis origo ætate Apostolica posterior ostendi nequit. Attamen si pristina fides ordinationem Sacramentum haud agnovisset, qui primus vim ejus et sanctitatem fidelibus proposuerit credendam historia referente, innotesceret, et quos habuerit adversarios, quibus vicerit armis, et cætera quæ novæ alicujus sententiæ originem et propagationem semper indicant.

Objectiones solvuntur.

14. *Obj.* 1. Ordinatio nulla Apostolorum a Christo legitur facta: nec illis injunctum est ut alios ritu aliquo speciali in sacrorum ministrorum numerum adsciscerent: ergo nullo modo potest Sacramentis accenseri, divina deficiente institutione.

15. *Resp.* Christus nullo externo ritu indiguit ut potestatem aliis communicaret, quæ tota ex ejus voluntate pendebat. Dedit tamen Apostolis sacerdotii munus in ultima cœna, jubendo ut facerent ipsi quod fecerat: addidit facultatem remittendi peccata, iis insufflando, et Spiritum sanctum imperiendo. Misit eos, sicut ipse a Patre missus fuerat, fecitque consortes potestatis quam in cœlis terraque acceperat, ut docerent, baptizarent, et cætera omnia munia obirent, quæ in hominum salutem cedunt. Amplissima fuit hæc ordinatio, qua etiam continebatur facultas alios in suorum munerum consortium adsciscendi; nam ad mundi usque finem potestas illis demandata exercenda erat, Christo semper præsente. Quod non referatur mandasse quo ritu eam communicarent potestatem, nil obstat: nec enim omnia quæ illis in jussis dedit, scripto sunt consignata; et ex rebus eorum gestis optime colligimus ejus voluntatem et jussionem. Impositione manuum contulerunt Apostoli sacram potestatem, una cum gratia qua rite exerceri possit: ea igitur fuit ratio a Christo præscripta qua potestas illa et gratia communicarentur: et proinde habetur divina institutio, et tota Sacramenti essentia.

(1) Ep. i. ad Anastas. c. vii.
(2) Act. xv. Can. ii. apud. Harduinum col. conc. t. ii. col. 602. (3) Can. v.
(4) Tom. ii. col. 783. (5) Can. iii t. iii. col. 386.
(6) Cap. iii. t. iii. col. 961.
(7) Vide Naironum, Euoplia p. 218. et seq.

16. *Obj.* 2. Potuerunt Apostoli alios sibi in sacrorum munerum consortium adsciscere, ut Christi mandatum de omnibus gentibus docendis exequerentur : usi sunt eum in finem manuum impositione, utpote ritu Hebræis familiari, quo victimas Deo sacrabant, vel divinam implorabant in aliquos benedictionem. At non ideo Sacramentum habendus est ille ritus, quamvis signum potestatis communicatæ : nec enim Apostoli vim gratiæ conferendæ ritui illi adnectere valuerunt.

17. *Resp.* Haud suo arbitrio, sed Christi mandato Apostoli censendi sunt in rebus præcipuis egisse, Spiritu sancto eorum illustrante mentem. Utebantur quidem Hebræi manuum impositione plurimis in rerum adjunctis; sed longe a consuetis ritibus distabat illa manuum impositio, qua, Paulo testante, donum divinum, ad sacra obeunda munia, conferebatur. Est igitur Sacramentum, quia effectum in anima producit, quem Apostoli ipsi haud valentes ei adnectere, ad Christum auctorem referre necesse est.

18. *Obj.* 3. Manuum impositio ab Apostolis ipsis passim fiebat ad ægrotos curandos, juxta Christi mandatum, [1] ad neophytos in fide firmandos, invocato Spiritu sancto, et alios in fines. Ergo non fuit Sacramentum, ritus scilicet ad sacram potestatem communicandam Christi voluntate definitus.

19. *Resp.* Utique fiebat manuum impositio ab Apostolis plures in fines; sed non ideo vagus et incertus ritus ordinationis est: ea enim manuum impositio quæ in ea fit, ex adjunctis et verbis quæ simul proferuntur, determinatur ad potestatis communicationem significandam. Ex eo quod alias adhiberetur, recte infertur haud quamlibet manuum impositionem a Christo ad sacrum munus communicandum destinari; sed eam tantum quæ ad hunc finem specialem habet relationem.

20. *Obj* 4. Manuum impositio Paulo et Barnabæ facta [2] non potest ordinatio haberi, multo minus Sacramentum : Paulus enim a Deo electus Apostolus, antea sacro ministerio functus erat, concionando, et sacra munia obeundo Barnabas etiam inter prophetas et doctores Antiochiæ recensebatur, quibus sacro munere fungentibus Spiritus sancti voluntas de Pauli et Barnabæ futuris laboribus revelata est.

21. *Resp.* Omnia suadent de vera ordinatione agi : nam Spiritus sancti jussu Paulus et Barnabas in munus assumpti sunt, jejunio, oratione, et manuum impositione. Nec obstat Pauli divina vocatio : Deus enim eum Baptismum suscipere jussit; et proinde non potest censeri eum potestate Apostolica, nisi consueto servato ritu, auxisse. Prædicaverat quidem antea Paulus Damasci et Antiochiæ, et Barnabas egregiam operam præstiterat in fidelibus edocendis, et dilatanda Ecclesia : quod argumentum est utrumque jam sacram accepisse presbyteratus potestatem, quæ nonnisi ordinatione conferebatur. Silentium Scripturæ ea de re non obstat, quum plurima prætermissa noscantur, paucis quæ ad historiam pertinebant relatis. Cæterum non ante impositionem illam manuum, quam narrat Lucas, censendi sunt episcopali et apostolica potestate induti. [3] Hinc nonnisi postea leguntur constituisse per singulas Ecclesias presbyteros. [4]

22. *Obj.* 6. De gratia qua anima fit Deo chara, Χαρις, non agit Apostolus, sed de dono quodam fortitudinis : « Χάρισμα hoc loco idem est quod πνεῦμα,

(1) Marc. xvi. 18. (2) Act. xiii. 3.

(3) Vide et Oxoniensium hac de re animadversionem, supra pag. 6.

(4) Act. xiv. 22.

quod in tali contextu usurpatur de potestate, cuidam, tamquam evangelicæ doctrinæ magistro, conferendi locum (cf. Act. xiii. 1.—3.) et de animi fortitudine qua opus erat iis, qui locum doctoris recte tueri vellent. » Rosenmüller. [1]

23. *Resp.* Agit Apostolus de dono Dei — τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ [2] — ad fungendum sacris muneribus dato; quod si rite suscipiatur, anima procul dubio fit Deo acceptior. Constat autem ordinationi Sacramenti ratio, quum vi ejus donum illud potestasque concedatur, quamvis contingere possit suscipientis culpa, ut gratia, qua anima sanctitate augetur, simul non recipiatur. Profecto spiritus in ordinatione datus dicitur non tantum fortitudinis, sed et dilectionis et prudentiæ. — οὐ γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως, καὶ ἀγάπης, καὶ σωφρονισμοῦ. « Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. [3]

24. *Obj.* 6. « Hanc dotem Timotheo datam esse ait Apostolus, διὰ προφητείας, per *vaticinationem*, sive denunciationem prophetarum, i. e. eorum doctorum, qui eum collocabant in ministri evangelici loco, ad eamque rem inflammabant promissione, fore, ut ei necessaria ad locum cum dignitate sustinendum facultas, scilicet strenuus animus concederetur. I. Tim. i. 18. » Rosenmüller.

25. *Resp:* Apostoli mens patet collatis ejus testimoniis. Prophetia cujus meminit præcessisse videtur ordinationi, quæ ideo facta est, quia prædixerant aliqui Timotheum fore præsulem; [4] vel certe a ritu illo omnino distinguebatur; nam ea prætermissa, dicit simpliciter alio loco gratiam datam fuisse impositione manuum suarum. Perabsurdum est de votis doctorum, et felicis successus auguriis, prophetiæ vocem interpretari; et ad donum verosimiliter futurum referre quod de dono Timotheo jam dato, et in eo manente, dicit Apostolus. Cum Apostolo manifeste pugnat Rosenmüller, subjungens: « Intelligitur præterea, datum Timotheo χάρισμα non tam collatum esse, quam ejus concedendi spem factam, (veluti I. Joan. v. 11.) nec verba μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν tam significare id, quo ei hoc donum tribueretur, quam opportunitatem, scilicet solemnem inaugurationem, in qua significatio hujus expectandi beneficii facta esset, quasi tu diceres: non *eo quod*, sed *quum* tibi manus imponerentur. » Ita pro arbitrio detorquentur verba Apostoli, quæ munus jam datum, et in eo manens plane denotant, — τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη: — illudque cum impositione manuum et per eam datum affirmant. — μετὰ ἐπιθέσεως των χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. — τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου.

26. *Obj.* 7. Apostolus loquitur de impositione manuum presbyterii, seniorum scilicet cœtus: qui ritus longe distat ab ordinatione quæ a solo Episcopo perficitur.

27. *Resp.* Calvinus audiatur: « Paulus ipse alibi se, non alios complures, Timotheo manus imposuisse comme-

(1) In I. Tim. iv. 14.

(2) II. Tim. i. 6. Eadem vox adhibetur Rom. vi. 23. « Gratia Dei vita æterna. » Vide et Rom. v. 15. et I. Cor. vii. 7.

(3) II. Tim. i. 7.

(4) Calvinus sic explicat, haud infeliciter: « Dicit gratiam illi *datam esse per prophetiam*. Quomodo? quia scilicet Spiritus sanctus oraculo Timotheum destinaverat, ut in ordinem pastorum cooptaretur. Neque enim delectus tantum fuerat hominum judicio, ut fieri solet: sed præcesserat Spiritus nuncupatio. Dicit collatam esse cum impositione manuum, quo significat, una cum ministerio necessariis etiam dotibus ornatum fuisse. . . . . Itaque sensus est Timotheum, quum prophetarum voce ascitus fuit in ministerium, et deinde solemni ritu ordinatus, simul gratia Spiritus sancti instructum fuisse ad functionem suam exequendam. » Comm. in I. Tim. iv. 14.

morat, (I Tim. 1. 5.) « Admoneo te » (inquit) « ut gratiam suscites quæ in te » est per impositionem manuum mea» rum. » Nam quod in altera epistola *de impositione manuum presbyterii* dicitur (II Tim. 4. 14.) non ita accipio quasi Paulus de seniorum collegio loquatur : sed hoc nomine ordinationem ipsam intelligo, quasi diceret : Fac ut gratia, quam per manuum impositionem recepisti, quum te presbyterum crearem, non sit irrita. » [1] Cæterum in ritu ordinationis, presbyteri qui adsunt manus imponunt, et in consecratione Episcopi, tres Episcopi semper imponunt manus, nisi dispensetur ab Apostolica Sede. Quum Timotheus Episcopus fuerit, ei plures Episcopos una cum Paulo imposuisse manus haud inverosimile est; eos autem presbyterorum nomine designari plus semel a sacris scriptoribus, in confesso est.

28. *Obj.* 8. Si ordinationis ritus a Christo præscriptus fuisset, et Sacramenti dignitate insignitus, ubique et semper idem foret : at vero magna est diversitas Græcos inter et Latinos, tum in ritibus ordinationis, tum in ordinum numero:et apud Latinos variæ circumferuntur sententiæ de ordinationis essentia. Nequit igitur Sacramentis accenseri.

29. *Resp.* Satis est Christum potestatem fecisse Apostolis alios in ordinem sacrum adsciscendi, manuum impositione et oratione in eum finem directis, quin singula definierit quæ ea occasione forent servanda. Jam vero ex rebus gestis Apostolorum novimus eo ritu potestatem sacram communicari; quod nonnisi Christo auctore contingere potuit. Nulla est Græcos inter et Latinos ea in re diversitas : nam ubique fit manuum impositio in ordinibus conferendis : et episcopatus, presbyteratus, diaconatus agnoscuntur, subdiaconatus etiam; de minoribus ordinibus, qui a plurimis sacra tantum officia habentur, aliqua varietate, quæ nihil affert incommodi, admissa. Nil igitur obstat, quin Sacramentum habeatur. Quæ autem inter theologos reperitur sententiarum diversitas de ritibus necessariis ad potestatem Ordinis conferendam, cum omnium consensione de rei summa conjungitur; omnes quippe conveniunt in ritibus præscriptis totam reperiri essentiam,quamvis de quorumdam rituum necessitate disputetur. Mirum autem non est, in solemniori ritu, in quo plurima ad decorem usurpantur, dubium oriri de quodam speciali ritu, utrum necessario adhibendus sit.

30. *Obj.* 9. Quum Ordo habeatur Sacramentum, et septem a Latinis recenseantur ordines, præter episcopatum, septem vel octo agnoscenda erunt minora Sacramenta, illa generali nuncupatione inclusa : vel incertum erit quinam ex ordinibus Sacramentum sit.

31. *Resp.* Nihil est incommodi si plures ordines Sacramenta agnoscantur, generali nuncupatione inclusa : vel si Sacerdotium Sacramentum habeatur, ordinibus eo inferioribus ad Sacramenti dignitatem haud pertingentibus, episcopatu vero, utpote sacerdotii tantum perfectione et explicatione, non novum Sacramentum constituente. De his nihil impræsentiarum proferre volumus,satis ducentes fidei dogma de ordinatione ipsa imprimis tueri, sententiam tamen nostram deinceps aperturi.

Corollaria.

32. 1. Quum ritus sacer ab Apostolis adhibitus sit, Christo auctore, ad potestatem qua sacris muneribus quis fungatur, communicandam, liquet hanc rationem potestatem transmittendi

(1) Inst. l. iv, c. iii. n. 16. In commentario *in locum* Calvinus alteram amplectitur interpretationem, sed et hanc satis in verba Apostoli quadrare fatetur.

necessario et perpetuo servandam esse. Id alte prædicant Oxonienses.[1]

33. II. Quum χαρισμα, donum scilicet Dei, spiritus dilectionis et virtutis, detur manuum impositione, haud frustra Episcopi in ordinatione dicunt: « Accipe Spiritum sanctum; » re enim vera Spiritus sanctus sacro ordinationis ritu communicatur,[2] quamvis non constet cum dum ea proferuntur verba conferri, quum plures censeant ea ad essentiam non pertinere. Merito igitur Tridentini Patres decreverunt: « Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: *Accipe Spiritum sanctum;* aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursum fieri posse; anathema sit. »[3]

34. III. Ea munia quæ ministrorum sacrorum propria sunt, v. g. absolvere, conficere Eucharistiam, ungere infirmos, nequeunt ullatenus ab iis qui non sunt *ordinati* exerceri. Irrita sunt proinde et vana quæcumque attentata fuerint ab hominibus sacra carentibus potestate.

CAPUT II.

DE SACERDOTIO.

35. Ordo sacer, ex dictis, est Sacramentum novæ legis, a Christo Domino nostro institutum, quo potestas ad sacra obeunda munia confertur, gratiæ etiam subsidiis adjectis. Sacerdotium præcipue ordinatione confertur, quod quidem plenissime in Episcopo agnoscitur, quatenus et sacerdotes valet ipse creare; minus perfecte, vere tamen, in presbytero. Illud circa Sacrificii oblationem præsertim versatur, sed et potestatem remittendi, vel retinendi peccata includit, uti ex disceptatis liquet. Lutherus omnes Christianos sacerdotes esse prædicavit: « Agnoscat itaque quicumque se Christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo et quocumque Sacramento habere potestatem: verum non licere quemquam hac ipsa uti, nisi consensu communitatis, aut vocatione majoris. »[4] Omnem veram ministerii christiani notionem amiserunt sectarii hodierni; quum enim Sacrificium eucharisticum rejiciant, et remittendi peccata potestatem impugnent, tota ministerii quod agnoscunt ratio in prædicatione, et in precibus fundendis versatur. Omnis vero auctoritas iis prædicantibus detrahitur, quum fateantur se, et sectam ipsam, cujus doctrinam annuntiant, erroris periculo non esse immunem.[5] Manet igitur ministerii christiani nomen tantum et umbra, sacerdotii autem nulla apud plerosque imago; Episcopalibus nonnullis nomen retinentibus, veri sacerdotii a plerisque notione procul rejecta. Methodistæ, qui se Episcopales vocant, senioris nomen in locum sacerdotis

(1) « We must necessarily consider none to be *really* ordained who have not *thus* been ordained. For if ordination is a divine ordinance, it must be necessary. » Tract 1.

(2) « Let it not be said that you have neglected a gift; for if you have the Spirit of the Apostles on you, surely this is a great gift. Stir up the gift of God which is in you. » Ibidem.

(3) Sess. xxiii. can. iv.

(4) L. de capt. Babylon. t. ii. fol. 298.

(5) Oxonienses fatentur sectam suam dubio dare occasionem, se infallibilem haud prædicando; et dicunt mirum videri non debere si errore inficiatur. « The English Church taking no such high ground as this, certainly is open to the force, such as it is, of the objection, or (as it was just now expressed) on the *prima facie* view of the case is unlikely to have embraced the whole counsel of God, because she does not assume infallibility; and consequently no surprise or distress should be felt by her dutiful sons should that turn out to be the fact, which her own principles, rightly understood, would lead them to anticipate. » Tract. 71. vol. iii.

suffecerunt. Errorem novatorum decimi sexti sæculi, qui apud eorum sectatores adhuc viget, damnaverunt patres Tridentini : « Si quis dixerit non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit. » [1]

Propositio.

Est in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; cui competit potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi.

36. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christus post Eucharistiæ consecrationem, qua verum Deo Patri obtulit, uti probavimus, sacrificium, dixit : « Hoc facite in meam commemorationem; » [2] mandatum illud offerendi Apostolis dedit, et proinde eos constituit sacerdotes; nemo enim qui sacerdos non sit, potest verum et proprium, quale est Eucharistia, offerre sacrificium. Dicendo illis : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : quorum retinueritis, retenta sunt; » [3] dedit potestatem remittendi et retinendi peccata. Porro utramque potestatem perpetuam esse liquet ex Paulo docente mortem Domini annuntiandam eucharistiæ celebratione usque ad ejus secundum adventum; et ex verbis præmissis potestatis remittendi peccata collationi : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos : » [4] hæc scilicet ostendunt potestatem hanc ad missionem, et proinde ad ministerium pertinere. Est igitur verum sacerdotium a Christo institutum, visibile et externum, cui utraque potestas competit.

37. Equidem liquet eos qui Antiochiæ versabantur prophetæ et doctores visibilis et externi sacerdotii munere functos esse, quod de sacrificio oblato apte intelligitur, juxta usum sacri scriptoris : Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, καὶ νηστευόντων : « Ministrantibus autem illis Domino et jejunantibus. » [5] Constat quoque ritu externo, impositione scilicet manuum, Paulum et Barnabam, in munus ad quod a Spiritu sancto delecti erant, fuisse consecratos; eosque per singulas Ecclesias presbyteros manuum impositione constituisse, [6] et Titum Cretæ a Paulo relictum, ut in qualibet civitate presbyterum constitueret : « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas; et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi. » καταστήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην. [7] De externo et visibili ministerio quod perpetuum foret nullus est relictus dubitandi locus; illud autem sacerdotium esse, et utraque quam exposuimus potestate præditum, ex adductis Christi Domini verbis constat. Merito igitur Paulus se suosque collegas Christi ministros et dispensatores mysteriorum divinorum exhibuit; postquam enim in studia eorum qui se Apollo, aut Cepha magistris gloriabantur, invectus fuisset, omnem hujusmodi considerationem, quæ singulos respiciebat, altiori ministerii rationi cedere debere monuit : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. » [8]

38. *Probatur* 2. *ex traditione.* Tot quæ allegavimus Patrum testimonia, dum de Eucharistiæ Sacrificio, et po-

(1) Sess. xxiii. can. i. (2) Luc. xxii. 19.
(3) Joan. xx. 22. (4) Ibidem 21. (5) Act. xiii. 2.
(6) Ibidem xiv. 22. (7) Tit. i. 5.
(8) I. Cor. iv. 1.

testate remittendi peccata ageretur, ostendunt sacerdotium esse visibile et externum, utraque potestate donatum. Cætera omnia vetustatis christianæ monumenta id plane conficiunt. Unum vel alterum Patris locum, speciminis instar, referimus.

39. Eusebius cum veteri sacerdotio christianum confert, de sacerdotibus christianis dicens : « Ad longe præstantius sacrificium et munus assumpti, quam illud antiquum fuerit, non amplius fas esse putamus, in prima illa et infirma elementa recidere, signa quædam et imagines, non ipsam veritatem continentia. »[1]

40. S. Gaudentius : « Dominus discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari. »[2]

41. S. Gregorius Nyssenus scribit : « Eadem verbi (*Christi*) vis sacerdotem augustum ac honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Quum enim heri ac tempore superiori unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul : eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, *invisibili quadam vi ac gratia*, *invisibilem animam in melius transformatam gerens*. » — ἀόρατῳ τινὶ δυνάμει, καὶ χάριτι τὴν ἄορατον ψυχὴν μεταμορφωθεὶς πρὸς τὸ βελτίον.[3]

42. S. Chrysostomus dicit : « Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur; sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est : atque id perquam merito. »[4]

Objectiones solvuntur.

43. *Obj.* 1. Nunquam in novo Testamento sacerdotum christianorum mentio fit : seniores enim — πρεσβυτεροι — non sacerdotes — ιερεις — ministri Evangelii vocantur.

44. *Resp.* Obvia erat ratio cur sacerdotes christiani nomine illo haud designarentur, quo appellabantur Judæorum, vel Ethnicorum sacerdotes ; eo enim intelligebatur ille qui mactabat animantia. Quum igitur Christi oblato in cruce sacrificio, jam cruenta nulla offerenda foret victima, placuit πρεσβυτερους vocare Apostolos, omnesque sacri ministerii consortes, voce *seniores*, munere magis quam ætate, indicante. Cæterum distinctione semel statuta, et diffusa religione christiana, ιερεις passim vocabantur sacerdotes Christi, quum jam non foret periculum, ne cum ethnicis vel judaicis sacerdotibus confunderentur : ipsaque vox πρεσβυτερος ex usu loquendi sacerdotem designabat, adeo ut plerasque ad linguas Europæ traducta eam ferat significationem ; omnibus scilicet christiani nominis professoribus inhæsit sacrificii et sacerdotii notio.

45. *Obj.* 2. Sacerdotium nullum in nova lege est præter illud quo fungitur Christus apud Patrem, Sacerdos in æternum : quod autem adstruitur hominum suas vices gerentium, latissimo quodam sensu ita appellatur, quum mystica sit oblatio, ipsis fatentibus Catholicis. Eo quidem sensu omnes Christiani sacerdotes dici queunt, juxta illud Petri : « Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum ; »[5] regale sacerdotium. »[6] Hinc Sancti gloria cœlesti gaudentes dicunt de Christo : « Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. »[7]

(1) Dem. Ev. l. i. cx. (2) Tract. ii. de Exodo.
(3) Orat. in Bapt. Christi.
(4) L. iii. de Sacerd.
(5) I. Pet. ii. 5. (6) Ibidem 9. (7) Apoc. i. 6.

46. *Resp.* Obvio ac vero sensu sacerdotium est, quum victima præclara adsit, et vere Deo offeratur. Longe distant sacerdotes a fidelium cæterorum conditione, qui sacerdotium sanctum dicuntur eo quod valeant offerre spirituales hostias, prout explicat ipse Apostolus, ut eos ad bonorum operum exercitium hortetur. Latior illa vocis acceptatio, quæ ex contextu liquet, non potest efficere, ut quæ de potestate conficiendi Eucharistiam et absolvendi dicta sunt Apostolis, et aliis qui eorum ministerii consortes sunt, ab obvio sensu detorqueantur. Christi legatione funguntur, juxta illud Pauli : « Pro Christo legatione fungimur. »[1]

47. *Obj.* 3. Tertullianus nullum sacerdotium in nova Lege divinitus institutum agnovit; sed officiorum discrimen totum ad Ecclesiæ consuetudinem retulit : quum enim contra nuptias secundas disceptaret, eas omnibus vetitas dicit, eo quod omnibus conveniant munera sacerdotalia. « Vani erimus, » inquit, « si putaverimus quod sacerdotibus non licet, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est : « Regnum quoque nos » et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. » Differentiam inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo. Ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus . . . Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso . . . . digamus tinguis, digamus offers? »[2]

48. *Resp.* Studio erroris actus Tertullianus præsidium ex sacris quibusdam muneribus, quæ in nonnullis rerum adjunctis obibant laici, exquisivit: « Omnes nos, » inquit, « Deus vult ita esse dispositos, ut ubique Sacramentis ejus obeundis apti simus. »[3] Hoc cum versaret argumentum, verbis vel sententia eum peccasse mirum non est; solent enim erroris patroni haud accurate res referre, vel ratiocinari. Unicuique licet baptizare, urgente necessitate : licuit etiam olim, ob persecutionem grassantem, suscipere Eucharistiam propriis manibus, quam eos offerre quodammodo dicit Tertullianus, eo quod nonnisi precibus præmissis, eam sumerent, vel quod paterfamilias cæteris distribueret. Sacerdotes idcirco, lato quodam sensu, omnes dicit. Quod autem addit de differentia inter sacerdotes et laicos Ecclesiæ auctoritate constituta, intelligendum est de externis honoris indiciis, quæ discrimen a Deo factum sequuntur : nisi velimus Tertullianum hac etiam in re transversum actum, quod haud verosimile est; nam alibi exprobrat sui temporis hæreticis : « laicis sacerdotalia munia injungunt.»[4] Quidquid sit, constat eum agnovisse visibile et externum sacerdotium, offerendi sacrificium, sed et remittendi peccata potestate donatum. Constat etiam cæteros omnes Patres id habuisse persuasum, et ad Christi voluntatem retulisse.

49. *Obj.* 4. Theodoretus refert Frumentium, juvenem ab Indis captum, gratiam apud eos iniisse, suasisse autem mercatoribus illuc commeantibus, ut convenientes in unum divinam perficerent liturgiam.[5] — τὰς θείας ἐπιτελεῖν λειτουργίας.

50. *Resp.* Liturgiæ vox latiori sensu eo loci usurpata est, ad preces scilicet sacras designandas, quas fideles illi recitabant, deficiente sacerdote, qui mos alicubi etiamnum servatur; solent enim fideles, nonnullis in locis intra provincias has Fœderatas, convenire die Dominica, ad preces simul funden-

(1) II. Cor. v. 20.
(2) L. de exhort. cast. c. vii. (3) Ibidem.
(4) L. de præscript. hær. c. xli.
(5) Hist. Eccl. l. i. c. xxiii.

das, quando non datur sacerdotis copia. Cæterum nemini laico unquam licuit Sacrificium offerre. Profecto Theodoretus testatur Frumentium Alexandriam reversum ab Athanasio episcopali charactere insignitum, — τὴν ἀρχιερατικὴν αὐτῷ χάριτον μεταδιδοὺς. — ut ad Indos reverteretur, eis Sacramenta impertiturus.

Animadversiones.

51. Quum constet Ordinationem esse Sacramentum, et sacerdotium præcipuus sit ordo : nam episcopatus ipse est sacerdotii perfectio; liquet illud Sacramentum esse : quod in confesso apud Catholicos omnes est.

52. Sacerdotii honor et potestas ordinatione, uti demonstravimus, confertur ex Christi instituto; ideoque vocatus a Deo jure optimo dicitur qui ea ratione in sacerdotum numerum cooptatur, quamvis qui temere, absque divinæ voluntatis indiciis, sese ad ordinationem suscipiendam offert, magno se salutis discrimini objiciat. Cæterum semel ordinatus potestatem habet sacerdotii munia obeundi, servatis tamen debitis conditionibus. Iis qui absque ordinatione sacra aggrediuntur munia, quod sectarum præconibus in more positum est, illud Pauli est in memoriam revocandum : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te. »[1] Magnam vim in hoc et aliis hujusmodi testimoniis ponunt Oxonienses, sui vulneris haud memores.[2]

CAPUT III.

DE EPISCOPATU.

53. Episcopatum diximus sacerdotii esse plenitudinem et perfectionem, quum potestatem ferat aliis communicandi sacerdotium, et fideles gubernandi. Utrum sit Sacramentum a sacerdotio distinctum inter Theologos quæritur, quorum sententia affirmans nobis magis probatur. Equidem Spiritum sanctum episcopali consecratione conferri non possumus dubitare, quum consecrator dicat : « Accipe Spiritum sanctum; » quæ verba haud frustra proferri ex Tridentina definitione constat. Apostolus Episcopos a Spiritu sancto constitutos in Ecclesiæ regimen tradit, monens quos Epheso arcessiverat : « Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. »[3] Quæ de Paulo, et Barnaba, et de Timotheo, adduximus loca, episcopalem consecrationem spectant; unde patet gratiam ea conferri, et eam esse proinde Sacramentum. Ejus distinctio a sacerdotio simplici colligitur ex præstantiori quam confert potestate ad plura, quibus efficiendis hoc prorsus impar est.

54. De gradus discrimine nulla potest moveri quæstio, salva fide : damnatus est enim, quinto sæculo ineunte, Aerii error id negantis, prout refert S. Epiphanius : « Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum et immane. Imprimis enim : Quanam, inquit, in re presbytero Episcopus antecellit ? Nullum inter utrumque discri-

(1) Heb. v. 4.

(2) « How shall they preach, except they be sent? » « Let a man so account of us, as the » Ministers of Christ, and Stewards of the mys- » teries of God. » « No man taketh this honour » to himself but he that is called of God, as » was Aaron, » I do not think it possible for any one to read such places as these with a fair and clear mind, and not to perceive that it is better and more scriptural to have, than to want, Christ's special commission for conveying his word to his people. » Tract. 4.

(3) Act. xx. 28.

men est. Est enim amborum unus ordo, par et idem honor et dignitas. Manus imponit Episcopus; imponit et presbyter. Episcopus in throno sedet: sedet et presbyter. His in vulgus jactatis, plerosque in errorem adduxit, quorum sectæ princeps extitit. »[1] Errorem hunc amplexi sunt Albigenses, Waldenses, Wickleffus. Calvinus Episcopi originem sic refert: « Quibus ergo docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi: ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore et dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet: sed quas partes habet consul in senatu, ut referat de negotiis, sententias roget, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, et quod decretum communi consilio fuerit exequatur: id muneris sustinebat Episcopus in presbyterorum cœtu. »[2] Presbyteriani et Baptistæ Episcopos et seniores, (ita vocant presbyteros, vocis significationi inhærentes, usu neglecto), eosdem esse dicunt.[3]

55. Concilium Tridentinum « declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. »[4] Definit etiam: « Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris; anathema sit. » « Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi: vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; . . . anathema sit. »[5] Ideo, testante Petro Colleto, « Catholici omnes constanter docent, Episcopos esse presbyteris superiores; idque de jure divino, si de potestate ordinis sermo sit: sed ambigunt an eodem jure presbyteris superiores sint quantum ad potestatem jurisdictionis. »[6] Controversiam hac de re in Concilio habitam fuse narrat Pallavicinus,[7] quam Patres supremo judicio dirimere nolentes, satis habuerunt, præstantiam Episcoporum, juris omissa mentione, definitione declarare. Plerique tenent jurisdictionem a Pontifice derivari: quam qui a Christo derivant, fatentur pontificiæ auctoritati subjici, adeo ut limites intra quos exerceatur ipsius sit definire.

Propositio.

Episcopi sunt presbyteris superiores.

56. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Constat Apostolis eximiam datam esse potestatem, Episcopos autem in consortium ejusdem ab iis adscitos, quos et successores reliquerunt. Ergo præstant presbyteris, tanta auctoritate non gaudentibus.

57. *Probatur* 2. *ex Patribus*. Clemens Romanus dicit: « Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et levitis sua munia tributa. »[8]

(1) Hær. lxxv.
(2) Inst. l. iv. c. iv. §. 2.
(3) Presbyterian form of Government, ch. iv. Baptist confession of faith, ch. xxvii.
(4) Sess. xxiii. cap. iv.
(5) Ibidem can. vi. vii.
(6) Tract. de Ordine p. ii. c. iv. de Episcopis, art. ii.
(7) Istoria del Concilio di Trento l. xviii. et xix.
(8) Ep. ad Cor. Cap. xl.

58. S. Ignatius M. Smyrnenses hortatur : « Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos, diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum. » [1] Ad Magnesianos : « Hortor, ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi. » [2]

59. Clemens Alexandrinus scribit : « In Ecclesia progressiones Episcoporum, presbyterorum, et diaconorum imitationes sunt angelicæ gloriæ. » [3]

60. Origenes : « Plus a me exigitur, quam a diacono; plus a diacono quam a laico. Qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. » [4]

61. S. Cyprianus : « Christus dicit ad Apostolos, et per hos omnibus præpositis, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt : « Quæcumque ligaveritis, » etc. » [5] Plurima alia adduximus testimonia dum de Ecclesiæ regimine ageretur, ad quæ lectores remittimus, ne eamdem crambem recoquere videamur. [6]

62. *Probatur* 3. *ex vetustissimis Ritualibus.* In Ritualibus vetustissimis qui supersunt, apud Ecclesiam orientalem vel occidentalem usitatis, distinctio inter Episcopos et presbyteros perpetuo servatur, et ad Christum auctorem refertur : quod et in Constitutionibus, quæ apostolicæ dicuntur, animadvertere est. [7]

63. *Probatur* 4. *ex omnium sectarum Orientalium consensione.* Sectæ omnes Orientales, etiam antiquissimæ, distinctionem inter Episcopum et presbyterum agnoscunt, illi regendi potestatem tribuentes, quam huic denegant. Episcopi præstantia ex eorum consensione pristina traditione niti noscitur. [8]

64. *Probatur* 5. *præscriptione.* Episcoporum præstantia ubique per orbem christianum agnita est, saltem secundo sæculo, fatentibus iis qui eam impugnant. Nequit autem ostendi eam tunc primum statutam, quum testimonia potius probent eam jam vigentem : imo habentur Ignatii indubia documenta, quæ ad finem primi sæculi referenda sunt, vel saltem ad initium secundi; obiit enim martyr anno 107 : ut de Clemente Romano, Apostolorum discipulo, sileamus. Porro inverosimile prorsus est totam rationem qua Christus regi voluit Ecclesiam, tempore adeo vetusto immutatam esse sensim sine sensu : et sacerdotes omnes per omnes mundi plagas, ubicumque diffusa fuerit fides, dominos sibi et rectores præposuisse, contra prioris ætatis exempla.

Objectiones solvuntur.

65. *Obj.* 1. Calvinus sic scribit : « Cæterum quod Episcopos, et presbyteros, et pastores, et ministros promiscue vocavi qui Ecclesias regunt, id feci Scripturæ usu, quæ vocabula ista confundit : quicumque enim verbi ministerio funguntur, iis titulum Episcoporum tribuit. Sic apud Paulum, ubi jussus est Titus constituere presbyteros oppidatim, continuo subjicitur : (Tit. i. 5). « Oportet enim Episcopum esse inculpabilem, » etc. Sic alibi plures in una Ecclesia Episcopos salutat (Phil. i. 1.) Et in Actis refertur convocasse presbyteros Ephesinos, quos ipse Episcopos sua oratione nominat. (Act. 20. 17.) » [9]

(1) Cap. viii. (2) Cap. vi.
(3) L. vi. Stromatum c. xiii.
(4) Hom. xi. in Jeremiam. (5) Ep. lxvi.
(6) Tract. de Ecclesia c. xv. prop. i. vol. i. p. 210.
(7) Consule Martenium de sacris ritibus t. ii. c. viii. Art. ix.
(8) Vide *La perpétuité de la foi.* t. iii. p. 570.
(9) Inst. l. iv. c. iii. n. 8.

66. *Resp.* Non imus inficias Episcopos in novo Testamento vocari etiam presbyteros, pastores, et ministros Christi: nam et Apostoli sic nuncupantur. Præterea in Ecclesiæ primordiis plerique ab Apostolis electi constituti sunt Episcopi, ut possent præsto esse ad omnia munia sacra obeunda, et Ecclesiarum quæ in dies fundabantur regimini præfici, plena instructi auctoritate. Hinc plures in eadem urbe simul versatos esse mirum non est, quamvis nil probet omnibus pariter ejus curam commissam. E contra Jacobus Hierosolymorum Episcopus fuisse singularis a vetustissimis scriptoribus dicitur; et Titus, et Timotheus, singularibus Ecclesiis præfecti noscuntur, aliorum quos creabant Episcoporum cura illis concredita. Veri nominis Episcopos oppidatim constituendos a Tito indicat Paulus, quos presbyteros primum vocat, vocabulo dignitatem designante, quod posterior usus ad sacerdotes secundi ordinis denotandos definivit. Episcopos etiam veros intelligimus eos quos eo nomine salutat Paulus ad Philippenses scribens, quos tamen pari auctoritate eam rexisse Ecclesiam nil probat; satis enim intelligitur ex iis quæ diximus cur plures simul in eadem urbe aliquando versarentur. Episcopi erant qui Epheso, Paulo vocante, Miletum venerant, regimine præditi. Nil probat nomen illud omnibus tributum, qui verbi ministerio fungebantur, quum proprium videatur semper fuisse eorum qui præfectura et regimine gauderent.[1] Cæterum si quis cum S. Joanne Chrysostomo censeat Episcopi et presbyteri voces absque discrimine initio usurpatas, non ideo qui nunc Episcopi designantur a presbyteris haud differre censendi sunt, quum vocum distinctio, quæ saltem paulo post servata est, munerum discrimine, quod ab initio viguit, nitatur.

67. *Obj.* 2. S. Clemens Romanus de Apostolis dicit: « Prædicantes igitur per regiones ac urbes, primitias earum, spiritu cum probassent, in Episcopos et diaconos eorum qui credituri erant constituerunt. »[2] Sic et alii vetustissimi Patres duos hos ordines tantum commemorant: presbyteri igitur Episcoporum nomine veniunt.

68. *Resp.* Id optime consonat his quæ, post Petavium, diximus de plerisque ab Apostolis constitutis Episcopis; quibus etiam dabant, uti adnotat S. Epiphanius, diaconum ad sacrorum munerum decorem. Penes Episcopos autem erat presbyteros, pro Ecclesiarum necessitate, ordinare. Profecto Clemens ipse jam trium graduum distinctionem tradiderat, ad legem Domini eam referens: « nam qui sequuntur leges Domini, non aberrant. Summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua munia tributa. »[3]

69. *Obj.* 3. Qui cæteris præerant in Ecclesia veteri, nonnisi primi inter pares habebantur, ideoque decreta, haud illorum, sed Ecclesiæ nomine edebantur. Sic epistola a Clemente Romano ad Corinthios scripta, incipit: « Ecclesia Dei quæ incolit Romam, Ecclesiæ Dei quæ incolit Corinthum. »

70. *Resp.* Episcopi auctoritate gaudebant maxima in ipsis Ecclesiæ primordiis, uti liquet ex Ignatii epistolis, quæ nihil absque Episcopo fieri jubent. Quod autem Clemens Ecclesiæ Romanæ nomine scripserit, insigni est modestiæ et sapientiæ argumento: quippe haud sua tantum placita, sed quæ omnibus probata fuerint se enuntiare innuit, ad animos Corinthiorum conciliandos.

(1) Ita censet Epiphanius hær. lxxv. c. v. Vide plura tract. de Eccl. c. xv. Vol. i. p. 214.

(2) I. Ep. c. xlii. 4.

(3) I. Ep. c. xl. 5.

71. *Obj.* 4. Justinus presbyterum cœtui cuilibet fidelium in mysteriorum celebratione præsidentem vocat τῷ προεστῶτι; [1] quem Tertullianus pariter designat : « præsident probati quique seniores : » [2] — « nec de aliorum manu quam præsidentium Eucharistiam sumimus. » [3]

72. *Resp.* Vocibus illis rite designantur sacri ministri, etiam regimine haud fungentes, nec opus fuit Justino vel Tertulliano in christianis vindiciis ethnicos alloquentibus, singulos gradus enucleatius explicare. Cæterum quantum distet præsidens cœtui singulari ab Episcopo ex Tertulliano novimus, qui presbytero haud licere Baptismum ministrare, nisi ex venia Episcopi alias dicit, eum vocans summum sacerdotem. [4]

73. *Obj.* 5. S. Irenæus ad Victorem Episcopum Romanum scribens, decessores ejus vocat presbyteros : « Qui ante Soterem, Ecclesiæ, cui nunc præes, præpositi fuere presbyteri, Anicetum dicimus et Pium. » [5]

74. *Resp.* Presbyteri vere dici poterant Episcopi Romani ab Irenæo, sicut etiam sequiori ætate sacerdotis nomen sæpe Episcopis tribuitur ; quia revera Episcopus est sacerdos, altioris tamen gradus. Cæterum quum Anicetus, Pius, cæterique Victoris decessores, presbyteri vocentur, tamquam unice præpositi — οἱ προστάντες τῆς ἐκκλησίας ἐν τῇ αφῃγῇ — liquet eos a cæteris, quos regebant, presbyteris distingui. Eorum seriem idcirco texuit Irenæus, veluti singulari auctoritate Petro et Paulo, qui Ecclesiam Romanam fundarunt, succedentes.

75. *Obj.* 6. Hieronymus Episcopos a presbyteris nil differre dicit : « Idem est ergo presbyter qui et Episcopus. » . . . « Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos ; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores » [6]

76. *Resp.* Hieronymi sententiam alias investigavimus. [7] Unum aut alterum ejus testimonium hic referre sat erit, in quo Episcopos esse presbyteris superiores palam prædicat. Adversus Joannem Hierosolymitanum scribens, eum dicit naufragum in portu, eo quod tollat discrimen Episcopum inter et presbyterum : « Nihil interest, scribit, inter presbyterum et Episcopum ; eadem dignitas mittentis, et missi : hoc satis imperite : in portu, ut dicitur, naufragium. » [8] Imo non dubitat dicere : « Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent. » [9] Et alias : « Absit ut de his quidquam sinistri loquar qui Apostolico gradui succedentes . . . . claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant. » [10]

77. *Obj.* 7. Augustinus ad usum Ecclesiæ refert episcoporum præstantiam : nam ad Hieronymum scribit : « Quamquam enim secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. » [11]

78. *Resp.* Usus ille nititur divina institutione, juxta quam Episcopi Apostolorum locum tenent, uti liquet ex iis quæ in Psalmum XLIV. scripsit Augustinus, jam a nobis relatis. [12] Profecto Aerium negantem discrimen Episcopi a sacerdote inter hæreticos recensuit.

(1) Apol. i. n. 65. (2) Apologet. c. XXXIX.
(3) L. de corona militis.
(4) L. de Bapt. quem plus semel laudavimus. Tract. de Eccl. c. XV. vol. i. p. 213.
(5) Apud Eusebium, hist. Eccl. l. V. c. XXIV.
(6) Comm. in Tit. c. i. 5.
(7) Tract. de Ecclesia, c. XV. vol. i. p. 217.
(8) Lib. adv. Joannem Hierosolym.
(9) Ep. XLI. ad Marcellam.
(10) Ep. V. alias i.
(11) Ep. LXXXII. alias XIX. n. 33.
(12) T. i. c. XV.

CAPUT IV.

DE DIACONATU.

79. Diaconos inter sacros ministros recensent Anglicani, et eorum munia describunt, sacerdoti scilicet in publico cultu et in distribuenda Eucharistia opem ferre, Scripturas et homilias in Ecclesia legere, fidei rudimenta pueris tradere, et, si sacerdos absit, infantes baptizare, prædicare etiam, facultate tamen ab Episcopo impetrata; insuper, si ita provisum fuerit, in pauperum necessitates inquirere, ut eis subveniatur.[1] Methodistæ Episcopales similia tradunt.[2] De diaconis quos vocant viatores, scilicet circumcursantes, dicunt eorum esse baptizare, celebrare matrimonia, absente seniore, et omnia quæ præconis evangelici sunt obire.[3] Presbyteriani dicunt Scripturas manifesto diaconos ostendere esse Ecclesiæ officiales, quorum munus est pauperum gerere curam, et eleemosynas, quæ in eorum levamen collectæ fuerint, distribuere. Addunt rerum temporalium Ecclesiæ moderamen iis posse committi.[4] Baptistæ temporalium rerum Ecclesiæ curam præcipuum diaconorum munus videntur habere; quod tamen imprimis exercendum est comparando quæ ad mensam Dominicam requiruntur, ministri mensa haud neglecta iis idcirco curandum est, ut omnes subsidia in rem communem Ecclesiæ conferant, et in pauperum levamen.[5] Apud Catholicos sacrum omnino est munus, quod obit diaconus, sacerdoti inter Missæ solemnia adstans, baptizans solemniter, necessitate urgente, et prædicans ex Episcopi licentia.

Propositio.

Diaconatus est sacer ordo.

80. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Diaconatum sacrum esse ordinem ex Scripturis liquet, ex quibus etiam eum Sacramenti habere rationem colligitur. Eos electos esse primitus et constitutos occasione murmuris de neglectis in eleemosynarum distributione viduis Judæorum Hellenistarum ad fidem conversorum, constat: attamen ex dotibus quas in iis exigebant Apostoli, et ex solemni ritu quo ordinati sunt, sicut et ex muneribus sacris quibus functos eos esse refert sacer scriptor, liquet præcipua eorum munia sacra esse. Apostoli fidelibus facta facultate eos eligendi, ut omnis occasio murmuris tolleretur, dixerunt: « Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. »[6] Prudentia et morum integritas recte postularentur in hominibus ad eleemosynas distribuendas tantum electis; sed Spiritus sancti plenitudo sacris muneribus obeundis eos idoneos effecit. Oratio et manuum impositio in iis ordinandis adhibitæ sunt, qua ratione Paulus et Barnabas potestatem susceperunt: « Orantes imposuerunt eis manus. »[7] Sacer igitur ritus ad gratiam cum potestate sacra iis impertiendam adhibitus est. Eos prædicationi vacasse liquet, Deo eorum ministerium prodigiis confirmante. De Stephano diacono dicitur: « Plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in populo. . . . Et non poterant resistere

(1) Ordering of Deacons.

(2) Ordination of Deacons.

(3) Doctrine and Discipline of the Methodist Episcopal Church, Section vii. of the election and ordination of travelling Deacons.

(4) Form of Government, ch. vi. of Deacons.

(5) « They are to be intrusted with the stock of the church, out of which stock, they are to assist the poor members of the church, and to provide bread and wine for the Lord's table, and also to have regard to the minister's table. »

(6) Act. vi. 3.

(7) Ibidem 6.

sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur. »[1] « Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa magna quæ faciebat. — Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. »[2] His accedunt quæ Paulus de diaconorum dotibus tradit, eos cum Episcopis recensens, haud absimiles exigens virtutes.

81. *Probatur* 2. *traditione*. Patrum concors omnino est traditio de sacris diaconorum muneribus. « Oportet diaconos, » inquit S. Ignatius Martyr, « mysteriorum Christi ministros, per omnia placere : nec enim ciborum et potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores. »[3] S. Cyprianus de electione septem diaconorum loquens, animadvertit : « Quod utique ideirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. »[4] Veteres secutus scripsit Venerabilis Beda : « Placuit eosdem ipsos altaris quoque sacri ac Dominici sanguinis, sicut et refectionis, mensæque communis, multitudinis credentium ministros ordinari : quod probatum est verbo, quo dictum est : « Et orantes imposuerunt eis manus. »[5] Patrum cæterorum et Conciliorum referre testimonia supervacaneum duximus, quum sint innumera. Accedunt Ritualia antiquissima, quæ ritus sacros et solemnes in diaconorum ordinatione adhibendos statuunt.[6]

Objectiones solvuntur.

82. *Obj.* 1. « Tametsi nomen ipsum διακονίας latius patet, hoc specialiter tamen diaconos Scriptura nuncupat, quos eleemosynis dispensandis gerendæque pauperum curæ præficit Ecclesia, et velut publici pauperum ærarii œconomos constituit : quorum origo, institutio ac functio a Luca in Actis (6. 3) describitur. »[7] Ita Calvinus.

83. *Resp.* Occasio diaconorum primum instituendorum a fine præcipuo ministerii distinguenda est. Murmurantibus Hellenistis, Apostoli ceperunt consilium diaconos tunc ordinandi, quod tamen Christo auctore eos fecisse existimandum est : nam et dotes eximias exegerunt, et ritum adhibuerunt solemnem, qui ministerium divinum ostendit. Lucas equidem narrat objecto loco occasionem, sed et dotes et ritum recenset; et pergit referre quæ obierunt diaconi sacra munia, adeo ut quam habuerunt pauperum curam, non possit præcipuum eorum officium censeri.

84. *Obj.* 2. Totum munus diaconorum primorum oblivioni datum est a pontificiis : « Diaconos suos ad eam rem *(bonorum ecclesiasticorum distributionem)* minime jam creant : nihil enim aliud ipsis injungunt, nisi ut ministrent ad altare, Evangelium recitent aut canant, et nescio quas agant nugas. Nihil de eleemosynis, nihil de cura pauperum, nihil de tota illa functione, quam olim gerebant. »[8] Ita Calvinus.

85. *Resp.* Ex Scripturis liquet præcipua diaconorum munera fuisse sacra, quod antiquitas omnis christiana manifesto confirmat, uti fassi sunt doctissimi scriptores Protestantici, Grotius, Beveregius, Pearsonius. Equidem Ambrosius Laurentium diaconum Sixtum Pontificem appellantem exhi-

(1) Act. vi 8. 10. (2) Ibid. viii. 5. 6. 12.
(3) Ep. ad Trallianos.
(4) Ep. lxviii, ad Clerum et plebem Hispaniæ.
(5) Retract. omm. in Act. Apost.
(6) Vide apud Martenium t. ii. l. i. c. viii.
(7) Inst. l. iv. c. iii. n. 9.
(8) Ibid. l. iv. c. v. n. 15.

bet : « Quo progrederis sine filio, pater? Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas? Nunquam Sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, pater? Num degenerem probasti? Experire certe, utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas. » [1] Quæ igitur præcipua munera adhuc adsignantur diaconis, antiquitatis nituntur exemplo : mirum autem non est, si, rerum adjunctis mutatis, illa eis plerumque non concredatur bonorum ecclesiasticorum administratio, quæ olim est concessa.

86. *Obj.* 3. Etiam Hieronymi ætate diaconus nonnisi mensarum minister habebatur; ait enim : « Quis patiatur ut mensarum et viduarum minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? » [2]

87. *Resp.* Hieronymus ut reprimat fastum quorumdam diaconorum, occasionem instituti muneris memorat. Cæterum sacra eorum munera agnoscit; ait enim : « Quod Aaron et filii ejus atque levitæ fuerunt, hoc sibi Episcopi, et presbyteri, et diaconi vindicent in Ecclesia. » [3] Et cœlibatum adversus Jovinianum vindicans ait : « Non mihi irascantur, sed Scripturis sanctis, imo Episcopis, presbyteris, diaconis, et universo choro sacerdotali et levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse, si operi serviant conjugali. » [4]

Animadversio.

88. Quamvis de fide non sit diaconatum esse Sacramentum, id tamen magno consensu tradunt theologi, Durandi et Cajetani contraria sententia rejecta. Equidem quum ritu sacro tradatur, et quidem haud absimili ei quo sacerdotium et episcopatus conferuntur, et ad munera sacra obeunda det facultatem, videtur omnia habere quæ Sacramentum constituunt : nec enim gratiæ donum deesse putandum est. Episcopus diaconum ordinans dicit : « Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus in nomine Domini. » Definierunt patres Tridentini hæc verba in ordinatione haud frustra proferri, [5] quod gratiam Spiritus sancti dari suadent quolibet ordinationis ritu, in quo proferuntur. Divina autem institutio jure optimo infertur ex ipsa Apostolorum agendi ratione; nec enim proprio arbitrio tanta cum solemnitate manus imposuisse diaconis, et novum statuisse ministrorum ordinem censendi sunt. Scripsit quidem S. Cyprianus : « Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos et præpositos, Dominus elegit, diaconos autem post ascensionem Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt, episcopatus sui et Ecclesiæ ministros. » [6] Sed hæc facile intelliguntur de prima diaconorum ordinatione, quæ tamen nonnisi Christi auctoritate facta credenda est. Hinc Concilium Tridentinum definivit : « Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris, et ministris; anathema sit. » [7]

CAPUT V.

DE SUBDIACONATU ET MINORIBUS ORDINIBUS.

89. Subdiaconatus majoris Ordinis apud Latinos jam habet dignitatem, ex undecimo, vel saltem decimo tertio

(1) De officiis l. i. c. xli.
(2) Ep. lxxxv. ad Evagrium. (3) Ibidem.
(4) Apologia adversus Jovinianum.
(5) Sess. xxiii. can. iv.
(6) Ep. lxv. ad Rogatianum episc.
(7) Sess. xxiii. can. vi.

sæculo : ex quo scilicet licuit subdiaconum in Episcopum eligere. Decrevit Urbanus II. in Concilio Beneventano, anno 1091 : « Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem Ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos quidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse : super his solum præceptum habemus Apostoli. Subdiaconos vero, qui et ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus, sed rarissime, si tamen spectatæ sint religionis et scientiæ. »[1] Innocentius III. liberam fecit facultatem e subdiaconis eligendi Episcopum, « cum hodie » (*decimo tertio ineunte sæculo*) « subdiaconatus inter sacros Ordines computetur. »[2] Apud Græcos minoribus Ordinibus adhuc accensetur.

90. *Minores Ordines*, apud Latinos, quatuor numerantur, scilicet munera Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii. *Acolythus* luminaria Ecclesiæ accendit, et vinum et aquam ministrat in Sacrificium, nomine ἀκόλουθος *pedissequum* vel *comitem* designante, eo quod in supplicationibus et in Missæ solemniis sacros ministros comitetur, manibus luminaria ferens. *Exorcista* nomen ab officio desumit : ejus quippe est exorcismos recitare super energumenos, ut dæmone liberentur. Cæterum hoc munus nonnisi a sacerdotibus hodie exercetur, et magna adhibita cautela ne quis dæmonis assultus temere suspicetur, ubi naturalis suppetat causa. *Lectoris* est sacras Scripturas in Ecclesia legere. *Ostiario* januæ Ecclesiæ custodia committitur, ut profanos prohibeat ingressu, fidelibus liberam ingrediendi faciat facultatem.

91. Quantæ sint antiquitatis Ordines illi, liquet ex epistola Cornelii Pontificis ad Fabium Antiochenum, medio tertio sæculo, in qua de Novatiano, pseudo-papa, dicit : « Ille Evangelii vindex ignorabat unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat, presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta ; septem autem diaconos, totidemque subdiaconos; acolythos duos et quadraginta ; exorcistas et lectores cum ostiariis, quinquaginta duos. »[3] Cantores Psalmis canendis destinati, et fossarii, quibus cura sepeliendi mortuos incumbebat, apud veteres etiam commemorantur, sed ordinem non constituebant.

92. Græci subdiaconatum et lectoratum minores æstimant ordines, quibus officia quædam accedunt nominibus propriis distincta. Idem fere sunt sectarum omnium Orientalium mores. Psaltem subdiacono et lectori addunt Chaldæi.[4]

93. Ex ea quæ viget varietate inter Occidentales et Orientales de minorum Ordinum numero et muneribus, plurimi inferunt ea esse tantum officia, ab Ecclesiæ Præsulibus instituta, et ad Sacramentorum dignitatem, deficiente divina institutione, haud pertingere.[5] Aliis adversa arridet sententia. Id tamen exploratum est ea esse antiquissima ; imo non dubitarunt Tridentini patres in doctrinæ explicatione affirmare ea ab initio Ecclesiæ viguisse : « Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris, et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. »[6] Definierunt etiam : « Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse

(1) Conc. Benev. can. i.
(2) Extra.de ætate et qualitate ord.præfic.cap.ix.
(3) Apud Eusebium hist. Eccl. l. vi. c. xliii.
(4) Euoplia p. 222.
(5) Vide Drouenium de re sacramentaria, l. viii c. iii. (6) Sess. xxiii. Cap. ii.

in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit. »[1] Non ideo tamen de fide tenendum est minores quos recensuerunt Ordines divinitus esse institutos : nam id definitum non est.

94. *Tonsuræ* cæremonia est ecclesiastica, qua tondentur capilli ad instar coronæ, dum quis e laicorum numero in clerum cooptatur. De ejus origine docti homines disceptant, recentioribus pluribus opinantibus monachos capillos præcidisse in pœnitentiæ indicium, et clericos, sæculo forsan sexto, eos imitatos, ut mundi contemptum significarent. Cæterum Martenius longe antea eam adhibitam censet : nam Gregorius Turonensis, qui eo floruit sæculo, ejus originem ad S. Petrum retulit, quod eam jam ab antiquis temporibus servatam ostendit.[2] Non admodum a priori sententia abhorret Calvinus : « Unde originem habuerit clericorum tonsura, abunde vel ex uno Augustino constat. (cf. de opere monach. in fin. atqu. Retract.) Quum illo sæculo capillum non alerent nisi delicati, et qui nitorem elegantiamque non satis virilem affectabant, videbatur esse non boni exempli, si clericis id permitteretur. Jubebantur ergo clerici vel tondere caput, vel radere, ne quam effeminati cultus speciem præ se ferrent. »[3] Qui tonsura initiantur clericorum gaudent privilegiis, quæ *fori, canonisque* dicuntur. *Foro* civili eximebantur in regnis Catholicis clerici, eorum causis ad ecclesiasticum tribunal deferendis, cujus privilegii jam plerisque in locis vix superest vestigium. *Canone* eorum personæ sacræ habebantur, anathemate lato in eos qui violentas illis injicerent manus, quod ubique viget.

CAPUT VI.

DE ORDINUM MATERIA ET FORMA.

95. Ritus quo ordinatio conficitur *materia* dicitur; verba vero quæ ea occasione proferuntur *forma* sunt. Inter theologos disceptatur quæ sit materia essentialis sacerdotii : nonnulli enim solam manuum impositionem putant requiri; alii instrumentorum traditionem, patenæ scilicet et calicis, sufficere censent; alii utramque necessariam habent. Scripturæ solam manuum impositionem memorant, quæ a Græcis tantum adhibetur, et a Latinis olim, omissa instrumentorum traditione, adhibita noscitur. Igitur ea nobis verior videtur sententia, quæ instrumentorum traditionem adjectam tradit, potestatem Ordinis explicandi causa, ideoque ex lege jam requiri, quamvis Sacramenti valor inde non pendeat. Quum manus bis imponantur, semel quidem ab Episcopo, et presbyteris adstantibus, nulla voce prolata, iterum ab Episcopo solo post communionem, dum dicit : « Accipe Spiritum sanctum : quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt; » et quum fiat manuum extensio, Episcopo et presbyteris manus dexteras extensas tenentibus, dum Episcopus fundit orationem post primam manuum impositionem; quæritur quæ manuum impositio potestatem sacerdotii conferat. Nobis videtur prima manuum impositio cum extensione et prece quæ sequuntur totam essentiam constituere; nam ritus ille integer moraliter unica manuum imposi-

(1) Sess. xxiii. Can. ii.

(2) De antiquis Ecclesiæ ritibus t. ii. l. i. c. viii. art. vii. citans Gregor. Turon. l. i. de gloria martyr. c xxvii.

(3) Inst. l. iv. c. xix. n. 27.

tio videtur, et satis definitus est ex adjunctis, ut sacerdotii potestatem indicet et conferat. Quod autem in Pontificali Romano vocentur deinceps ordinandi, ordinatorum nomine haud dato, nisi post tradita instrumenta, contigisse videtur, quod instrumentorum traditione adjecta ad sacerdotii munus præcipuum explicandum, ad integritatem ritus requiratur, et ideo effectus impositionis manuum suspensus quodammodo habeatur, donec reipsa tradantur. Re tamen vera potestatem sacerdotii illa manuum impositione communicari ex Concilio Carthaginensi IV. colligimus, quæ eam injungit, nulla traditionis instrumentorum facta mentione : « Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant. » [1] Idem habetur in libro sacramentali S. Gregorii. Cæterum Oxoniensibus minime assentimur, qui dicunt sola manuum impositione, absque ullis verbis, conferri sacerdotii potestatem : [2] necesse est enim ut ritus ille verbis determinetur ad sacerdotii munus designandum et conferendum, quod semper fieri consuevisse in Ecclesia ipsi fatentur.

96. Episcopatum et diaconatum sola manuum impositione tradi, ex Scriptura et veteri Ecclesiæ consuetudine colligimus. Subdiaconatum vero et minores Ordines censemus iis tradi ritibus quos Ecclesia pro temporum et locorum diversitate statuerit, ad officii auctoritatem designandam : iis quippe assentimur qui ea officia ab Ecclesiæ Præsulibus instituta ad cultus decorem existimant.

97. *Forma* sacerdotii, nostra sententia, est oratio illa, quæ primam manuum impositionem et extensionem sequitur : putamus enim eam satis cum actibus illis conjungi ut eorum determinet effectum, præsertim quum Episcopi invitatio ad orandum fiat, dexteris adhuc extensis super ordinandos. Verba igitur formæ nobis videntur illa : « Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem ; » etc. Quæ dicuntur verba dum ultima vice manus imponit Episcopus, potestatem remissionis peccatorum explicant, quam tamen sacerdotio, prout a Christo est constitutum, inesse credimus; et proinde ritum illum ex Ecclesiæ lege adhibitum ad essentiam non pertinere putamus : nam nec olim servatus est.

98. Episcopatus formam censet Martenius esse prolixam illam orationem, instar præfationis, quam Episcopus post manuum impositionem profert, quippe quæ sola antiquitus usurpata noscitur. Aliis forma est : « Accipe Spiritum sanctum ; » quæ verba proferunt Episcopus consecrator, et assistentes duo Episcopi, dum ambabus manibus caput consecrandi tangunt. Dicuntur quidem aliis in occasionibus, sicuti in ordinatione sacerdotis mox vidimus, et in diaconi ordinatione; sed quæ adjiciuntur verba definiunt eorum vim ad effectus speciales designandos, quum simpliciter dicta Spiritus sancti plenitudinem communicari indicent.

99. Diaconatus forma juxta plurimos est : « Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus in nomine Domini. Amen ». Cæterum Martenius contendit eam non esse quadringentis annis multo antiquiorem ; [3] et precem quæ ad instar præfationis est, totam for-

(1) Cap. iii. (2) « I know the grace of ordination is contained in the laying on of hands, not in any form of words. » Tract. 1.

(3) De antiquis Ecclesiæ ritibus l. 1. c. viii. Art. ix.

mam constituere; in ea quippe dicit Episcopus: « Emitte in eos, quæsumus, Spiritum sanctum, » qua occasione olim imponebat manus.

100. Subdiaconatus forma verbis quæ instrumentorum traditionem comitantur constat: traduntur scilicet ei calix vacuus et patena vacua, prout in Concilio Carthaginensi IV. anno 398, jubetur,[1] Episcopo verba simul proferente, quorum tamen in illo Concilio nulla fit mentio.

101. Singulorum minorum Ordinum forma in verbis pariter quæ instrumentorum porrectionem comitantur, constituitur. Exorcistæ, lectori, ὀστιario ipsa quæ dicuntur verba ex Concilio prælaudato desumpta sunt,[2] quod et ea quæ acolytho dicuntur indicat.

Quæ de Ordinum omnium materia et forma diximus, intelligenda sunt salva auctoritate Eugeniani decreti pro Armenis; quod plerique theologi intelligunt eas haud definire, sed mores Ecclesiæ Romanæ Armenis proponere imitandos, communi quæ in scholis tunc recipiebatur sententia adhibita.

CAPUT VII.

DE ELECTIONE MINISTRORUM.

102. Melanchton Ecclesiæ, cœtui scilicet cuicumque profitentium Evangelium, juxta novatorum placita, jus tribuit suos eligendi ministros, et eis omnem conferendi ad sacra munera obeunda auctoritatem: « Ubicumque est Ecclesia, ibi est jus administrandi Evangelii. Quare necesse est Ecclesiam retinere jus vocandi, eligendi, et ordinandi ministros. Et hoc jus est donum proprie datum Ecclesiæ, quod nulla humana auctoritas Ecclesiæ eripere potest. »[3] Calvinus contendit fideles elegisse ministros suis suffragiis etiam Apostolorum ætate: « Refert enim Lucas (Act. 14. 23) constitutos esse per ecclesias presbyteros a Paulo et Barnaba: sed rationem vel modum simul notat, quum dicit factum id esse suffragiis: χειροτονήσαντες, inquit, πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν. Creabant ergo ipsi duo: sed tota multitudo, ut mos Græcorum in electionibus erat, manibus sublatis declarabat quem habere vellet. Nempe sic romani historici non raro loquuntur, consulem, qui comitia habuerit, creasse novos magistratus, non aliam ob causam, nisi quia suffragia receperit, et populum moderatus sit in eligendo. »[4]

103. Sectarii fere omnes Calviniana de electione ministrorum propugnant placita, præsertim in his provinciis, ut reipublicæ formam etiam in rebus sacris exhibeant. Qui apud Presbyterianos seniores regimine fungentes dicuntur, populi prædicantur delegati, pastorum in regimine consortes.[5] Eliguntur idcirco a cœtibus quibus præficiendi sunt, qua ratione et diaconi suum sortiuntur honorem. Candidati sacri ministerii licentiam prædicandi a presbyterio, cœtus scilicet cujuslibet rectoribus, accipiunt, præmisso examine, sed nullo ordinationis ritu peracto;[6] et ad tempus suscipiuntur, tyrocinium veluti ponentes. Licentiam revocat presbyterium, si licentiatus, postquam per tempus satis diuturnum prædicationi vacaverit, haud profuturus

(1) Can. v. (2) Can. vii. viii. ix.

(3) De potestate et primatu Papæ, apud Walchium Introd. l. i. c. v. §. xvi. p. 521.

(4) Inst. l. iv. c. iii. n. 15.

(5) « Ruling elders are properly the representatives of the people, chosen by them for the purpose of exercising government and discipline, in conjunction with pastors or ministers. » Form of Government ch. v.

(6) « Presbyteries shall license probationers to preach the Gospel, that after a competent trial of their talents, and receiving from the churches a good report, they may in due time ordain them to the sacred office. » Ibidem ch. xiv. n i.

ecclesiis videtur.[1] Quod si bene ei successerit prædicanti, et populus ad eum in pastorem eligendum pronus sit, cœtus convocatur, ut suffragiis majoris numeri probatus, ordinatio ejus decernatur.[2] Baptistæ dicunt rationem a Christo statutam, qua qui a sancto Spiritu ad munus Episcopi idoneus fit, ad ejus exercitium vocetur, esse communia ecclesiæ ipsius suffragia.[3] Methodistæ episcopales dicunt Episcopum eligendum esse a cœtu generali, quem *Collationem Generalem* vocant.[4]

104. Apud Catholicos res est explorata omnem in Ecclesia potestatem a Christo derivari, qui Petro et Apostolis quam a Patre acceperat potestatem communicavit, a quibus proinde in cæteros omnes sacros ministros derivatur. Error igitur est prorsus contrarius fidei Catholicæ, sacram potestatem penes cœtum fidelium esse, ab eo in electos a se ministros derivandam. Cæterum ipsa designandi ministros ratio ad disciplinam referenda est, quam Præsules Ecclesiæ pro data sibi a Domino potestate moderantur; ideoque quæ, ipsis sancientibus, obtinuerit qualibet ætate, probanda est, utpote e legitima auctoritate profecta. Præclare hac de re agit Fenelon.[5]

Propositio.

Jus eligendi sacros ministros divina ordinatione penes populum fidelem non est; sed penes Ecclesiæ rectores, præsertim Summum Pontificem.

105. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Christus Apostolos ad sacrum ministerium vocavit, eosque monuit totam quam exercere debent auctoritatem ab ipso derivari: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.»[6] Eos instar sui mittit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. »[7] « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos. . . . . Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. »[8] Missio igitur divina, et docendi jus a Christo in Apostolos derivatum et penes eos constitutum est, a quibus proinde in cæteros profluat necesse est. Petro autem præsertim, clavium regni imagine adhibita, summa potestas omnium quæ ad regni administrationem pertinent, et ideo constituendi magistratus sacros et ministros, tradita est. Pascere etiam agnos et oves jussit illi Christus, et eum ovilis totius pastorem constituit. Illius est igitur curare ut præbeantur omnibus salutis pascua, inferioribus pastoribus constitutis.

106. Spiritu sancto jubente, Paulus et Barnabas impositione manuum sacra potestate aucti sunt: qui et ipsi singulari auctoritate constituerunt « per singulas Ecclesias presbyteros. »[9] Timotheum edocuit Paulus de dotibus sacrorum ministrorum, penes ipsum totum judicium ponens: « Manus cito nemini posueris. »[10] « Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda

(1) Form of Government, n. xi.

(2) « When any probationer shall have preached so much to the satisfaction of any congregation, as that the people appear prepared to elect a pastor, the session shall take measures to convene them for this purpose. » Ibidem ch. xv. n. i.

(3) « The way appointed by Christ for the calling of any person, fitted and gifted by the Holy Spirit, unto the office of bishop, or elder, in a church, is that he be chosen thereunto by the common suffrage of the church itself. » Baptist Confession of faith, ch. xxvii.

(4) « The General Conference shall elect a bishop. » The doctrines and discipline of the Methodist Episcopal Church, Section iv.*

(5) Traité du ministère des Pasteurs.

(6) Joan. xv. 16.

(7) Ibidem xx. 21.

(8) Mat. xxviii. 18. (9) Act. xiv. 22.

(10) I. Tim. v. 22.

fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. »[1] Titum a se relictum Cretæ dicit, ut sua auctoritate constitueret presbyteros : « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per singulas civitates presbyteros. »[2]

107. *Probatur* 2. *ex vetustissima consuetudine.* Qui primi constituti sunt Episcopi et presbyteri in varias gentes missi ad Evangelium prædicandum, suam missionem, auctoritatem et potestatem ab Ecclesiæ Præsulibus qui eos designarunt et consecrarunt, acceperunt, absque ulla populi electione. Sic de missis a Petri Sede constat, Innocentio I. testante : « Cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque adjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. »[3] Sic Patritius in Hiberniam, Augustinus in Angliam, Bonifacius in Germaniam missi sunt, Pontificum Romanorum auctoritate.

108. Constat etiam qualibet ætate sacros ministros constitutos a Præsulibus absque ulla electione plebis, etiam dum disciplina plerumque fidelibus aliquas permitteret partes in iis designandis. Sic Cyprianus Aurelium a se ordinatum, Celerinum quoque et alios clero populoque inconsulto, refert : « In ordinationibus clericorum, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare : sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia. Aurelius, frater noster, illustris adolescens, a Domino jam probatus, et a Deo vocatus est, in annis adhuc novellus, sed in virtutis ac fidei laude provectus. . . . Hunc igitur, fratres dilectissimi, a me et a collegis, qui præsentes aderant, ordinatum sciatis; quod vos scio et libenter amplecti, et optare tales in Ecclesia nostra quamplurimos ordinari. »[4]

109. Cœlestinus I. de electionibus ministrorum agens, dicit : « Docendus est populus, non sequendus; nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus. »[5]

110. *Probatur* 3. *Conciliorum auctoritate.* Concilium Laodicenum quarto sæculo habitum, decrevit : « Non est permittendum turbis electionem eorum facere qui sunt ad sacerdotium promovendi. » — μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίσθαι εἰς ἱεραρχίαν.[6]

111. Concilium Romanum sub Martino Papa, decrevit pariter : « Non licet populo electionem facere eorum qui ad sacerdotium promoventur, sed in judicio Episcoporum sit. »[7]

112. Concilium Nicænum II. statuit : « Omnem electionem, quæ fit a magistratibus, Episcopi, vel presbyteri, vel diaconi, irritam manere. Oportet eum qui est promovendus ad episcopatum ab Episcopis eligi. »[8]

113. Concilium IV. Constantinopolitanum, quod est VIII. Generale, decrevit : « Sancta et universalis Synodus definit, neminem laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, vel cujuslibet Episcopi, præsertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentium vel cæterorum laicorum habere conveniat, sed

(1) II. Tim. ii. 2.
(2) Tit. i. 5.
(3) Ep. xxv. ad Decentium Eugubinum.
(4) Ep. ccxiii. alias xxxiii.
(5) Ep. v. ad Episcopos Apul. et Calabr.
(6) Can. xiii. apud Harduin. t. 1. col. 784.
(7) Cit. apud Martinum Bracarensem c. 1. Decr.
(8) Can. iii.

potius silere, ac attendere sibi, usque-quo regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis. »[1]

114. *Probatur* 4. *ratione theologica.* Quum omnis sacra potestas a Deo derivetur, nec enim populus in sacra jus aliquod habeat, ministrorum, per quos exercenda sit, designatio a divina voluntate omnino repetenda est. Nihil autem probat Deum populo fideli jus electionis contulisse. Ergo credendum est ministros designandi jus penes eos manere, quibus ipsa sacra potestas concessa est, Apostolos scilicet et eorum successores.

Objectiones solvuntur.

115. *Obj.* 1. Petrus multitudini fidelium, fere centum viginti hominibus constanti, proposuit electionem alicujus in locum Judæ sufficiendi, Apostolico proinde agendum munere. Illi autem statuerunt duos, quorum unus divino judicio, sortibus datis, comprobatus est. Ergo ab ipsis Ecclesiæ exordiis eligendi jus penes populum esse in confesso erat.

116. *Resp.* Optime animadvertit S. Chrysostomus Petrum solum potuisse aliquem designare qui in Apostolorum collegium adsciscerentur; sed fidelibus fecisse facultatem aliquos proponendi, ne videretur alicui nimis favere : « An non licebat ipsi Petro eligere? Licebat, et quidem maxime : verum id non fecit, ne cui videretur gratificari. »[2] Cæterum statuit eum seligendum ex iis qui cum Apostolis versati erant totum illud temporis spatium quod a baptismate Joannis ad ascensionem Christi effluxerat. Ea apposita conditione periculum pravæ electionis amovebatur, quum constans et fidelis discipulus tantum proponi posset. Præterea penes ipsum erat populi arbitrium confirmare, quod tamen Dei ipsius judicio, sortibus jactis, remisit. In tota illa re præclarum dedit exemplum animi moderationis, qua summam potestatem exercere oportuit; sed nihil de jure suo remittit, qui aliis quasdam permittit partes, supremo judicio sibi reservato.

117. *Obj.* 2. Duodecim Apostoli convocarunt multitudinem discipulorum, ut diaconi eligerentur; et iis reliquerunt liberam electionem : « Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem. »[3] Eorum arbitrium etiam secuti sunt : nam electis imposuerunt manus.

118. *Resp.* Occasio diaconos instituendi fuit specialis, scilicet « murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. » Maxime idcirco opportunum erat electionem eorum quibus ministerium illud committendum foret, ipsis discipulis permittere, ut omnis murmurandi prætextus tolleretur. Cæterum non omiserunt Apostoli illos monere quales eligere oporteret, nempe « plenos Spiritu sancto et sapientia. » Quod autem electis imposuerint manus, indicium est eos tales visos fuisse ipsis Apostolis, quamvis Nicolaus deinceps a tanto sanctitatis fastigio delapsus esse a nonnullis censeatur.

119. *Obj.* 3. Paulus et Barnabas non dicuntur suo usi esse arbitrio in designandis presbyteris, sed innuitur eos plebis suffragia secutos esse : χειροτονήσαντες. Hujus vocis vis in novo Testamento patet ex II. Cor. viii, 19. ubi de discipulo dicitur χειροτονηθεὶς : « Ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ. »

120. *Resp.* De fidelibus suffragantibus nihil prorsus priore loco dicitur : vox enim, quæcumque sit ejus vis, ad Paulum et Barnabam refertur. Quum igitur inepte diceretur hos suffragiis suis constituisse presbyteros, cogimur eam de manuum impositione intelligere, quam

(1) Can. xxviii. (2) In Act. 1. (3) Act. vi. 3.

Paulus ipse testatur a se in Timothei ordinatione adhibitam. Græcorum usus, qui eadem voce hanc designant, χειροτονία, manifesto huic interpretationi suffragatur. Quod autem ad alterum locum pertinet, si vox ad electionem seu designationem referatur, sensus ex adjunctis satis definitur, scilicet elegerunt eum fideles ut Paulo foret comes eleemosynas eorum nomine Hierosolymas ferenti, vel aliud suscipienti iter eorum causa. Sæpe contingit voces sensu aliquanto diverso sumi : quapropter mirum non est eam quæ usu profano electionem suffragiis significabat, nonnunquam eo sensu a sacris scriptoribus usurpari ; quam tamen ad impositionem manuum, qua sacra potestas conferebatur, alias traduci ex dictis apertissime constat.

121. *Obj.* 4. Cyprianus agnoscit populum divina lege habere potestatem eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi : « Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, et Deum metuens, a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. »[1]

122. *Resp.* Ex ipsa verborum serie patet Cyprianum populo testimonium de eligendorum meritis adscribere, potius quam ipsam electionem, quamvis eos eligendi habere potestatem dicat, eo quod testando, electionem veluti determinarent. Quod autem ipsi non eligerent, ex verbis illis : « plebe præsente » colligitur. Divina, quam allegat, auctoritas ex exemplis Eleazari a Moyse coram populo designati, Matthiæ, et diaconorum, fidelibus proponentibus, ad sacra munera assumptorum, derivata est, quæ ad jus divinum adstruendum non valent : nec enim ipse aliud vult inferre quam coram plebe ministros sacros designandos, ut de meritis eorum constet. « Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est instrui et ostendi ordinationes sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. »[2] Hæc ideo urget quia Basilides et Martialis, libellis idololatriæ commaculati, in episcopatum absque ulla electionis forma se ingesserant.

123. *Obj* 5. S. Ambrosius agnoscit fideles sacerdotii sui auctores : « Vos enim mihi estis parentes, qui sacerdotium detulistis. »[3]

124. *Resp.* Eos ita designat, quia, ut Paulinus testatur, mirabili et incredibili concordia consensissent in ejus ordinationem. Cæterum nullam potestatem ea in re exercuerant, sed juxta vigentem consuetudinem vota sua prompserant : quapropter quamvis honorificum illis titulum ultro dederit, filios eos etiam nuncupat. « Vos inquam, filii, vel parentes : filii singuli, universi parentes ; libenter enim meos dixerim vos vel liberos, vel parentes, qui verbum Dei auditis et facitis. »[4]

125. *Obj.* 6. Vetus fuit mos ut sacri ministri omnes a fidelibus eligerentur, cujus vestigia in ordinationis ritu plura occurrunt Sic Episcopus clerum populumque de sacerdotii candidatis alloquitur : « Par eorum debet esse sententia quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus : . . . Sententia est expetenda multorum. Itaque, quid de eorum acti-

(1) L. i. ep. iv. alias lxvii. (2) Ibidem. (3) In Luc. l. viii. 73. (4) Ibidem.

bus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis. » Ipsos ordinandos alloquens dicit : « Filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit. »[1]

126. *Resp.* Viguit aliquando disciplina, qua sacri ministri in publico cœtu eligebantur, populo testimonium de moribus ferente, et vota sua de eorum ordinatione enuntiante : sed præcipuæ partes erant Episcoporum, qui fidelium suffragia sequi haud tenebantur, uti ex Cœlestini verbis, quæ recitavimus, liquet. Nullum jus in designandis sacris ministris fidelibus unquam tributum constat, quamvis aliquando usurpatum;[2] sed quasdam adsignatas partes ad notitiam morum comparandam, et ad animos conciliandos; « quia de vita et conversatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. » Ita Pontificale Romanum.

127. *Obj.* 7. Canones decernunt eum Episcopum haud habendum qui a clero populoque non fuerit electus.

128. *Resp.* Vigentem qualibet ætate disciplinam canones servandam jubent, ideoque qui alia ratione fuerit ad episcopatum evectus, pro intruso habent, et illegitimo. Profecto populi partes in Episcopis designandis ad testimonium de moribus præcipue referebantur, electione facta a clero, vel ab Episcopis provinciæ, Metropolita eam confirmante. Id ex Cypriano habetur : « Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. »[3] S. Leo satis declarat plebis desiderii rationem haberi, sed electionem penes clerum esse : « Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus sunt expetiti, nec a comprovincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. »[4] Judicium igitur Metropolitæ ad electionis firmitatem requirebatur.

129. *Obj.* 8. Saltem constat electionem ministrorum in publicis comitiis, plebe præsente, et testimonium ferente, juxta traditionem divinam et apostolicam observationem esse habendam. Ergo utrique repugnat ratio in Ecclesiam Romanam invecta.

130. *Resp.* Cyprianus latiori sensu eas voces adhibuit, ut ostenderet publicas ministrorum electiones exempla habere in Scripturis relata, Eleazari scilicet, Matthiæ, et diaconorum; traditione divina illud, apostolica observatione hæc intelligens. Cæterum nullum præceptum divinum allegavit; quod ex hujusmodi exemplis adstrui nequit. Illa ratio designandi ministros eas habet utilitates quas recensuit, sed et plurima graviaque incommoda secum ferre tristi noscitur experientia. Ob turbas sæpius concitatas cum plurimorum cæde oportuit eam deserere; qua disciplinæ mutatione nihil juri divino, vel populi fidelis juribus derogatum est; testimonia enim de meritis candidatorum adhuc excipiuntur a Præsulibus, eorum nominibus diebus aliquot ante ordinationem publice propositis. De Præsulibus quidem eligendis id non fit, sed suo utuntur jure Eccle-

(1) Pontificale Romanum, de ordinatione Presbyteri.

(2) Vide Chrys. l. iii. de Sacerdotio. (3) Ep. lxvii.

(4) Ep. ad Rusticum Narbonens.

siæ rectores in ratione statuenda quæ temporibus locisque variis videtur accommodata.

131. *Obj.* 9. In plerisque regnis catholicis Episcopi a regibus nominantur, qui quum nullum speciale jus in sacris ministris designandis habeant, populi partibus hac in re fungi censendi sunt : ideo penes populum in republica designandi sacros ministros potestas manet.

132. *Resp.* Quascumque sustineant partes reges catholici in Episcopis designandis, ex Pontificum concessione derivatum est, et *Concordatis* stabilitum. Nullum jus in iis est agnitum; sed quum plurimis beneficiis ditaverint Ecclesiam, et ejus jura tueri in se susceperint, æquum visum est iis nominandi Episcopos dare facultatem, reservato Pontifici jure rejiciendi quos tanto munere indignos judicarent. Re quidem vera privilegia hujusmodi a Pontificibus fere invitis sæpe extorta sunt, et in damnum cesserunt Ecclesiæ : sed semel concessa, ad disciplinam pertinent, quæ concessione et sanctione pontificia nititur. Nullum jus inde probari potest regio muneri inhærens, vel ex cœtu fidelium derivatum : nec ideo in exemplum trahi potest ut jus populo alias adstruatur.

133. *Obj.* 10. Inhæret cuilibet cœtui jus suos eligendi ministros, ut sibi consulat.

134. *Resp.* Cœtus sacer, qualis est Ecclesia, Christum habet auctorem, et jura omnia ab illo derivat. Fideles in rebus divinis nihil habent juris, sed omnino pendent ab ipsius voluntate, quam amplecti grato animo decet. Id igitur tantum respiciendum est, quibusnam concesserit sacram potestatem et in mandatis dederit regere Ecclesiam : eorum enim est designare quos potestatis et auctoritatis hæredes faciant et traduces.

Animadversiones.

135. De disciplinæ varietate in sacris designandis ministris aliqua occurrunt dicenda. Constat sacerdotes et clericos inferiores libero jure ab Episcopis semper ordinari consuevisse, quamvis testimonium populi de moribus exquireretur. Episcopi qui ad populos traducendos ad fidem destinabantur, libero etiam jure ab aliis consecrabantur Episcopis, servatis tamen juribus sedium præcipuarum. Cuilibet Patriarchæ intra suam ditionem ἐξουσία plena potestas erat ordinationes faciendi, quæ in Metropolitarum consecratione præsertim exercebatur, his ab Episcopis provinciæ, instar aliorum Episcoporum, electis. Penes Episcopos cujuslibet provinciæ erat jus præcipuum eligendi Episcopos in sedes quæ forsan vacaverint, quod tamen fiebat plerumque publico in cœtu, plebe cleroque adstantibus, et eorum votorum et testimoniorum haud neglecta ratione : « ut plebe præsente, » inquit Cyprianus, « vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima, quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata. »[1] Plurimæ quæ occasione electionum publicarum excitatæ sunt turbæ, in causa fuerunt cur ea designandi sacros ministros ratio derelicta fuerit. [Questi sunt patres Concilii Bituricensis anno 1276 de electionum libertate a turbis impedita : « Multitudine populi per iniquitatis filios concita in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis impediuntur totaliter. »[2] Canonicis Ecclesiæ cujuslibet Cathedralis jus eligendi Episcopos decretalibus Gregorii IX. tributum est. Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, et Hierosolymitani serie deficiente, Episcopus Romanus, qui jus suum in ordinationibus intra occiden-

(1) Ep. lxvii.

(2) Can. i.

talis patriarchatus limites præsertim exercebat, et in Patriarcharum electione confirmanda debuit prospicere aliis per totum orbem ecclesiis, vi summi sui muneris, et solicitudinis pastoralis. Hinc factum ut potestas ejus hac in re magis se explicuerit, progrediente tempore. Joannes XXII. jus designandi Episcopos omnes Sanctæ Sedi reservavit. In Metropolitarum designatione seu confirmatione in patriarchatu occidentali semper consuevit jus suum exercere, cujus insignia exempla habentur in Cantuariensis Ecclesiæ septuaginta fere Præsulibus, a S. Augustino, Anglorum Apostolo, ad tempus usque Henrici VIII., deinceps et Mariæ, quorum plures sunt a Summis Pontificibus consecrati, cæteri saltem probati. Eorum seriem novissime exhibuerunt Anglicani, successionem Apostolicam sibi frustra vindicantes, quum serius catena apud eos desierit.

136. Quæ in Fœderatis provinciis nunc obtinet ratio designandi Episcopos, est, ut ab Episcopis omnibus provinciæ tres commendentur sacerdotes, e quibus, si ita Summo Pontifici videatur, designetur Episcopus.[1] Sacerdotes et alii inferioris ordinis clerici ab Episcopis singulis, prout in Domino visum fuerit, ordinantur, et ad sacra deputantur munera.

CAPUT VIII.

DE ORDINUM MINISTRO.

§. I. *De ministro necessario.*

137. Episcopum omnes Ordines conferre posse constat: tonsuram vero et minores Ordines, imo et subdiaconatum facultatem impertiendi dari posse sacerdoti a Summo Pontifice indubium est: nam Abbatibus consuevit id concedi. Utrum Pontifex posset indulgere ut diaconatus etiam conferatur quæsitum est, indulto quodam Innocentii VIII. anno 1489 allegato, quo ea datur facultas Abbati Cisterciensi, quod tamen genuinum esse vel integrum plures negant. Apud Theologos jam obtinuit sententia quæ negat sacerdotem posse diaconatum, multo minus presbyteratum, etiam ex Pontificis concessione, impertiri. De fide est eam quam Episcopi habent ordinandi potestatem non esse illis cum presbyteris communem: ita enim fert Tridentina definitio: « Si quis dixerit, Episcopos. . . . non habere potestatem . . . ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem; anathema sit. »[2]

138. Apud Anglicanos in confesso est solum Episcopum posse episcopatum, presbyteratum, et diaconatum, quos tres agnoscunt Ordines, conferre. Presbyteriani ritum ordinationis a ministro qui cœtui cuilibet præest, una cum presbyterio, quod tribus saltem ministris cum senioribus laicis constat, perfici docent, manuum impositione, dexteris deinceps datis in consortii indicium. Baptistæ, qui suam a Presbyterianis originem ubique produnt, a presbyterio manus imponendas docent. Methodistæ episcopales ad Joannem Wesley, sectæ suæ auctorem, sui episcopatus originem referunt: eum scilicet, presbyterum licet, suarum manuum impositione Thomam Coke, presbyterum alterum ejusdem Ecclesiæ Anglicanæ, in episcopale officium segregasse dicunt, et in mandatis ei dedisse, ut Franciscum Asbury pari ratione adidem munus eveheret.

Propositio.

Episcopi habent potestatem ordinandi, quæ non est illis cum presbyteris communis.

139. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Apostoli diaconis imposuisse manus leguntur: Saulus et Barnabas constituerunt

(1) Vide Conc. prov. Baltimor. ii.

(2) Sess. xxiii. can. vii.

per Ecclesias sacerdotes, nonnisi postquam manuum impositione episcopale munus susceperant. Timotheus et Titus, episcopali auctoritate præditi, presbyteros per Ecclesias constituere jussi sunt.

140. *Probatur* 2. *antiquissima et perpetua Ecclesiæ consuetudine.* Constitutiones dictæ Apostolicæ vetustissimam exhibent consuetudinem, juxta quam Episcopus a tribus Episcopis consecratur, presbyter ab uno Episcopo, diaconus pariter.[1]

141. *Probatur* 3. *traditione.* S. Athanasius Ischiræ exprobravit eum non esse presbyterum, quum Colluthus, qui ei manus imposuerat, simplex esset sacerdos.[2] S. Epiphanius ex eo præcipue capite Aerii hæresim refellit, quod Ordines conferendo Episcopi patres fidelium gignant : « Quinam fieri potest, ut is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet? Ordo siquidem Episcoporum ad gignendos patres præcipue pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio; alter *cum patres non possit*, filios Ecclesiæ lotionis regeneratione producit.[3] S. Hieronymus in eo eminere Episcopi dignitatem fatetur: «Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?[4] S. Chrysostomus : «Sola namque ordinatione superiores sunt, atque hinc tantum videntur presbyteris præstare.»[5]

142. *Probatur* 4. *antiquissimis Ritualibus.* Libri omnes rituales, etiam antiquissimi, Ordinum conferendi rationem describentes, Episcopum ministrum exhibent : quod testimonium est insigne vetustæ traditionis. Accedit omnium sectarum orientalium consensio, moribus comprobata et documentis.[6]

Objectiones solvuntur.

143. *Obj.* 1. Apostolus de impositione manuum presbyterii loquens, presbyterorum intelligit cœtum, qui scilicet ministris sacris et laicis rectoribus constat : ergo Episcopi non habent potestatem ordinandi, quæ non sit presbyteris communis, imo et laicis ad regimen evectis.

144. *Resp.* Fassus est Calvinus officium presbyteratus illic designari, quum alias dicat Paulus impositione manuum suarum sacri Ordinis donum Timotheo communicatum. Cæterum quum Timotheus episcopali insignitus sit charactere, nil obstat quin presbyteros plures operam Paulo eum consecranti præstiterint, quos tamen Episcopos fuisse omnino verosimile est. Simplices quidem sacerdotes etiamnum aliquando adstant Episcopo consecranti, Episcoporum adsistentium tenentes locum; idque contingere potuit Paulo Timotheum consecrante, quin jus illum ordinandi inde illis probaretur competere. Cæterum seniores laicos eo loci intelligere ab usu loquendi sacrorum scriptorum, et a tota traditione abhorret.

145. *Obj.* 2. Concilium Ancyranum anno 314 decrevit : « Vicariis Episcoporum, quos Græci chorepiscopos vocant, non licere vel presbyteros, vel diaconos ordinare . . . . sine præcepto Episcopi. »[7] Ita et alia Concilia, quæ idcirco potestatem ordinandi presbyteris, quales erant chorepiscopi, communem esse agnoverunt, quamvis, ordinis causa, venia Episcopi exquirenda foret.

146. *Resp.* Chorepiscopi nonnulli episcopali insigniti fuerunt charactere, aliis eo carentibus. Hinc factum est ut nonnullis liceret sacros conferre Ordines, licentia Episcopi qui diœcesi præerat impetrata. Episcoporum « qui vo-

(1) Constit. Apost. l. viii. cap. xvi.
(2) Apologia contra Arian. n. 12.
(3) Hær. lxxv. (4) Cap. v.
(5) Hom. xi. in i. ep. ad Timoth. n. i.
(6) Vide opus *de la perpétuité de la foi* t. v. l. v. c. v. (7) Can. xiii.

luerint in presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut presbyteri residere, » mentio fit in ipsis canonibus Ancyranis, quos chorepiscopos sæpe constitutos verosimile est. De hujusmodi chorepiscopis agit manifesto Concilium Antiochenum : « Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, et ut Episcopi consecrati sint, tamen S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant. . . . Nec presbyterum vero nec diaconum audeant ordinare præter civitatis Episcopum. »[1]

147. *Obj.* 3. Narrat Cassianus Danielem monachum a Paphnutio, qui pater erat monachorum, diaconatus et presbyteratus ordine insignitum esse.[2]

148. *Resp.* Cassiani verba de Daniele ob meritum puritatis et humilitatis suæ ad diaconi et presbyteri munera provecto, intelligenda sunt, quin Paphnutius eos Ordines contulerit. Ea ratio loquendi consuevit usurpari, de Præsule Regulari, quod subditum « presbyterii honore provexit, » quum eum provehendum Episcopo obtulerit.

149. *Obj.* 4. Grassante Ariana hæresi, et relegatis Episcopis, Flavianus et Diodorus presbyteri Episcopis novis ecclesias commiserunt, idcirco magna laude cumulati.

150. *Resp.* Nemo dixit illos presbyteros Episcopos creasse : quod enim refertur, de cura Ecclesiarum Episcopis quibusdam, quos noverant sanæ esse fidei, commissa, seu potius de precibus illis porrectis ut viduatis Ecclesiis subvenirent, intelligendum est. Profecto apud omnes constabat neminem episcopali charactere carentem posse sacros Ordines conferre, ut Eusebius Samosatensis Episcopus, militari habitu indutus, vacantes circumivisse Ecclesias referatur, et presbyteros et diaconos ordinasse, ad fidelibus consulendum.[3]

§. *II. De ministro legitimo.*

151. Ab Episcopo igitur presbyteratus et diaconatus Ordines conferri possunt, sicut et cæteri Ordines, qui aliquando conferuntur ab Abbatibus aliisve, episcopali charactere haud insignitis. Nec tamen licet absque discrimine ea uti potestate : nam jussit Concilium Tridentinum, ut « unusquisque a proprio Episcopo ordinetur : si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum; et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. »[4] Olim quidem laicis hominibus ad quemcumque Præsulem se conferre licuit, et ab eo sacros suscipere Ordines; non item clericis : nam inter canones Nicænos legitur : « Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in suam Ecclesiam, cum non habeat consensum Episcopi ipsius a quo recessit clericus : irrita sit hujusmodi ordinatio. »[5] Episcopus proprius dicebatur olim ille in cujus diœcesi quis natus est, qui Episcopus *originis* nunc vocatur. Episcopus *beneficii* etiam proprius nunc habetur, ex quo scilicet Clemens IV. ordinandum permisit qui beneficium in diœcesi aliqua obtinuit.[6] *Domicilium* etiam jus præbet ut ab Episcopo in cujus diœcesi quis versatur suscipiat Ordines, sanciente hunc titulum Bonifacio VIII.[7] Ut fraudibus obviam iretur, decrevit Innocentius XII. : « Subditus ratione domicilii ad effectus suscipiendi ordines, is duntaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando,

(1) Can x. Tom. i. coll. Hard. col. 597.
(2) Collat. iv. c. 1.
(3) Theodoret. hist. l. iv. c. xiii.
(4) Sess. xxiii. de reform. c. viii.
(5) Cap. xvii. (6) In sexto.
(7) In sexto de temp. ordin.

vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum ejusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere, jurejurando affirmet. »[1] Regulares ordinandi sunt ab Episcopo in cujus diœcesi monasterium est situm, nec possunt ad alium remitti, nisi Episcopus diœcesanus absit, vel ordinationes non sit habiturus.[2] Vicarius Generalis litteras dimissoriales clericis sæcularibus ad suscipiendos ab alieno Episcopo Ordines non valet concedere, nisi proprius Episcopus diu absit in regionibus longinquis, vel speciali mandato hanc ei delegaverit potestatem.[3] Nec Vicarius Capitularis, qui scilicet a *Capitulo*, seu collegio Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, vacante sede, eligitur ad diœceseos regimen donec Episcopus designatus fuerit, litteras hujusmodi concedere potest intra annum a die vacationis, nisi ei qui beneficio ecclesiastico donatus, vel mox donandus, ad Ordines suscipiendos teneatur.[4] Idem dicendum de *Administratore* diœcesis, qui, juxta Sedis Apostolicæ indultum, designatus fuerit ab Episcopo, ut, sede vacante, regat diœcesim, pro moribus nostris, quum Canonicorum Capitulum non habeamus.

152. Legitimus Ordinum minister est Episcopus catholicus, jurisdictionis qua gaudet limites non transgrediens. Qui ordinis episcopalis charactere insignitus est, sed jurisdictione caret, vel ultra ejus limites progreditur, Ordines valide confert, quamvis peccet. Equidem decretum est a Concilio Nicæno, Novatianos et Arianos, qui in hæresi ordinati fuerunt, recipiendos, Ordinum gradu, quem in hæresi susceperant, servato; quod de omnibus a quacumque hæresi conversis deinceps statuit Concilium VII. Augustinum jam laudavimus Donatistas urgentem, et idem de Baptismo, de Ordine, et de omnibus Sacramentis statuentem principium. Id passim prædicat: « Sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis approbantur a nobis. »[5] . . . « Ex Catholica enim Ecclesia sunt omnia Dominica Sacramenta, quæ sic habetis et datis, quemadmodum habebantur et dabantur, etiam priusquam inde exiretis . . . . nobiscum autem estis in Baptismo, in symbolo, in cæteris Dominicis Sacramentis. »[6] Quod autem Innocentius I. de hæreticis dicit: « nec dare ejus (*Spiritus*) plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur; »[7] respicit gratiam Ordinis: nec ejus valorem attingit, quamvis honores Christi profanis ejusmodi sacerdotibus merito deneget. Hinc tota errant re Anglicani nonnulli ordinationes irritas esse docentes hæreseos causa.

153. Schismatici pari ratione ad Ecclesiæ communionem recipi consueverunt, gradu quem susceperant servato. Sic presbyteri a Meletio ordinati, juribus spretis Petri Alexandrini, a Patribus Nicænis gratia donati sunt, ut, gradu servato, secundum locum, post presbyteros a Patriarcha ordinatos, obtinerent. « Ea conditione in Ecclesiæ communionem admittantur, nimirum ut ecclesiasticæ dignitatis et

(1) Constitutione, quæ incipit : *Speculatores*, anno 1694.

(2) Vide Congr. S. Concilii Trid. Interpretum resp. 15. Martii an. 1596, apud Drouenium de re Sac. l. viii. c. iii. Vide et Benedicti XIV. Constit. quæ incipit : *Impositi nobis* ; an 1747.

(3) Cap. iii. de temp. ord. in 6.

(4) Trid. Conc. Sess. vii. cap. x. de Ref.

(5) Ep. lxxxvii.

(6) Ep. ad Vincentium Donatistam xciii.

(7) Ep. ad Alex. patr. Antioch.

ministerii gradum habeant illi quidem; sed tamen omnibus presbyteris, in singulis provinciis et Ecclesiis versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro, et collega nostro Alexandro ordinati, sint omnino inferiores. » [1] Donatistæ pariter «in suis honoribus » suscepti sunt. [2]

154. Cæterum Urbanus II. in Synodo Placentina, anno 1095, [3] et Innocentius II. in Concilio generali Lateranensi anno 1139, [4] ordinationes a quibusdam hæreticis et schismaticis factas irritas pronuntiavit; quod tamen intelligendum est de honoribus et muneribus in pœnam denegandis; nam Urbanus II. permisit ut pœnitentes susciperentur qui ita susceperant Ordines, et gradu gauderent; et Innocentius II. sic ordinatis, in eodem gradu perenniter demorantibus ad superiorem ascendere vetuit. [5] Ea fuit olim justa severitas, qua Ordines ab hæreticis suscipientibus vetabatur eos unquam exercere; [6] sed mitigabatur plerumque, quando pœnitenti animo Ecclesiæ gratiam expetere videbantur. Augustinus ea spe veniæ Donatistas ad reditum alliciebat : « Detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat : habeant ergo isti de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore amarum dolorem : et veniant ad Ecclesiam Christi veram, hoc est matrem catholicam : sint in illa clerici, sint Episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter. » [7]

CAPUT IX.

DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS.

155. Plura jam de Anglicanis ordinationibus diximus, quæ tamen hic recolenda sunt. Controversia præsertim circa consecrationem Matthæi Parkeri versatur, qui, initio regni Elisabeth, depositis et expulsis a suis sedibus Episcopis Catholicis, Archiepiscopus Cantuariensis designatus est; ab illo enim cæteri qui deinceps sedes episcopales occuparunt consecrati dicuntur. Negarunt plurimi scriptores catholici Parkerum unquam consecratum : irritos quippe dicebant evasisse omnes conatus ad Episcopum aliquem inducendum ut sacrum perageret ritum. [8] Actis Lambethianis quæ consecrationem a Gulielmo Barloo, electo Episcopo Cicestrensi, 17 die Decembris 1559, tribus aliis adsistentibus Episcopis, peractam referunt, nullam fidem deberi contendebant, utpote quæ nonnisi post annos quinquaginta in medium adducta sunt. [9] Horum tamen authentiæ suffragatus est novissime Lingard, historiæ Angliæ elegantissimus scriptor : cui in re quam ipse, uti verosimile est, maturo perpendit judicio, nolumus refragari, ad eos penes quos sunt documenta rei gestæ examen remittentes. Liceat tamen aliqua in medium proferre ex tractatu *de vocatione ministrorum*, anno 1616 Duaci, anno 1618 Parisiis edito ab Antonio Champnæo, Anglo origine, doctore Sorbonico, edito mutuata. Sic autem se habet registrum, prout, post Masonum consecrationis vindicem, refert Champnæus :

Anno 1559. Matthæi Parkeri Cant. consec. 17 Dec. per — Guilielmum Barloum, Johannem Scoreum, Milonem Coverdallum, Johannem Hodgekinsonum.

Hæc consecrationis relatio a cæteris omnibus quæ eodem registro continen-

(1) In ep. ad Alexandrinos.
(2) Can. xxxv. in codice Africano 68.
(3) Cap. viii. (4) Can. xxxx.
(5) Vide Mauriniacense Chronicon.
(6) Vide epist. Innoc. I. ad episc. Macedonii.
(7) Ep. I. ad Bonifacium.
(8) Tract. de Eccl. c. xii. vol. i. p. 191 et 199.
(9) Vide Milner's End of Controversy, Letter xx.

tur, tum quæ præcesserant, tum quæ ab ipsis Anglicanis peractæ referuntur, in eo discrepat, quod Episcoporum qui consecrationis munus obierunt tituli dederentur, nominibus familiæ contra morem insertis. Exemplum dat ipse Masonus consecrationis post quatuor dies peractæ :

Anno 1559. Edm. Grindallus consecr. 21 Decemb. per Matth. Archiepisc. Cant., Guilielmum Cicestrensem, Johannem Herefordiensem, Joh. Bedfordiensem.

156. Jam animadvertendum illam diversitatem vel interpolationem prodere, vel eos qui consecrasse Parkerum dicuntur, non fuisse Episcopos, qui semper consueverunt suis titulis in actis solemnioribus uti. Equidem Masonus qui ordinationes suæ sectæ vindicandas susceperat, nullibi potuit reperire consecrationem Barloi in regestis Ecclesiarum relatam esse, quamvis ea tempestate et prioribus sæculis magna adhiberetur diligentia in rebus gestis hujusmodi referendis. Constat ex actis sub Cranmero quæ profert, eum electum esse Episcopum Asaphensem, designatum etiam Menevensem, Henrico VIII. regnante, sed eum revera episcopale haud suscepisse munus exprobrarunt illi passim æquales scriptores,[1] Id etiam ex ipsis Elisabethæ mandatis colligere licet : nec enim alia idonea datur ratio cur Elisabethæ litteræ patentes Episcopo catholico Landavensi imprimis directæ sint : « Elisabetha Dei gratia, etc. R. R. in Christo patribus Anthonio Landavensi, Guilielmo Barloo, quondam Bathoniensi Episcopo, nunc Cicestrensi electo, Johanni Scoreo quondam Cicestrensi, nunc Herefordiensi electo, Miloni Coverdallo quondam Exoniensi Episcopo, Johanni suffraganeo Bedfordiensi, etc.» Profecto ipsum quod frustra posuerunt studium sectarii ut Landavensem ad ritum peragendum inducerent, indicium haud leve est cæteros non fuisse consecratos.[2]

157. Demus autem Barloum, a quo pendet tota ritus vis, fuisse Episcopum, et Parkerum consecrasse. Masonus alte prædicat, Parkerum haud consecratum juxta Pontificalis Romani ritum, sed « per orationem, sancti Spiritus invocationem, manuum impositionem, ac religiosa promissa, in habitu qui gravitatem et authoritatem Archiepiscopalem deceret, *toga scilicet*, (uti explicat Champnæus,) concione habita ab erudito Theologo de munere et fidelitate a pastore gregi suo debita. »[3] Rituale quippe, puero Eduardo VI. regnante, editum, ritus fere omnes in consecratione Episcopi præscriptos omisit, aliis quibusdam inductis, ut prava principia de suprema auctoritate regia in rebus etiam ecclesiasticis sancirentur. Mandatum regium quo designabatur Episcopus legi consuevit; juramentum de suprema illa auctoritate exigebatur : deinceps interrogabatur electus de sua vocatione ad episcopatum, juxta Christi voluntatem et regni constitutionem : de Scripturarum sufficientia in omnibus quæ ad salutem sunt necessaria, et de voluntatis proposito omnem peregrinam doctrinam extirpandi. Quum assensum præstitisset, precabatur consecrator ut Deus vires illi daret ad hæc efficaciter præstanda, et impositis manibus, dicebat : « Accipe Spiritum sanctum, et memento suscitare gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum, quia Deus non nobis dedit Spiritum timoris, sed potestatis et sobrietatis. » Hac ratione consecrationem peractam esse contendunt quotquot ei suffragantur.

158. Jam vero nihil illo ritu contine-

(1) Vide Milnerum loco citato.

(2) Plura videsis apud Champnæum, c. xiv.

(3) De consecratione Episcoporum Ecclesiæ Anglicanæ, p. 131.

tur quod episcopalis auctoritatis communicationem significet vel efficiat, sed pleraque denotant regni officialem ad errores propagandos qui lege sanciebantur, constitutum. [1] Si quid valoris ei inesset, impositioni manuum cum verbis illis : « Accipe Spiritum sanctum, » tribuendum foret : at nihil determinat illam manuum impositionem ad episcopale munus communicandum, quum adjecta verba gratiam jam datam significent. Nonnullis quidem placuit theologis formam episcopatus essentialem in illis verbis : « Accipe Spiritum sanctum, » reponere; sed prolata in ritu consecrationis, prout in Ecclesia fit, sensum habent ex adjunctis definitum, quum in Rituali Eduardiano vaga sint et incerta.

159. Equidem irritam et inanem esse formam illam Eduardianam, ex lege lata ad dubium tollendum, declarante Elisabeth anno VIII, colligitur. Ipse clerus Anglicanus post sæculum fere elapsum, anno scilicet 1662, consecrationis formam immutavit iis insertis verbis : « In munus et opus Episcopi, quod tibi nunc committitur impositione manuum mearum : » adeo illis de valore prioris ritus dubitandum videbatur. Consuetudo autem Ecclesiæ Romanæ, quæ conversos e secta Anglicana cum suis honoribus non suscipit, sed si presbyteri vel Episcopi habiti fuerint, et in clerum catholicum adscisci velint, eos ordinationis integro ritu sacra donat potestate, argumentum est haud leve explosas penitus esse omnes rationes quibus nituntur ordinationes Anglicanæ. Constat quippe eam semper agnoscere ordinationes Græcorum, et cæterorum qui ab ea disjuncti sunt schismate vel hæresi, qui tamen ritum essentialem ordinandi servant, et nefas ducere eas iterare : quapropter nonnisi veritate manifesta censenda est Anglicanas prorsus respuisse, tamquam nullius momenti.

160. His de ordinis episcopalis potestate apud Anglicanos, quædam de jurisdictione adjicienda duximus. Jurisdictio est potestas regiminis, qua Episcopi concreditos sibi greges regunt. Inter theologos disceptatur utrum immediate profluat a Christo, vel medio Pontifice, omnibus fatentibus eam ex Christi lege pontificiæ auctoritati subjacere. Constat autem omnem potestatem sacram a Christo derivari, adeo ut nulla sit quæ a principibus civilibus vel a populo derivetur. Jam vero tota qualiscumque sit Anglicanorum Episcoporum jurisdictio, a rege seu regina derivata prædicatur in plurimis legibus et edictis, præsertim quæ in schismatis primordiis lata sunt, [2] cujus

(1) « Then shall the Archbishop demand the King's Mandate for the Consecration, and cause it to be read, and the Oath touching the acknowledgement of the King's supremacy shall be ministered. . . . « Are you persuaded that you be truly called to this Ministration, according to the will of our Lord Jesus Christ, *and the order of this realm?* » « Will you maintain and set forward, as much as shall lie in you, quietness, love and peace among all men : and such as be unquiet, disobedient, and criminous, within your Diocese, correct and punish according to such authority as you have by God's Word, and *as to you shall be committed by the Ordinance of this Realm?* . . . Almighty God, our heavenly Father, who hath given you a good will to do all these things, grant also unto you strength and power to perform the same. . . . Take the Holy Ghost, and remember that thou stir up the grace of God which is in thee by the imposition of hands, for God hath not given us the spirit of fear, but of power and love and soberness. » Hæc omnia adhuc servantur, adjectis tamen verbis quibusdam : « Receive the Holy Ghost, for the office and work of a Bishop, etc. »

(2) In juramento quod Parkerus, cæterique Elisabeth præstiterunt, dicit electus : « I acknowledge and confess to have and to hold the said archbishopric of Canterbury, and the possessions of the same entirely, as well the spiritualities as temporalities thereof only of Your Majesty and Crown royal of this realm. » «Nolis on the nature and extent of the Royal supremacy in the Anglican church : by David Lewis, M. A. London 1847.

rei indicia ordinationis ritus adhuc præbet. Ergo omni prorsus jure spirituali carent, quippe qui haud a Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam positi sunt, sed a potestate civili in sedes episcopales intrusi. Hoc vitio laborant, adeo ut Oxonienses, successionis Apostolicæ jura prædicantes, haud suæ sectæ, sed Ecclesiæ Catholicæ agant causam. [1]

CAPUT X.

DE ORDINANDIS.

161. Ad legitimam Ordinum susceptionem status gratiæ requiritur, quum Spiritus sanctus in animam peccatis adstrictam non intret. Confirmatio etiam et prima tonsura ante Ordines suscipiendæ sunt. [2] Ne cum clericalis status dedecore clerici inopia laborent, *congruæ sustentationis titulus* necessarius est, beneficium scilicet ecclesiasticum, cujus redditibus fruantur, vel patrimonium, vel pensio annua. [3] In his tamen provinciis titulus *Missionis* admittitur, probante Sede Apostolica, quæ tamen exigit ut eo titulo ordinati juramento se adstringant ad sacris missionibus perpetuo inserviendum in diœcesi in qua ordinati sunt. Regulares titulo *paupertatis* ordinantur.

162. Ætas legitima ad subdiaconatum suscipiendum est annus vigesimus secundus inchoatus : diaconatus anno vigesimo tertio inchoato suscipi potest: presbyteratus anno vigesimo quinto: episcopatus anno trigesimo completo. [4] Apud Cophtos Nestorianosque Syros infantes ordinantur; quos si ad Ecclesiam Catholicam contigerit venire, suscipiuntur, relicta libertate cœlibatum servandi, et onera omnia Ordinis subeundi, nisi post sextumdecimum ætatis annum ordinationem suam ipsi ratam habuerint.

163. Temporibus a jure statutis Ordines sacri conferendi sunt, nempe *quatuor temporibus*, Sabbato sancto, et Sabbato de Passione. [5] Minores ordines etiam Dominicis et festis diebus conferuntur. *Interstitia*, intervalla scilicet temporis, inter Ordines intercedere debent, juxta Tridentinum decretum: « Minores Ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur. . . . Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat. . . . Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur . . . . In diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint, » [6] ad sacerdotium non promoventur. Qui ordine inferiori omisso ad altiorem evehitur, *per saltum* ordinatus dicitur, et suspenditur ab ordinum exercitio, donec Episcopus dispenset. [7]

164. *Irregulares*, seu alieni a regula illi habentur quos lex ecclesiastica vetat ad Ordines promoveri, vel Ordines jam susceptos exercere. *Crimine* vel *defectu* irregulares fiunt. Infames ob crimina declarantur qui scienter Ba-

(1) Vide opus fratris mei archiep. S. Ludovici, Philadelphia an. 1848. « The validy Anglican ordinations examined. »

(2) Trid. Conc. Sess. xxxiii. cap. iv. de Ref.

(3) Ibidem Sess. xxi. cap. ii. de Ref.

(4) Ibidem Sess. xxiii. cap. xii. de Ref. Cap. vii. de elect. et Constitut. Gregorii XIV. *Onus Apostolicæ*.

(5) Cap. iii. de temp. ordinat.

(6) Sess. xxiii. c. xi. xii. xiii. xiv. de Ref.

(7) Cap. *Tuæ litteræ*, de clerico per saltum ordinato.

ptismum iterato conferunt; [1] simoniaci, rerum sacrarum scilicet nundinationis rei; [2] qui per saltum ordinati sunt; qui in Ordine sacro quem non susceperunt ministrarunt; [3] qui ad suscipiendos Ordines obrepserunt, absque probatione, et vocatione Episcopi: [4] qui Ordines susceperunt, vel susceptos exercuerunt, majori excommunicatione, suspensione, vel alia censura ligati; [5] qui voluntarium atque injustum patrarunt homicidium. [6] Abortus fœtus animati, cui aliquis præstitit consilium aut operam, irregularitatem etiam inducit. [7] Qui hominem occidit se defendendo, servato moderamine inculpatæ tutelæ, irregularis non fit; sicut et qui amens homicidium patraverit. [8]

165. Irregulares *ex corporis defectibus* sunt quicumque deformitate aliqua notantur, quæ adeo est gravis, ut risum vel stomachum moveat. Sic claudi qui egent fulcro ut ambulent, pusilli, et ii quibus abscissæ sunt nares, vel oculus erutus, [9] irregulares habentur. Item surdi, muti, cœci utroque oculo, vel sinistro, vel quibus ita læsus est, ut Canonem Missæ nonnisi versa facie indecore legere possint. Paralytici etiam irregulares sunt, sicut et epileptici, carentes aliquo membro, pede ex. gr., vel manu, vel digito ad hostiam frangendam necessario. Qui se eunuchos fieri passi sunt, nisi id contigerit medicorum consilio, sunt irregulares. Hermaphroditus in quo fœmineus sexus prævalet nequit omnino Ordines suscipere, quum fœminæ divino jure a sacro ministerio arceantur. Si autem prævaleat masculinus sexus, pontificia habita dispensatione, ordinari poterit.

166. *Ob animi defectum* irregulares sunt qui Baptismum non susceperunt, quorum irrita prorsus est ordinatio: nemo enim in sacerdotem Christi, vel ministrum quemlibet sacrari potest, qui nec christianum characterem suscepit. Neophyti non sunt ordinandi, vetante id Apostolo; sed quamdiu habendi sint tales judicio Episcopi definiendum est. Servi nequeunt ordinari, donec emancipati fuerint. [10] Curatores aliive ad reddendas rationes obligati ordinandi non sunt, nisi rationibus jam redditis. [11] Inscii litterarum, qui scilicet prorsus sunt ignari, ab Ordinibus repelluntur: [12] secus qui mediocrem habent scientiam.

167. *Defectu lenitatis* irregulares habentur quicumque concurrunt ad mortem vel mutilationem hominis, etiam justa de causa. Hinc judices qui sententiam mortis proferunt, accusatores, fisci patroni, testes in causa capitali, et ministri omnes qui sententiam exequuntur, irregulares sunt, si mors vel mutilatio rei sequatur. [13] Clerici tamen testimonium ferentes excusantur, si protestentur se nolle sanguinis effusionem. [14]

168. *Amentes*, furiosi, energumeni, imbecilliorisque mentis homines, qui scilicet sui compotes non sunt, irregulares habentur: qui autem ex morbo per aliquod tempus sui compos non fuerit, non habetur irregularis, si pristinum mentis vigorem recuperaverit,

(1) Can. lxv. dist. I. cap. ult. de Bapt. Cap. ii. de apostat.
(2) Can. ii. dist. xxxiii. et Sixtus V. Const. Sanctum.
(3) Cap. i. de Cler. non ordinat. min.
(4) Cap. i. ii. iii. de eo qui furtiv. ordin. suscep.
(5) Cap. xxxii. de sent. excomm.
(6) Cap. i. et x de homicid. volunt. vel casual.
(7) Const. Greg. XIV. Sedes Apostolica.
(8) Clem. unic. de homicid.
(9) Can. ult. dist. lv. cap. iv. de cleric. ægrot. can. i. dist. xlix. cap. ii. de corp. vitiat.
(10) Cap. i. et ii. de servis non ordin.
(11) Cap. unic. de oblig. ad rat.
(12) Can. i. dist. xxxvi. et Toletan. iv. can. v. dist. li. Innoc. III. in c. xix. de elect.
(13) Cap. v. et ix. *Ne clerici vel monachi.*
(14) Cap. ult. de homicidio in 6.

et nullum relapsus in amentiam periculum præ se ferat.[1]

169. Hæretici, schismatici, apostatæ, atque ii quorum pater, avusque hæretici sunt, vel in hæresi decesserunt, irregulares jure canonico declarantur.[2] Passim tamen apud nos ad sacros promoventur Ordines conversi ab hæresi; quod vi facultatum quas tribuit Sancta Sedes Episcopis Fœderatarum provinciarum fieri videtur.

170. Adulterio, perjurio, aliisque vitiis infames ab Ordinibus arcentur:[3] scilicet quorum crimina ordine judiciario probata sunt, vel alias notoria sunt.

171. *Spurii* non possunt ad Ordines minores promoveri, nisi dispensante Episcopo: ad majores ut promoveantur pontificia indigent dispensatione.[4] Legitimi tamen habentur jure canonico, quorum parentes deinceps inierunt matrimonium, dummodo ejus ineundi capaces fuerint tempore conceptæ prolis: id enim statutum est, ut inducerentur parentes ad nuptias ineundas: quam sanctionem immerito carpit Blackstonius, jus commune Anglicanum, quod legitimos habet eos tantum qui post nuptias nati sunt, verbis efferens.[5] Plerorumque statuum leges jus canonicum et civile hac in re imitantur.

172. *Bigami*, qui scilicet plus semel nuptias inierunt, Ordines suscipere non possunt, Apostolo exigente, ut unius uxoris vir ad sacra munera evehatur.[6] « Impudicos castigat, » inquit Chrysostomus, « non sinens eos post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen assumi. »[7] *Vera* bigamia hæc vocatur: *interpretativa* est quam jus canonicum statuit, eum qui viduam, vel vitiatam duxit in uxorem, pro bigamo habens.[8] *Similitudinaria* bigamia est illius qui solemni castitatis voto devinctus duxit et cognovit uxorem.[9]

CAPUT XI.

DE RELIGIOSIS.

173. Quamvis ordo religiosus ab Ordine sacro, quem tractamus, differat, aliqua tamen de eo dicenda videntur, ut lectoribus innotescat quomodo a clericis populoque fideli distinguatur. Ordo religiosus vocatur cœtus hominum certum profitentium vitæ institutum, ut consilia evangelica executioni demandent, votaque in eum finem solemnia emittentium. Plurimi ex iis consueverunt sacris insigniri Ordinibus, et clerici regulares idcirco vocantur; clericis sæcularibus nuncupatis qui in sæculo manentes, speciales illas vivendi regulas et obligationes non sunt amplexi. Originem hujusmodi institutorum ad Ecclesiæ primordia quodammodo referuntur.

174. Qui primis Ecclesiæ sæculis virtutibus strenuam navabant operam, duriori quadam et sanctiori vitæ ratione a cæteris fidelibus discreti, ασκηται a virtutum exercitio nuncupabantur. Persecutione Decii vigente, medio tertio sæculo, fideles nonnulli in solitudinem sese contulerunt, et vitam duxerunt asperam simul et tranquillam, rerum cœlestium contemplatione recreati. Id vitæ genus, pace jam Ecclesiæ reddita, secuti sunt aliqui, inter quos Paulus primum obtinet locum, Antonius secundum. Hos imitati, alii plures huc illuc in desertis Ægypti dispersi vivebant, — μοναχοι, αναχωρηται, ερημιται, inde appellati. S. Pachomius primus μοναχ-

(1) Can. iii. iv. v. dist. xxxiii.
(2) Cap. xv. de hær. in 6.
(3) Can. xvii. c. vi. qu. i.
(4) Cap. i. et vii. qui filii sint legit.
(5) Commentaries l. i. n. 455.
(6) I. Tim. iii. 2. Tit. i. 6. (7) Hom. ii. in ep. ad Tit.
(8) Dist. xxxii. c. 12. Dist. xxxiii. c. 2.
(9) Cap. ult. de Bigam. non ordin.

τυρία, seu κοινοβία, domus scilicet in quibus communem ducebant vitam, instituit in Ægypti Thebaide. Plurimi autem morabantur in cellulis separatis, quæ omnes λαυρα dicebantur. In Oriente Basilius Magnus habetur monachorum pater, ob Institutum eorum ab eo propagatum. In Occidentem S. Athanasius monasticam vitam invexisse creditur, quando Romæ versabatur, a sede sua profugus. «Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo,» tempore Hieronymi Romæ erant.[1] S. Benedictus sæculo sexto monasticum institutum perfecit et propagavit in Occidente, legibusque certis monachos ad perseverandum in semel suscepto instituto adstrinxit. Plerique monachi laici erant, laborique manuum vacabant; unus tamen aut alter sacerdotio in cæterorum utilitatem insignitus, sacra munera peragebat in sacello monasterii. Fuerunt etiam plurimi ordinis Benedictini, qui et vetera exemplaria transcribebant, et scientias sacras præsertim excolebant, litteris apud laicos fere vilescentibus.

175. Sæculo undecimo canonici regulares instituti sunt: clerici scilicet Ecclesiis quibusdam addicti, certis communis vitæ regulis sese obligarunt. Sæculo decimo tertio ineunte, S. Dominicus ordinem Prædicatorum instituit, ut Episcopis essent auxilio, præsertim contra hæresim Albigensium tunc grassantem. Idem sub tempus S. Franciscus Assisiensis Fratrum Minorum ordinem instituit, paupertatem Christi imitandi causa. Plures ordines militares occasione bellorum cruce signatorum instituti sunt, Templarii scilicet, equites Hierosolymitani, aliique.

176. Regulares omnes castitatem, paupertatem, et obedientiam vovent se servaturos; quod votum emittunt post annum sextumdecimum suæ ætatis, et expleto jam anno probationis: secus vim non obtinet. Irritum quoque est votum, metu vel vi factum;[2] et declarandum est nullius valoris, si intra quinquennium reclamatio fiat.[3]

177. Sanctimoniales in cœnobia convenerunt eo fere tempore quo monachi. Eadem emittunt vota; sed legi clausuræ arctiori subjiciuntur: nec enim iis licet extra septa monasterii egredi nisi gravissima urgeat causa, v. g.: incendium, lepra, epidemia. Nemini licet ingredi monasterium, nisi licentia Episcopi et superioris, ob graves causas, impetrata. Excommunicationis censura ligatur qui secus ingrediatur.[4] Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, demandatur clausuræ custodia, qui punit etiam exemptos eam violantes.[5] Quæ in his regionibus reperiuntur piarum fœminarum congregationes, nomine Sororum Charitatis, sanctimoniales non sunt, quia vota perpetua non emittunt. Carmelitanæ autem et Sorores Visitationis, SSmi Cordis Jesu, et Ursulinæ sanctimonialibus accensentur.

178. Fuerunt olim in Ecclesia *diaconissæ*, fœminæ scilicet plerumque provectioris ætatis, quæ plurimis pietatis operibus vacabant. Catechumenas edocebant, adstabant dum fœminæ baptizarentur, visitabant ægrotas, mulieres Ecclesiam ingredientes excipiebant, et alia pietatis munera obibant. Ritu quodam, qui tamen Sacramenti non habebat rationem, in ordinem illum evehebantur, impositione scilicet manuum. Sed jam desiit nomen et officium in tota Ecclesia.

(1) Ep. cxxvii.
(2) Cap. i. de his quæ vi.
(3) Conc. Trid. Sess. xxv. Cap. xix. de Regul. Vide etiam Constit. Benedicti XIV. *Si datam.*
(4) Conc. Trid. Sess. xxv. cap. v. de Regul.
(5) Gregor. XV. Const. *Inscrutabili.*

CAPUT XII.

DE SACRO CŒLIBATU.

§. I. *De cœlibatus antiquitate.*

179. Castitatem servare debent omnes sacris Ordinibus insigniti, sive ex voto implicito, quod nonnullis videtur emissum a subdiaconis, dum ab Episcopo moniti castitatem servandam esse si Ordinem illum susceperint, ad eum accedunt; sive ex lege Ecclesiæ. Subdiaconi olim ea lege non adstringebantur, saltem ubique, quos tamen ei subjectos esse voluit S. Leo Magnus,[1] et Concilium Aurelianense III.[2] Græci subdiaconos inter clericos minores recensentes, iis liberam relinquunt facultatem nuptias ineundi : quam diaconis et presbyteris denegant, consortium tamen uxorum, quas ante ordinem sacrum susceptum duxerant, indulgentes. Sacerdotibus hebdomadem vel saltem triduum continentia ante Sacrificii celebrationem præscribitur : Episcopis autem cœlibatus omnino injungitur. Hæc apud eos obtinuit disciplina a sæculo saltem septimo, Synodo Trullana probante.

180. De origine legis continentiæ qua tenentur clerici majores acriter disceptatur. Inter Protestantes plurimi Gregorium VII. ejus faciunt auctorem ; et eam iniquam esse, et omnium vitiorum fontem clamitant, Vigilantium in eo imitati, quod « continentiam hæresim, pudicitiam libidinis seminarium » asserant ;[3] quamvis non desint qui cœlibatum probant, dummodo penes unumquemque eum colendi arbitrium maneat. Theologi omnes vere catholici legis æquitatem et sanctitatem agnoscunt : sed quærunt utrum Christum habeat auctorem, vel Apostolos, vel Ecclesiæ Præsules posteriores. Id tamen in confesso apud omnes est, ab ipsis Ecclesiæ primordiis plerosque Episcopos, presbyteros, et diaconos integram servasse continentiam, nec unquam uxores post Ordines susceptos duxisse. Perronius post Christianum Lupum censet apud Orientales cœlibatus disciplinam moribus plerorumque ab initio comprobatam, esse tamen exempla quæ ostendunt continentiam ab uxoribus ante ordinationem ductis districta lege non fuisse injunctam : quam in occidentali Ecclesia semper viguisse, lege a S. Petro derivata, constanter tenet.

Propositio.

Nunquam licuit clericis qui sacris Ordinibus insigniti erant matrimonium inire.

181. *Probatur* 1. *sanctionibus antiquissimis.* Constitutiones Apostolicæ quæ pristinam plerumque exhibent disciplinam, id omnino vetant : μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς μετὰ χειροτονίαν ἀγάμοις οὖσιν ἔτι ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι : « post ordinationem autem, si uxores non habent, (*Episcopus, et presbyter et diaconus*), præcipimus, ut non liceat amplius ducere. »[4] Canones Apostolici nubere volentes, postquam in clerum sunt cooptati, ultra Lectoris vel Psaltis gradum provehi vetant. — Τῶν εἰς κλῆρον προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν, ἀναγνώστας, καὶ ψάλτας μόνους. Concilium Neocæsareense, anno 315, decrevit : « Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. »[5]

182. Ipsi Trullanæ Synodi Præsules, qui disciplinam Orientalium de cœlibatu eatenus solverunt, quod clericis majoribus uti matrimonio ante Ordines susceptos inito permiserint, districte vetuerunt, ne post Ordinum susceptionem quis matrimonium iniret : « Quo-

(1) Ep. xiv. c. iv. col. 687. tom. i. edit. Ballerin.
(2) Can. ii. (3) Vide Hieronym. adv. Vigil.
(4) Cap. xiii. Labb. t. i. p. 592.
(5) Apud Labb. t. i. p. 1484.

niam in apostolicis canonibus dictum est eorum qui, non ducta uxore, in clerum promoventur, solos lectores et cantores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero, post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. »[1]

183. Jus ecclesiasticum vetans clericorum majorum matrimonia civili jure munitum est: « Sacris canonibus, » inquit Imperator Justinianus, « neque Deo amantissimis presbyteris, neque reverendissimis diaconis aut subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus, sed solis reverendissimis psaltis et lectoribus concedentibus, animadvertimus quosdam despicientes quidem sacros canones, » etc.[2] « Si aliquis presbyter, aut diaconus, aut subdiaconus postea ducat uxorem aut concubinam, aut palam aut occulte, sacro statim cedat ordine, et deinceps idiota sit. »[3]

184. *Probatur* 2. *consuetudine perpetua.* Totius Ecclesiæ tum orientalis tum occidentalis usus ab antiquissimis vigens temporibus, et nunquam interruptus, probat semper nefas habitum conjugium inire post Ordines susceptos. Græcorum et orientalium omnium sectarum consensus hac in re aperte nobis suffragatur. Hanc perpetuam consuetudinem ad Apostolos referre necesse omnino est.

Objectiones solvuntur.

185. *Obj.* 1. Non constat de lege Apostolica, vel prioribus Ecclesiæ sæculis lata, qua conjugium post Ordines susceptos vetabatur: nam constitutiones dictæ « apostolicæ » carent auctoritate, et recentius editæ noscuntur.

186. *Resp.* Omnino constat ex perpetua consuetudine: nec enim existimandum est disciplinam adeo arduam moribus comprobandam, nisi districte ab ipsis Ecclesiæ primordiis injuncta fuisset. Constitutiones apostolicæ magnæ sunt antiquitatis, et canones apostolici Concilio Nicæno noscuntur priores, ideoque in plerisque veterem disciplinam exhibent: quæ in hac lege claret.

187. *Obj.* 2. Apostolus dotes Episcopi recensens dicit: « Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, — μίας γυναικὸς ἀνὴρ — filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.»[4] Et alias: «Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum . . . . suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. »[5] Hæc obvio sensu indicant hominem mariti officiis et patris fungi posse, absque sui gradus detrimento, imo id omnino decere.[6]

188. *Resp.* Vocum quæ objiciuntur vis ex loco parallelo optime intelligitur: « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor. » — ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή.[7] Sensus igitur obvius est virum in Episcopum eligendum qui semel tantum duxerit uxorem. « Qui unam uxorem habuerit, non habeat, » uti animadvertit S. Hieronymus.[8] Ea tempestate quum homines plerique matrimonio conjuncti essent, in sacris ministris seligendis vix poterat eorum copia haberi qui ætate graves nuptiarum forent expertes, ideoque satis habuit Apostolus jubere, ne quis bigamus ad Ordines suscipiendos admitteretur, relicta libertate alios qui semel duxerant uxorem eligendi: quæ regula semper in Ecclesia servata est. De filiis jam genitis loquitur, uti patet; illud scilicet indicium habet morum optimorum, et profectus ex ejus ordi-

(1) Apud Labb. t. vi. p. 1144.
(2) L. xlv. cod. de episc. et cleric.
(3) Novell. vi. cap. v.
(4) Tit. l. 6. (5) I. Tim. iii. 2.
(6) Strom. l. iii. (7) I. Tim. v. 9.
(8) Adv. Jovin. l. i. c. xx.

natione derivandi, si filios habeat bonis moribus ornatos, sibique obtemperantes. Nemo suspicari poterit Apostolum exigere ut uxorem habeat et filios procreet, quod adnotat ipse Rosenmüller : « Cæterum hæc verba Apostoli non exigunt, ut presbyter uxorem habeat, aut habuerit, sed id permisit, dum ne plures una habuerit. »[1] Quæ de permissione dicit hic interpres, iis quæ diximus corrigenda sunt; nec enim constat Apostolum permisisse ut Episcopus uxoris consortio frui pergeret.

189. *Obj.* 3. Si clericis non liceret uxores suscipere, mirum est Paulum de eo siluisse, Timotheum et Titum edocentem.

190. *Resp.* De eorum dotibus qui ad ministerium eligendi erant agebat Apostolus, ideoque de lege qua prohiberentur matrimonio, post Ordines susceptos, eum siluisse mirum non est; præsertim quum Timotheus et Titus ordinatorum onera jam nossent, ea edocti dum ipsi ad ministerium sacrum assumerentur.

191. *Obj.* 4. Apostolus de cœlibatu agens, cum uniuscujusque arbitrio relictum innuit, et quamvis ob ingruentes persecutiones et vitæ solicitudines melius dicit abstinere a nuptiis, nullum tamen peccatum admitti docet si quis eas ineat, præsertim libidine eum discrimini salutis alias objectura : « Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat . . . Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri. »[2] Clericos non excipit, quos proinde matrimonii remedio contra carnis tentationes uti posse manifestum est.

192. *Resp.* Apostolus eo loci Corinthiorum quæsitis respondit, qui de cœlibatu et de matrimonii usu plura videntur interrogasse. De laicis agebatur nulla speciali continentiæ lege vel voto adstrictis ; ideoque docet Apostolus optimum esse si quis pietatis studio a carnis voluptate omnino se abstineat, sed liberam unicuique relinqui matrimonii ineundi facultatem, et præstare nubere quam cupiditatibus se mancipare, pudicitiæ violatis legibus. « Paulus Apostolus, » animadvertit Grotius, de filia tradenda viro, « id non improbat ; præfert tamen vitam virginalem, si et ipsa velit, et parentes. »[3] De clericorum continentia non erat quæstio, sed verosimile est ex ea, et ex laudibus quibus virgineus status efferebatur, occasionem Corinthiis ortam dubitandi utrum culpa aliqua foret inire matrimonium, vel ejus juribus uti. Clericos non posse ad illud veluti remedium confugere, quæcumque eos pulset tentatio, ex totius antiquitatis moribus et auctoritate didicimus ; ideoque ad eos non esse referenda quæ de fidelibus universis Apostolus dicit. Profecto alias tradit viduas quæ votum castitatis nuncupaverint, si postea nupserint, in interitum ruere, ob violatam fidem Christo præstitam, dum fervore animi elatæ deliciis spiritus fruerentur : et adolescentiores viduas ob id periculi ad ministerium Ecclesiæ, quale diaconissæ obibant, non esse admittendas jubet : « Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt : habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. »[4] Quod de ingruentibus persecutionibus veluti cœlibatus commendandi occasione, in objectione dicitur, melius a Calvino ipso explicatur : « Propter necessitatem, qua sancti in hac vita urgentur semper, ut libertate ac commoditate cœlibatus fruantur omnes. »[5]

193. *Obj.* 5. Apostolus dicit. « Ho-

(1) In I. Tim. iii. 2.
(2) I. Cor. vii. 2. 9.
(3) In Eccl. vii. 27.
(4) I. Tim. v. ii. (5) In loc.

norabile connubium in omnibus, et torus immaculatus. »[1] Ergo licet et clericis nuptias inire absque ullo sui status dedecore.

194. *Resp.* Illa verba Apostoli præcepti instar sunt : jubet scilicet ut connubium servetur quoad omnia, nulla tori labe admissa, hac ratione ejus sanctitatem fidelibus commendans, adjectis etiam divinæ ultionis minis : « Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. » Explicatio hæc ex ipsa serie orationis deprompta[2] immerito deseritur a Protestantibus, ut honorem clericorum majorum nuptiis contra totius antiquitatis consensum vindicent. Profecto Chrysostomus Theodoro monacho, qui uxorem duxerat, nihil suffragari illud Apostoli testimonium censuit: « Bonum quidem nuptias et ipse confiteor : honorabiles, inquit, nuptiæ et cubile immaculatum; fornicatores autem et adulteros judicabit Deus ; sed tibi jam non est integrum connubii jura servare : cœlesti enim Sponso semel junctum, illum relinquere, et uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere est; quamvis millies hoc ipsum nuptias voces, ego tamen et adulterio illud tanto pejus affirmo, quanto major ac melior mortalibus Deus. »[3]

195. *Obj.* 6. Contra Dei legem qua matrimonium præcipitur, vel saltem sancitur, divina data benedictione: « Crescite et multiplicamini, et replete terram; »[4] Apostoli legem tulisse censendi non sunt, quam et ne quidem ferre valuerunt.

196. *Resp.* Illa verba probant quidem Deum sanxisse nuptias in universum, eisque benedixisse, sed nequaquam ostendunt præceptum operi conjugii vacandi. Apostolus certe commendavit virginitatem : « Bonum est homini mulierem non tangere ; » eamque donum divinitus datum prædicavit; qua ratione divinæ auctoritati derogasse censeri nequit. Exempla utriusque Joannis ostendunt matrimonium unicuique non injungi; quod e contra vetitum esse sacris ministris ex totius antiquitatis consensione liquet. Hujusmodi lex ab Apostolis lata haud temere censetur, quam nihil continere divinæ auctoritati adversum constat : nec enim divinis propagandi humanum genus consiliis repugnat, ut hominum ordo a nuptiis abstineat ad divinis rebus vacandum.

197. *Obj.* 7. Concilium Ancyranum anno 315 permisit nuptias diaconis, qui in ordinatione sua protestati fuerint se non posse continentiam servare : « Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt et dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod Episcopus eis licentiam dederit. »[5]

198. *Resp.* Illud decretum caruit effectu, quum juri universali ecclesiastico, contra quod nil potest Concilium provinciale, vel singularis Episcopus, adversaretur. Id in confesso est apud ipsos scriptores Græcos, Balsâmonem, Zonaram et Aristenium. Generalis lex

(1) Heb. xiii.4.

(2) Bloomfield adnotat : « Since the whole context is hortatory, the best expositors in general are, with reason, agreed that the ellipsis here is not ἔστι but ἔστω. » In locum.

(3) Δίκαιος ὁ γάμος, σύμφημι κἀγώ· τίμιος γὰρ φησιν ὁ γάμος, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος· πόρνους δὲ καὶ μοιχοὺς κρινεῖ ὁ θεός. σοὶ δὲ οὐκέτι δυνατὸν τὰ δίκαια τοῦ γάμου φυλάξαι· τὸν γὰρ ἐπουρανίῳ συναφθέντα νυμφίῳ, τοῦτον μὲν ἀφεῖναι, γυναικὶ δὲ ἑαυτὸν συνάψαι, μοιχείαν δὲ πρᾶγμα, κἂν μυριάκις αὐτὸ γάμον καλῇς· μᾶλλον δὲ καὶ μοιχείας τοσούτῳ δεινότερον, ὅσῳ κρείττων ἀνθρώπων θεός. t. i. ep. II. n. 3. p. 38. ed. Paris. MDCCXVIII.

(4) Gen. i. 28.

(5) Conc. Ancyr. apud Labb. t. i. p. 1467.

civili sanctione, Ancyrano statuto e diametro adversa, postea munita est: « Si futurus ordinari diaconus non habuerit uxorem conjunctam sibi, non aliter ordinetur, nisi prius ab ordinante eum interrogatus, promiserit posse post ordinationem et sine legitima uxore honeste vivere : non valente eo qui ordinat, in tempore ordinationis permittere diaconum aut subdiaconum, post ordinationem uxorem accipere. »[1] Insuper animadvertendum ipsos patres Ancyranos presbyteris vel Episcopis non eam fecisse facultatem.

Animadversio.

199. Ex disceptatis liquet cœlibatus disciplinam, quatenus vetat ne Matrimonium post Ordinem sacrum susceptum ineatur, derivari ab ipsa Apostolorum ætate, et fuisse semper Græcis pariter et Latinis communem : quapropter Anglicani, sectariique omnes inter quos versamur, clericis matrimonium permittentes, toti adversantur antiquitati.

Propositio.

Cœlibatus lex qua sacris Ordinibus insigniti adstringuntur, conjugii usu interdicto etiam iis qui duxerant ante ordinationem uxores, antiquissima est.

200. *Probatur* 1. *Pontificum auctoritate.* S. Siricius, Pontifex creatus anno 385, cœlibatum commendavit utpote lege insolubili statutum : « Dominus Jesus, cum nos suo illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia legem venit implere, non solvere; ideo Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicii sine macula et ruga eam possit reperire. Quarum sanctionum sacerdotes omnes atque levitæ insolubili lege adstringimur, ut a die ordinationis nostræ sobrietati, et pudicitiæ, et corda nostra mancipemus et corpora; dummodo per omnia Deo nostro, in his quæ quotidie offerimus sacrificiis placeamus. . . . . Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua Sanctitas retulit, ignoratione lapsos se esse deflent: his hac conditione misericordiam dicimus non esse negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent; si tamen post hæc continentes se studuerint exhibere. Hi vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, presbyter, atque diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam sibi omnem indulgentiæ per nos aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera quæ fomentorum non senserint medicinam. »[2] De lege jam ab antiquis temporibus vigente nullum dubitandi locum relinquit Pontifex, tantas pœnas transgressoribus intentans.

201. S. Leo M. legem vigentem etiam agnovit : « Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque presbyteris : qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere, et filios procreare potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde et de carnali fiat spirituale conjugium, oportet eos nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habere, quo et salva sit charitas conjugiorum et cessent opera nuptiarum. »[3]

202. *Probatur* 2. *Conciliorum decretis.*

(1) Novell. cxxiii. c. xiv.
(2) Ep. ad Himerium Tarracon. c. vii.
(3) Ep. xcii. ad Rusticum Narbonens. c. iii.

Eliberitanum Concilium, quarto sæculo ineunte habitum, sic decrevit : « Placuit in totum prohiberi Episcopis, presbyteris, diaconibus et subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis, et non generare filios : quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur. »[1] Prohibitionem hanc vetere disciplina nixam esse constat ex aliis quæ damus documentis.

203. Concilium Carthaginense II. anno 390 exhibet Episcopum sic loquentem : « Cum in præterito Concilio de continentiæ et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes annexi sunt : Episcopos, inquam, presbyteros, et diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes, necnon et levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare ; *ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas*, nos quoque custodiamus. Omnibus placet, ut Episcopi, presbyteri, et diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est : Placet ut in omnibus, et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt. »[2]

204. Carthaginense V. decrevit : « Cum de quorumdam clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, et presbyteros, et diaconos, secundum priora statuta, etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. »[3]

205. Concilium Taurinate anno 397 statuit : « Hi autem qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio filios genuerunt, ne ad majores gradus Ordinum permittantur, Synodi decrevit auctoritas. »[4]

Hæc Conciliorum decreta manifestum faciunt, legem cœlibatus quarto sæculo magna cum solicitudine a Præsulibus Ecclesiæ executioni demandatam, severissimis adjectis pœnis, et eam ab ipsa antiquitate servatam prædicari, imo ab Apostolis traditam, Christo ipso volente tanto decore suam ornari Ecclesiam.

206. *Probatur* 3. *Patrum testimoniis.* S. Basilius M. ad Paregorium presbyterum septuagenarium scripsit, hortans ut mulierem secum commorantem dimitteret, ut cœlibatus decor, juxta Nicænum Canonem, servaretur : « Nec primi, nec soli, Paregori, statuimus, ne mulieres cum viris cohabitarent : sed lege canonem qui a sanctis Patribus nostris Nicææ editus est, qui aperte prohibet ne sint subintroductæ. In hoc autem situm est cœlibatus decus et honestas, quod separati simus a consuetudine et consortio mulierum. »[5]

207. S Epiphanius ait : « Sacerdotium ex virginum ordine præcipue constat, aut si minus ex virginibus, certe ex monachis, aut si minus ex monachorum ordine, ex his creari sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. »[6]

208. S. Hieronymus : « Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eligantur aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici. »[7] Vigilantio clericis conjugii usum vindicanti respondit : « Quid facient Orientis Ecclesiæ ? quid Ægypti et Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos acci-

(1) Can. xxxiii.
(2) Can. ii. (3) Ibidem.
(4) Can. viii. apud Hard. t. i. col. 960.
(5) Ep. ad Paregor.
(6) Expos. fidei Cathol. c. xxi.
(7) Ep. L.

piunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt? »[1]

209. S. Augustinus narrat se solere clericorum continentiam aliis, qui vehementes cupiditates se frænare non posse querebantur, proponere imitandam : « Solemus eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerumque ad eamdem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt. »[2]

Objectiones solvuntur.

210 *Obj.* 1. Apostolus Paulus suam uxorem alloquitur, ad Philippenses dum scriberet : « Etiam rogo et te, germane compar — σύζυγε γνήσιε — adjuva illas. »[3]

211. *Resp.* Vox illa non necessario designat conjugem, sed et collegam, uti adnotat Rosenmüller : « Σύζυγον non tantum dicitur de matrimonio junctis, verum etiam de collegis, ut sit pro συνεργόν. Intelligit igitur Episcopum vel primum inter presbyteros Philippenses. Alii Σύζυγον existimant fuisse nomen proprium. »[4] Marem, ut patet, alloquitur Apostolus, qui alias testatur se cœlibem esse, et cupere ut omnes, sui adinstar, ea ex parte sint. « Dico autem non nuptis, et viduis : bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. »[5]

212. *Obj.* 2. Apostoli omnes uxores duxisse censendi sunt, Joanne forsan excepto, quem referunt veteres virginem mansisse, id veluti singulare illi tribuentes. Profecto Clemens Alexandrinus cœlibatus vindices arguit : « An etiam reprobat Apostolos? Petrus enim et Philippus filios procrearunt : Philippus autem filias quoque suas viris locavit. »

213. *Resp.* De solo Petro constat eum olim duxisse uxorem : quum igitur, uti animadvertit S. Hieronymus, « excepto Apostolo Petro, non sit manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint : et cum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse; de quibus nihil tale Scriptura significet. »[6] Cæterum si id concedatur, possumus cum Hieronymo denegare eos post vocationem ad Apostolatum conjugii juribus usum, quum Petrus omnium nomine loquens, eos omnia propter Christum deseruisse dicat : « Petrus et cæteri Apostoli, ut ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant : qui assumpti postea in apostolatum relinquunt officium conjugale : nam cum Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum : « Ecce nos reliquimus omnia, » et sequuti sumus te; » respondit ei Dominus : « Amen, dico vobis, quoniam » nemo est qui dimiserit domum, aut » parentes, aut fratres, aut uxorem, » aut filios propter regnum Dei, qui » non recipiat multo plura in sæculo » isto, et in sæculo futuro vitam æter- » nam. »[7] Joannes ideo a veteribus præ aliis Apostolis celebratur, quod junior vocatus ad apostolatum, virgineum decus integrum servasse creditur : « Quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, et ideo plus amatur a Domino, et recumbit super pectus Jesu. Et quod Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat ut interroget. . . . . et ut brevi sermone multa comprehendam, doceamque cujus privilegii sit Joannes, imo in Joanne virginitas, a Domino virgine Mater virgo virgini discipulo commendatur. »[8] In eo quod

(1) L. adv. Vigil.
(2) L. ii. de adulterinis conjugiis.
(3) Philip. iv. 5. (4) In loc.
(5) I. Cor. vii. 8.
(6) L. i. contra Jovin. c. xiv. (7) Ibidem.
(8) Ibidem.

de Philippi Apostoli filiabus dicit Clemens Alexandrinus, error est, quum a Philippo diacono, ante ministerium sacrum susceptum, genitæ sint. »[1] De Petro autem non constat eum unquam filiam habuisse, quam post apostolatum susceptum genitam non esse ex testimonio veterum explorata res est. Clemens certe non agit contra cœlibatum, quem laudibus potius effert, sed contra hæreticos qui « dicunt non esse admittendum matrimonium et liberorum procreationem. »[2]

214. *Obj.* 3. Apostolus sibi licere contendit uxorem secum etiam in sacris missionibus circumducere, quum Apostolis cæteris id in more esset : « Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? »[3] Hoc de mulieribus piis, de sua substantia Apostolis ministrantibus, non potest intelligi; nam περιαγειν, *circumducere*, nempe in itineribus, est longe aliud, quam ut de mulierum harum studiis explicari possit. Accedit, quod Paulus de publicis sumptibus tractat. Innuit igitur, sibi competere jus postulandi, ut non tantum ipse, sed etiam uxor, quam habere possit comitem, ab Ecclesiis aleretur. Si vero ad tales mulieres provocasset quæ sine sumptu Ecclesiarum, de suo Apostolis et fratribus Domini victum suppeditassent, plane sua causa cecidisset » Ita Rosenmüller.[4]

215. *Resp.* Vox illa non obstat quin Apostolus de iis mulieribus loqui censeatur, quæ religionis studio Apostolos aliquos comitabantur, operam suam illis navantes, tum in re familiari, tum in edocendis fœminis. Quamvis harum quædam de sua substantia ministrarent, aliæ suam tantum operam dare poterant, ideoque sumptus augebantur earum occasione Equidem orientalium et Græcorum mores ejusmodi erant, ut Apostolis opus esset earum ministerio, et opera : qua tamen carere voluit Paulus, ne oneri esset.[5] « Non uxores demonstrat ab Apostolis circumductas, » animadvertit Tertullianus, « quas et qui non habent, potestatem tamen manducandi et bibendi habent; sed simpliciter mulieres, quæ illis, eodem instituto quo et Dominum comitantes, ministrabant.[6] Animadvertit S. Hieronymus : « Ubi de comedendo, et bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, et de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est non uxores debere intelligi, sed eas quæ de sua substantia ministrabant. »[7]

216. *Obj.* 4. Saltem Petrum uxorem circumduxisse constat, adeo ut ejus cœlibatus post vocationem ad apostolatum gratis fingatur, imo contra Pauli testimonium. « *Petrus*, ut Clemens Alexandrinus l. vii. ex traditione refert, uxorem suam comitem habuit itinerum, quæ et coram ipso ad mortem ducta est. » Ita Rosenmüller.[8]

217. *Resp.* De Cepha qui apud Corinthios suam operam fidei diffusioni navavit, non certo constat : sunt enim qui eum a Petro putant discernendum.

(1) Act. xxi. 9. (2) L. iii. Strom. §. vi.

(3) I. Cor. ix. 5. (4) In loc.

(5) « In the eastern countries, for the reason mentioned, Rom. xvi. i. note 3, when people of condition travelled, they either lodged with their acquaintance, or carried servants with them, who provided such things as were necessary to their accommodation in the public lodging-houses. In the Gentile countries, where the apostles preached, they had no acquaintances or friends with whom they could lodge; and therefore some of them, particularly the brethren of the Lord and Peter, found it necessary to carry about with them a *wife* (*woman*) to make provision for them at the expense of those to whom they preached. » Macknight Interpres hic vocem latiori sensu sumit pro muliere ministerium exhibente.

(6) Demonog. c. viii. (7) Adv. Jovinian. l. 1. c. xiv.

(8) In I ad Cor. ix. 5.

Cæterum nostrum non interest: nam de sorore agit Apostolus, haud de uxore. Petrum habuisse uxorem ex Evangelio liquet, sed eam fuisse superstitem, vel conjugii juribus frui, probari nequit Scripturæ aliquo testimonio. Ita respondit S. Hieronymus Joviniano : « Possumus autem de Petro dicere, quod habuerit socrum eo tempore quo credidit, ut uxorem jam non habuerit : quamquam legatur in πφιεδοις et uxor ejus et filia. Sed nunc nobis de canone omne certamen est. »[1] Clemens Alexandrinus traditionem secutus est, et quidem incertam, seu potius fide indignam, quamvis nil dicat quod suadeat eam uxoris juribus usam. De omnibus e contra Apostolis affirmat : « Non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant : per quas etiam in gynæceum, absque ulla reprehensione malave suspicione, ingredi posset doctrina Domini. »[2]

218. *Obj.* 5. Si cœlibatum injungere voluisset Apostolus, verbis perspicuis usus fuisset, jussissetque ut a mulieris consortio abstineret se Episcopus.

219. *Resp.* Si quis ex Apostoli verbis id tantum inferat, eum iis qui conjugio ante Ordinum susceptionem conjuncti erant, continentiam ab uxoribus haud imperasse, id disciplinæ Catholicæ non obstabit : potuit enim fieri ut in Ecclesiæ primordiis tanta non foret severitas, ob sacrorum ministrorum inopiam, et rerum necessitatem. « In ecclesiastico ordine constituendo, » inquit Hieronymus, « quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia, leviora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre non possent. »[3] Cæterum nobis certum omnino et exploratum est cœlibatum omnino fuisse injunctum ab initio omnibus sacris ministris qui cœlibes Ordines susceperant : longe etiam verosimilius nobis habetur eadem lege adstrictos fuisse qui conjugio fuerant implicati. Id voce illa εγκρατης[4] satis indicari putamus : notum enim est continentiæ notionem ei adeo adnexam fuisse, ut Encratitæ dicerentur hæretici qui nuptias et omnem voluptatem carnis prorsus damnabant.

220. *Obj.* 6. Clemens Alexandrinus Apostoli mentem sic explicat : « Quin et unius quoque uxoris virum utique admittit, seu sit presbyter, seu diaconus, seu laicus utens matrimonio citra reprehensionem : servabitur autem per filiorum procreationem »[5]

221. *Resp.* Clemens eo loci dicit : « Si quis autem matrimonium audet dicere fornicationem, rursus legem et Dominum insectans, maledictis impetit. » Pergit id probare, ostendendo Apostolum velle ut viduæ juniores nubant, et filios procreent, imo et probare virum unius uxoris, quem presbyterum vel diaconum fieri permittit. Quod addit de matrimonii usu ad laicum, quem ultimo loco nominat, est referendum : — κἂν λαικος ἀνεπιλητος γαμῳ χρωμενος.

222. *Obj.* 7. De Novato refert Cyprianus : « Uterus uxoris calce percussus, et abortione properante in parricidium partus expressus. »[6] Quum igitur atrocem hanc uxorem tractandi rationem ei probrum objiciat, liquet clericos consuevisse conjugio uti absque ulla reprehensione.

223. *Resp.* Verosimile est id ante sacerdotium susceptum contigisse; totius enim anteactæ vitæ scelera ei exprobrat Cyprianus : « Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ has de illo exigunt pœnas quas in ejus furore con-

(1) L. i. in Jovin. (2) L. iii. Strom.
(3) L. i. adv. Jovin. (4) Tit. i. 8.
(5) Strom. l. xii. p. 476.
(6) Ep. xlix. ad Cornel. de Novati sceleribus.

spicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, et ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, etc. » Cæterum si quis contendat eum sacerdotio initiatum hoc sceleris patrasse, schismatici et hæretici hominis exemplum nil facit contra Ecclesiæ universalis mores.

224. *Obj.* 8. Tertullianus uxoris consortio usus videtur, quam hortatus est ne post mortem alii nuberet, rationibus consilii libro expositis.

225. *Resp.* Doctissimi critici censent libros ad uxorem scriptos a Tertulliano adhuc laico.[1] Cæterum nil iis continetur quo probetur eum consortio marito frui. Alias prædicat continentiam clericorum, quos vocat « viros virgines ac voluntarios spadones. »[2] « Quanti in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suæ honorem restituerunt, quique se jam illius ævi filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, et totum illud quod intra paradisum non potuit admitti. »[3]

226. *Obj.* 9. S. Gregorius Nazianzenus, Theologus nuncupatus, a patre jam Episcopo genitus est, uti liquet ex verbis carminis, in quibus filium sic alloquitur :

Ουπω τοσοῦτον εκμεμέτρηκας βίον
Οσον δικλθε θυσίων εμοὶ χρονον.

Nondum tantam emensus es vitam,
Quantum præteriit mihi sacrificiorum tempus.

227. *Resp.* De mente scriptoris non satis constat : id vero exploratum est, Gregorium non ante annum 325 Baptismum suscepisse : nam refert filius, Episcopis Nicæam contendentibus, patrem desiderium hujus Sacramenti Leontio manifestasse, quod paulo post recepit, sacerdotio nonnisi interjecto temporis spatio initiandus : « Non multum temporis interfluxerat, cum ad eam regenerationem, quæ per aquam et Spiritum efficitur, ipse accedit . . . Sacerdotium autem suscipit non ea facilitate ac confusione, quæ nunc viget, sed nonnullo interjecto temporis spatio. »[4] Ante annum 328 id contigisse vix existimandum est. Jam vero constat ex chronologorum consensione filium anno 355 vel 356 Athenis in patriam reducem fuisse, triginta annis vitæ vel studiorum fere elapsis :

Καὶ γὰρ πολὺν τέτριπτο τοῖς λογοις χρονον
Ηδη τριακοστον μοι σχεδὸν τουτ' ἦν ἔτος.[5]

Jam et multum consumptum erat in studiis tempus,
Jam trigesimus mihi prope hic erat annus.

Id auctor ejus vitæ confirmat : — Τριακοστὸν ἤδη πλήρωσας ἔτος ἐν τοῖς μαθήμασιν, ὅντω τῇ πατρίδι ἑαυτον ἀποδίδωσι. — « Ita demum, trigesimo jam anno in artium studiis exacto, patriæ sese restituit. »[6] Igitur anno 328 jam duos vel tres saltem annos natus erat, si triginta annos a nativitate computemus; longe plures vero si totum illud tempus in studiis impensum intelligamus, quod verosimile est.[7] Equidem senectutem ipse causabatur cur patri repugnaret episcopatum ei imponere volenti.

228. *Obj.* 10. Socrates narrat Paphnutium Concilii Nicæni patribus dissuasisse legem de cœlibatu, quem cujusque arbitrio permittendum voluit.[8]

229. *Resp.* Plurimi narrationem Socratis fide haud dignam contendunt, rationibus haud contemnendis addu-

(1) Dom Cellier, *Biblioth. des auteurs Ecclés.* t. ii. p. 375.
(2) L. de velandis virgin.
(3) L. de exhort. cast.
(4) Orat. xviii. n. 12. 13. 15.
(5) Carm. de vita sua v. 238.
(6) Greg. presb. in vita S. Gregorii.
(7) Vide Natalem Alex. hist. Eccl. t. vii. diss. xix. prop. iii. et opus dictum : *Le Célibat Ecclésiastique*, par M. l'Abbé Jager, Paris 1836.
(8) Hist. Eccl. l. i. c. viii.

ctis.[1] Cæterum si fides ei tribuatur, illud tantum sequetur uxorum ante Ordines susceptos ductarum usum non fuisse lege vetitum; de eo enim agit: « Visum erat Episcopis legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati (sicut Episcopi, presbyteri, et diaconi) cum uxoribus, quas, cum erant laici, in matrimonium duxissent, minime dormirent. » Si, Paphnutio suadente, Patres ab ea lege ferenda abstinuerint, mirum est eos uxorem haud excepisse e numero earum quas in domo sacerdotis versari vetuerunt: « Interdixit per omnia magna synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspicionem effugiunt. »[2]

230. *Obj.* 11. Vetant canones ipsis Episcopis et presbyteris ne uxorem dimittant Canon sextus inter apostolicos sic se habet: « Episcopus aut presbyter, uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si vero rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, dejiciatur. » Concilium Gangrense statuit: « Si quis discernit presbyterum conjugatum, tamquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, et ab ejus oblatione ideo se abstinet; anathema sit. »[3] Episcopæ et presbyteræ etiam, uxores scilicet Episcoporum et presbyterorum, passim in veteribus documentis nominantur.

231. *Resp.* Canones dicti apostolici noscuntur plura continere quæ improbanda sunt, et ab hæreticis sanctionibus veteribus fraudulenter admixta. Cæterum licet objectum decretum intelligere de non deserenda uxore, cui scilicet subveniendum est et consulendum. Concilium Gangrense vetuit ne quis recusaret interesse Sacrificio presbyteri qui ante ordinationem uxorem duxerat — γεγαμηκότος: agebatur enim de Eustathii seu Eucitati asseclis, qui nuptias prorsus damnantes, a sacerdotibus qui matrimonium, dum laici essent, inierant, abhorrebant, et laicos conjugatos a communione repellebant. Uxores Episcoporum et presbyterorum titulos illos qui objiciuntur habuisse fatemur, eas scilicet quæ nupserant laicis, deinceps ad sacra munera evectis: sed inde non sequitur eas tori consortio frui consuevisse.

232. *Obj.* 12. Ante Gregorii VII. tempora cœlibatus lege injunctus non est: nam sacerdotes passim inibant nuptias; quibus semel initis uti, veterum moribus est concessum.

233. *Resp.* Quæ adduximus Conciliorum et Pontificum decreta legem probant quarto sæculo vigentem, quæ ad ipsa Ecclesiæ primordia referebatur. Sic et Concilium Augustanum anno 940 severissime vetuit, ne subdiaconus aut clerici majores nuptias inirent, vel matrimonio prius inito uterentur. Quod plurimi decimo vel undecimo sæculo illicitas contraxerint nuptias, contra legem, et totius antiquitatis exempla factum est: nec enim sacerdos aliquis noscitur in tantum flagitium incidisse ante finem noni sæculi.[4] Fuerunt quidem prioribus sæculis qui utebantur matrimonio ante Ordines susceptos inito, sed animadvertit S. Epiphanius, « non illud ex canonis auctoritate fieri. »[5] Continentiam a canonibus exigi juxta Apostoli verba quæ interpretatur, docet: « Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, ne-

(1) Vide opus jam laudatum *Le Célibat Ecclésiastique* §. ix. p. 98.

(2) Conc. Nic. apud Labb. t. ii. p. 40. (3) Can. iv.

(4) Vide Fleurium hist. Eccl. l. liv. No. 20. et 3. Discours sur l'hist. Eccl. No. 13.

(5) Hær. lix.

quaquam tamen ad diaconi, presbyteri, Episcopi, aut hypodiaconi Ordinem admittit, sed cum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus : quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur. »[1] De Episcopis legem vigere fassus est ipse Jovinianus : « Certe confiteris non posse esse Episcopum, qui in episcopatu filios faciat : alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. » Ita Hieronymus.[2]

§. *II. De cœlibatus excellentia.*

234. Antiquissimam esse cœlibatus disciplinam, etiam ea ex parte qua usus conjugii prius initi sacris ministris vetatur, ex disceptatis constat. Apud occidentales, et ubicumque Apostolicæ Sedis potestas sese directe explicuerit, eam semper viguisse exploratum est: quam Orientalibus, plerisque saltem, communem fuisse plurima probant documenta. Si quæ igitur occurrant in contrarium exempla, prout Perronius post Lupum affirmat, ea videntur veteris disciplinæ laxamenta, hominum infirmitate et conniventia inducta. Cæterum si cui videatur matrimonia post Ordines susceptos tantum vetita fuisse initio apud Orientales, usu conjugii prius initi cujusquam permisso arbitrio, per nos licet, ad legis qualis nunc viget in Ecclesia Latina sanctitatem et æquitatem vindicandam festinantes.

235. Ut disciplinæ sanctitas intelligatur, virginitatis præ matrimonio præstantiam probare oportet. Eam olim negavit Jovinianus, quem ob hunc aliosque errores tamquam hæreticum damnavit Ecclesia sæculo quinto. Novatores non puduit fœda ejus placita in lucem iterum producere, quos idcirco percussit anathemate Tridentinum Concilium : « Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit. »[3]

Propositio.

Melius est ac beatius manere in virginitate, quam jungi matrimonio.

236. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Christus loquitur de eunuchis « propter regnum cœlorum.. Qui potest capere capiat. »[4] Vocibus illis indicantur qui pietatis studio a carnis abstinent voluptatibus, quos manet merces æterna; Christo hortante, ut illud vitæ genus eligat quicumque facultatem viresque sibi divinitus datas noverit. Ergo illa vitæ conditio beatior est, utpote speciales habens promissiones.

237. Alias dicit : « Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut *uxorem*, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. »[5] Relinquit autem uxorem qui manet in virginitate, quatenus eam haud ducit : eam reipsa relinquit qui matrimonio jam junctus, ipsa consentiente cœlibem amplectitur vitam Hæc voluptatis abdicatio Christi causa centuplam mercedem secum trahit et vitam æternam.

238. Apostolus Corinthiis his de rebus respondens dicit : « Bonum est homini mulierem non tangere; »[6] bona scilicet vocare solent Hebræi quæ meliora vel optima sunt. Sic dicit : « Volo enim omnes vos esse sicut meipsum sed unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis, et vi-

(1) Hær. lix. (2) In Jovin. l. i. c. xix.
(3) Sess. xxiv. Can. x.
(4) Mat. xix. 12.
(5) Ibidem. 29.
(6) I Cor. vii. 1. « That is by a common idiom *better.* » Bloomfield in loc.

duis : bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. »[1] Verbis perspicuis sui exemplum non nuptis, et viduis proponit, ut eis suadeat in ea conditione permanere quam bonam esse prædicat, potiorem utique, et beatam. De virginibus postea dat consilium : « Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem — διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην — quoniam bonum est homini sic esse : » τὸ οὕτως εἶναι,[2] manere scilicet in ea qua est virginea conditione.[3] Necessitas quæ inest instatque, intelligi potest carnis tribulatio quam conjuges patiuntur,[4] libidini repugnantes vel moderantes, et quæ sequuntur incommoda tolerantes. Vitæ quoque brevis eos vult esse memores Paulus : necesse quippe est a terrenis voluptatibus animum abducere, ut saluti consulamus. Pergit igitur virginitatem commendare ex eo quod animum præstet a nimia hujus vitæ solicitudine immunem, ut Deo liberius vacet. « Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. » Has eximias virginitatis utilitates ex contrariis conjugum solicitudinibus merito elevat Apostolus, ostendens spiritus sanctitatem et animæ munditiem ex ea derivari. Virginitatem et conjugium tandem confert, eamque hoc facit potiorem : « Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit : et qui non jungit, melius facit. »[5] De vidua tandem dicit. « Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium : puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam. »[6] Liquet Apostolum viduarum et virginum cœlibatum conjugio anteferre ob rationes ex ipsa conjugii natura desumptas, ideoque omni tempore suam vim retinentes.

239. Virginum merces potior et sublimior conditio ex Apocalypsi habetur : vidit enim Joannes « centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus (*Agni*), et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. . . . . Et cantabant quasi canticum novum, ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores : et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno. »[7] Quæ munera illis tribuuntur ostendunt conditionem virgineam magni fieri, et amplissimam consequi mercedem.

240. *Probatur* 2. *ex Patribus*. S. Cyprianus virgines sic alloquitur : « Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum; Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. »[8]

241. S. Hieronymus ex professo vindicavit virginitatis præstantiam contra Jovinianum. Inter cætera dicit : « Tan-

(1) I. Cor. vii. 7.

(2) Ibidem, 26.

(3) « I. e. sicut virgines, sine conjugio scilicet. » Rosenmüller.

(4) Bloomfield in v. 28 scribit : « Render : « However such will have trouble in the flesh, » namely, that of the ἀνάγκη mentioned at v. 26. »

(5) I. Cor. vii. 38. (6) Ibidem, 40.

(7) Apoc. xiv. 4.

(8) L. de disciplina et habitu virginum.

tum est igitur inter nuptias et virginitatem, quantum inter non peccare et benefacere; immo ut levius dicam, quantum inter bonum et melius. »[1]

242. S. Ambrosius : « Quid est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque ejus authorem quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem, Divinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita sint. »[2]

243. S. Augustinus : « Nihil esse sentio quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest. »[3]

244. *Probatur* 3. *exemplis*. Christus Dominus virginitatem summo dignatus est honore, Matre electa virgine. Præcursor ejus virgo permansit. Discipulum virgineo decore insignem speciali prosecutus est affectu; et felicem Sanctorum in ævo futuro conditionem in eo præsertim angelicæ similem dixit : « In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. »[4]

245. *Probatur* 3. *rationibus theologicis*. Continentia perfecta animum idoneum facit rerum cœlestium meditationi, et mentis quibuslibet exercitiis. Sicut voluptatibus dediti facile fiunt hebetes et penitus vitiis mancipati; ita e contra qui cupiditatibus moderantur, easque sibi subditas tenent, virtutes colere magno studio et felici successu possunt.

Objectiones solvuntur.

246. *Obj*. 1. Quæ Paulus dicit de præstantia vitæ cœlibis, respicit rerum in quibus fideles tunc versabantur adjuncta — διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην : vox enim eadem Luc. xxi. 21. adhibetur de clade quam Romani illaturi erant. Ob ingruentes persecutiones præstabat familiæ curam non assumere.

247. *Resp*. Ipsi adversarii Calvinus, et Milnerus fatentur Apostolum verbis generalibus de virginitate et matrimonio disserere ratione quæ cuilibet ætati, et quibuslibet rerum adjunctis conveniat. Profecto nullas enumerat causas præter matrimonii tentationes, solicitudines, et onera, quæ illi muneri inhærent, quibus liberam animi conditionem eorum qui, abdicata voluptate, Deo vacant, opponit Quod vox illa ἀνάγκη aliquando denotet maximam rerum desolationem, non potest obstare quin hic intelligatur de præsenti necessitate, ex curis matrimonio adnexis, quæ obstant ne breve vitæ spatium totum impendatur salutis operibus.

248. *Obj*. 2. Apostolus non loquitur de merito coram Deo, sed « de temporali bono, commodo, et quiete in hac vita. » Ita Lutherus.[5]

249. *Resp*. Profecto edocebat Apostolus fideles de divina voluntate: Spiritum enim Dei se habere non temere dixit. Virginitatem prodesse docet, ut virgo sit sancta corpore et spiritu, et hominem innuptum solicitum esse rerum Dominicarum quomodo placeat Deo. Hæc majora sunt quam quæ de sola animi quiete explicari possint.

250. *Obj*. 3. Quæ de virginibus in Apocalypsi dicuntur, de animabus idololatria haud maculatis intelligenda sunt: fornicationis enim sub imagine idololatria apud Prophetas consuevit designari.

251. *Resp*. Non interest utrum animas idololatria labe immunes, vel virgines intelligamus; constat saltem eam adhiberi imaginem quæ rei conveniat, ideoque virginum puritatem et præmia valde commendari.

252. *Obj*. 4. Singulare vitæ genus

(1) L. 1 adv. Jovinian.
(2) L. 1. de Virginibus.
(3) Soliloq. l. 1. c. x.
(4) Matth. xxii. 30. (5) In Epithalamio.

quo homo a consortio marito se abstinet, naturæ repugnat, ideoque tristem facit hominem et austerum, et morbos plurimaque incommoda secum trahit, ut de peccatis, quorum est causa, sileamus.

253. *Resp.* Naturæ non repugnarunt uterque Joannes, Paulus, et tot sanctissimi viri qui cœlibatum coluerunt; sed cupiditatibus restiterunt, mentis exercitiis quæ hominem, christianum præsertim, decent, vacantes. Quanto mens corpori præstat, eo potiorâ habenda sunt officia, et magis congrua naturæ, quæ homo facit, ratione et animi affectibus utens. Hilares maxime sunt et benigni plurimi castitatis cultores, iisque viribus fruuntur et valetudine, qua carent sectatores voluptatis. Quod de peccatis asseritur, caret fundamento: nam cœlibatus quem vindicamus ille est qui corpus et animam amplectitur : a quo quis peccato decidit.

254. *Obj.* 5. Cœlibatus perfectus, qualis a Catholicis depingitur, nullibi reperitur : ergo tota quæstio de mera notione est, rei veritate non respondente.

255. *Resp.* Non mera est notio : quamvis enim ea sit hominum conditio ut facile labem contrahat quisquis maxima non usus fuerit vigilantia, humili effusa prece ; tamen Dei adjutorio gravis omnis culpa poterit evitari. Exempla numero infinito suppeditat Ecclesiæ historia, et etiam hodierna experientia, prout constat veris rerum æstimatoribus.

256. *Obj.* 6. Cum reipublicæ et Ecclesiæ detrimento prædicatur cœlibatus excellentia, quum numerus civium ita minuatur, et imbellium turmæ huc illuc congregentur.

257. *Resp.* Inania sunt quæ de civium diminutione objiciuntur : plerumque enim aucto in immensum numero graviora fiunt onera reipublicæ. Cæterum longe magis augetur numerus, sanctissimis morum præceptis servatis quæ cœlibes Christi sacerdotes sedulo tradunt. Nec imbelles fiunt qui sanctam hanc insistunt semitam, sed pro sui status conditione reipublicæ student.

§. III. *De cœlibatus convenientia.*

258. Sanctissimam et vetustissimam cœlibatus disciplinam contra novatores nuptiis inhiantes vindicarunt patres Tridentini : « Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium ; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit : cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari. » [1]

Propositio.

Sanctissima est cœlibatus disciplina, et sacris Ordinibus maxime conveniens.

259. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* S. Paulus ad Titum scribens, continentiam inter dotes sacrorum ministrorum recenset: « Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : . . . . sobrium, justum, sanctum, continentem. » — ἐγκρατῆ [2] — Hujus vocis vis obvia omnimodam castitatem indicat, quo sensu verbum usurpatur ab Apostolo : Εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται γαμησάτωσαν, « quod si non se continent, nubant ; » [3] de iis loquentes qui nulla lege vel voto ad continentiam adstringebantur.

260. « Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat

(1) Sess. xxiv. can. ix. (2) Tit. i. 7.

(3) I. Cor. vii. 9.

Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. »[1] Cœlibatus igitur animum solicitudine mundana vacuum relinquit, ut quis Dei rebus vacet : proinde maxime convenit iis qui ad sacrum ministerium assumpti sunt. Hinc scripsit Paulus ad Timotheum : « Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. »[2]

261. *Probatur* 2. *Patrum testimonio et judicio.* Origenes ait : « Si oratio justi sicut incensum offertur in conspectu Domini, et elevatio manuum ejus sacrificium est vespertinum; dicit autem Apostolus iis qui in conjugiis sunt : «Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis » orationi, et iterum in idipsum sitis :» certum est quia impeditur sacrificium indesinens iis qui conjugalibus necessitatibus serviunt. Unde videtur mihi quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti et perpetuæ se devoverit castitati. »[3]

262. S. Cyrillus Hierosolymitanus animadvertit : « Decebat purissimum puritatis doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Jesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere: quomodo ipse Jesus ex muliere prodiisset ? »[4]

263. Eusebius de sacris ministris loquens : « His autem ipsis, ut melioribus studiis vacent liberius, sejunctus a re uxoria victus adamatur, veluti iis qui divina et incorporea sobole propaganda occupati teneantur : et non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint. » Et infra : « Verumtamem eos qui sacrati sint, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet; qui autem non ad tantum assumpti sint sacerdotii munus, iis idem sermo divinus indulget, ac palam omnibus prædicat, quod honorabile sit conjugium, et thorus immaculatus, fornicatores et adulteros judicaturus sit Deus. »[5]

264. S. Gregorius Nyssenus : « Quomodo Dei sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum ut munus offerres unctus es? Munus sane non omnino alienum, neque suppositum ex iis quæ tibi extrinsecus eveniunt, sed revera tuum, quod est homo tuus interior, qui tamquam agnus innocens, et perfectus esse debet, ab omnique macula ac sordibus remotus. Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Mosen non audias, qui populo edicit, ut a nuptiis purus sit, quo Dei aspectum comprehendat? »[6]

265. S. Epiphanius canones violatos a quibusdam clericis, conjugii ante Ordines susceptos initi utentibus jure, querens, ait : « Quod ad ipsam quidem Ecclesiam attinet, ea, utpote a Spiritu sancto bene ordinata atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum instituit; ut quæ divino Numini ministeria præstantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur; utque spiritalia

(1) I. Cor. vii. 32. Josephus Milner, Anglicanus, in Ecclesiæ historia fatetur Apostolum cœlibatum commendare, Corinthiis respondendo : « In answer to their queries, he recommends celibacy as preferable to matrimony where a man can practise it, and that I think from general reasons, as more favourable to holiness without however depreciating matrimony. . . . . I should not wonder, if some persons should startle at what I have mentioned as the sentiments of St. Paul, though it be almost impossible for any unprejudiced person to understand him other wise. » Hist. of the Church, cent. i. ch. xi.

(2) I. Tim. iv. 12. (3) Hom. xxiii. in I. Num.

(4) Cat. xii. (5) L. i. de dem. Ev. c. ix.

(6) L. de Virg. c. ult.

omnia officia quam optima lætissimaque conscientia gerantur. Hoc igitur dico propter subitas functiones atque officia convenire, ut presbyter, ac diaconus, et Episcopus Deo penitus vacet. Nam si illis etiam, qui e populo sunt, id ipsum Apostolus præcipit : Ut, inquit, ad tempus vacent orationi ; quanto id magis Sacerdoti præscribit ? Nimirum nullis ut impedimentis avocetur ; quod in spiritualibus secundum Deum negotiis in ipso usu sacerdotii, administrationeque ferietur. »[1]

266. S. Leo M. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem : « Nam cum extra Clericorum Ordinem constitutis nuptiarum societati et procreationi filiorum studere sit liberum ; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur : ut et qui habent, sint tamquam non habentes ; et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in Ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut levitico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria nedum frænasse detegitur ? »[2]

267. *Probatur* 3. *ex Conciliis*. Concilium Turonense I. anno 461. : « Cum ergo laico abstinentia imperetur, ut possit orationi vacans, et Deum deprecans exaudiri : quanto magis sacerdotibus, et levitis, qui omni momento parati esse debent in omni munditia, et pietate securi, ne aut sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur ? »[3]

268. Concilium Arvernense, anno 535. : « Cum presbyteri atque diaconi sublimi dignitatis apice prorogantur, actibus omnino renuntient sæculi, et ad sacrum electi ministerium, repudient carnale consortium, ac permixtionis pristinæ contubernium permutent germanitatis affectu : et quisquis ille est presbyter, atque diaconus, divino munere benedictione percepta, uxoris prius suæ frater illico efficiatur ex conjuge : attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos, abjecto militiæ cingulo, vomitum pristinum, et inhibita rursus conjugia repetiisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus sacerdotii violasse ; quod nati etiam filii prodiderunt. Quod quisquis fecisse cognoscitur, omni in perpetuum, quam admisso jam crimine perdidit, dignitate privabitur. »[4]

269. *Accedunt rationes theologicæ*. Ex sanctitate munerum quibus fungitur sacerdos, liquet expedire ut carnis voluptatibus careat, et Christi Domini exemplum proxime imitetur : ejus quippe fungitur vicibus in oblatione quotidiana, quem munditie eximia animi exhibere decet. Sanctissimam debet enuntiare doctrinam, et cœlibatum commendare, adinstar Apostoli, quem exemplo etiam suadere oportet. Peccata dimittendi et retinendi exercet potestatem, confessiones virorum mulierumque excipiendo : vix autem mulieres puellæque sui cordis arcana panderent homini marito officio fungi consueto. Morientibus præsto esse debet, sacra unctione et ultimis subsidiis eos donaturus, etiam cum sui discrimine. Hoc munus non facile obit, qui uxori filiisque se morbum afferre timet. Solicitudine nimia divitiarum urgetur qui proli consulere debet, dotes et omnia vitæ subsidia suppeditando. E contra qui sacrum colit cœlibatum, Deo rebusque divinis, et aliorum saluti, totus vacare potest. Est igitur sanctissima disciplina ; æquissima pariter : nam hoc oneris nemini invito impo-

(1) Hær. lix. (2) Ep. lxxxiv. c. iv.

(3) Can. i (4) Can. xiii.

nitur, sed solemni præmissa petentibus subdiaconatum ab Episcopo monitione: « Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire: quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde dum tempus est cogitate, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite. »[1] Libera suscipientium Ordines voluntate contrahitur hæc cœlibatus obligatio: et nonnisi ob gravissimas causas injungitur, quum sanctissima sint munera, quæ obvio cuiquam non sunt committenda. Sapientissimo porro consilio Ecclesia illud exigit, tamquam sinceræ voluntatis pignus et indicium quod quis se totum divino ministerio dicaturus sit, abdicatis penitus carnis voluptatibus.

Objectiones solvuntur.

270. *Obj.* 1. Christus vetat matrimonii jura relaxari: « Quod Deus conjunxit, homo non separet; »[2] et Apostolus conjuges monuit: « Nolite fraudare invicem. »[3] Ergo iniqua est et nulla lex cœlibatus, qua saltem parte derogat matrimonio.

271. *Resp.* Eo loci Christus vetat solvi matrimonium, et, abrogato divortii jure, vinculum statuit perpetuum, nonnisi morte alterius conjugis solvendum. Hoc sancte servat Ecclesia, nec permittit mulieri ad secundas convolare nuptias, nisi post mortem mariti ad sacros Ordines assumpti. Cæterum ne ipsi fiat injuria, vetat merito Ordines suscipere, nisi ex mulieris libero consensu; qui si defuerit, jura conjugii tuetur, et ordinatum sacris muneribus carere jubet, ut officio marito vacet. Adimpletur igitur et Apostoli præceptum, nec uxor fraudatur; consensus enim ad tempus datus jura suspendit, Paulo docente, qui indulgendo dicit se statuere temporis limitem; consensus in perpetuum proinde jura illa prorsus tollit, vinculo conjugii manente.

272. *Obj.* 2. Apostolus prædixit in novissimis temporibus dæmoniacam doctrinam quorumdam prohibentium nubere propagandam. Ipsa est lex cœlibatus clericos majores obstringens.

273. *Resp.* Apostolus locutus est de hæreticis nuptias prorsus vetantibus, qui et carnes manducandas pari rigore prohibebant, ad malum principium, seu dæmonem, earum originem, sicut et nuptiarum, referentes. Eos satis depingit, ut nemo falli queat: « Attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. »[4] De Marcionis, Tatiani, Manetis aliorumque sectatoribus optime Apostolus explicatur, juxta veterum sensum. Equidem Ecclesia Catholica non prohibet nuptias vel carnes in universum, sed Deum e contra illarum auctorem prædicat, Sacramenti dignitatem in iis agnoscens. «Ecclesia enim matrimonia non damnat, sed subjicit, nec abjicit, sed dispensat, »[5] uti bene animadvertit Hieronymus. Vetando autem clericis majoribus nuptias inire, disciplinam ab Apostolorum ætate derivatam, et Pauli ipsius exemplo, et consiliis, ut de præcepto interim taceam, tuetur.

274. *Obj.* 3. Iniqua est lex quæ arduum nimis virtutis opus injungit, de-

(1) Pontificale Romanum. (2) Matt. xix. 6.
(3) I. Cor. vii.
(4) I. Tim. iv. i.
(5) L. i. adv. Jovin. c. xxv.

negato quod communis fragilitas postulat remedio. Hinc inter cœlibatus assertores pauci noscuntur casti, et immania et publica in plerisque regionibus occurrunt flagitia.

275. *Resp.* Lex nemini id virtutis opus injungit, nisi qui se ei parem professus fuerit, monitus jam coram altari ab Episcopo. Sibi igitur unusquisque imputet si cupiditatis vehementiores impetus sustineat, quin agat triumphum de hoste; vel enim temere se ingessit in ministerium, vel subsidiis sibi datis uti neglexit. Profecto si sedulo sanctis vacaverit meditationibus, et toto cordis affectu oraverit Deum, vigil alioquin et humilis, non est dubitandum opem ei brevi præstandam. « Ubi plena fuerit continendi voluntas, et ab oratione atque operibus bonis non destiterit vera cordis humilitas; ille qui dixit: « Petite et dabitur vobis; quæ» rite et invenietis, pulsate et aperietur » vobis, » quia veritas est et mentiri non potest, et bene petenti det, et quærenti ad inventiones suas præparet, et bene pulsanti ipse aperiat, ut ad penetralia vitæ melioris introeat. » Ita S. Fulgentius.[1] Quod de impudicorum numero et flagitiis dicitur, detrahentium sanctissimæ disciplinæ calumnia est: reperiuntur enim ubique terrarum Episcopi, sacerdotes, aliique inferiores ministri vitam ducentes illibatam, Deo hominibusque probatam. Quod si aliquando contraria occurrant exempla, sanctissimæ disciplinæ præjudicium non debent facere: hominum enim vitia legi non derogant. Si illud quod pseudo-politici, vel ipsi libidinis sectatores, postulant remedium adhiberetur, tolleretur Ecclesiæ universæ decus virgineum, et vitia sæpissime nuptiarum velo tegerentur: facile scilicet contingit ea latere, vel nota levi reprehendi, quæ in cœlibi sacerdote et innotescerent, et gravissime damnarentur.

CAPUT XIII.

DE MULIERUM ORDINATIONE.

276. Fuisse in veteri Ecclesia pias quasdam mulieres, diaconissarum nomine, ad quædam munia admissas jam adnotavimus, easque ritu quodam in cœtum adlectas. Eas tamen non fuisse sacra potestate, vel ullo sacerdotii munere donatas constat: perpetua enim fuit fides mulieres divino jure excludi a sacro ministerio. Hæretici sæpius iis blandiebantur, sacra ei demandantes munera. Sic Marcus de Valentinianorum et Gnosticorum grege iis faciebant facultatem conficiendæ Eucharistiæ. Collyridiani quarto sæculo in Arabia sacerdotissarum opera panis collyridem in sacrificium Virgini offerebant. *Quakeri* apud nos nullum munus mulieribus committunt, sed iis æque ac viris libertatem loquendi in cœtu faciunt, si Spiritu se commoveri existimarint. *Shakeri* mulierem veluti matrem suæ sectæ habent, Annam Lee e Quakeris olim, sed quæ anno circiter 1770 in Anglia, aliis Spiritu pariter toto corpore agitatis se sociam dedit. Ejus labores magna cum laude commemorant, haud verentes ministerium ei tribuere.[2]

Propositio.

Mulieres divino jure excluduntur ab

(1) Ad Gallam Ep. i. c. x.

(2) « In the Fifth month 1784, Mother and the Elders left *Water-Uliet*, and visited the distant parts, from place to place; where the Gospel had been received; and in all the principal places which they visited, they were resorted to from the adjacent parts; and their ministry being every where accompanied with the gifts of the Holy Ghost, in searching out sin and purging iniquity from the soul, Believers were built up in their *most holy faith.* » The testimony of Christ's second appearing. Introduction p. xxxiv. Dux Fœmina Facti.

Ordinibus sacris, et omni sacri ministerii munere.

277. *Probatur* 1. *ex Scriptura*. Apostolus jubet : « Mulieres in ecclesiis taceant : non enim permittitur iis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. »[1] « Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum ; sed esse in silentio. »[2] « Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino : quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. »[3] Quum nec docere, nec loqui in Ecclesia mulieribus permitttatur, liquet eas ab omni sacro munere excludi.

278. *Probatur* 2. *ex Patribus*. Tertullianus ait : « Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui ; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare. »[4]

279. S. Epiphanius : « Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quidquam præstare eis in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariæ illud in novo Testamento committi sacerdotis officium debuit; — verum longe Deo aliter est visum. »[5]

280. S. Joannes Chrysostomus : « Quando de Ecclesiæ præfectura agitur, universa quidem muliebris natura, functionis istius moli ac magnitudini cedat oportet. »[6]

281. Accedit ipsa rerum convenientia, quæ dictat mulierem non debere in gradu eminentiori constitui, Dei vices obeuntem in iis quæ pertinent ad animæ salutem.

Objectiones solvuntur.

282. *Obj.* 1. Saltem prædicare possunt mulieres, Spiritu Dei eas movente : nam vir et mulier unum sunt in Christo Jesu.

283. *Resp.* Vir et mulier unum sunt in Christo, quatenus utrique competunt jura paria in iis quæ ad animæ salutem sunt necessaria; munera autem sacra Apostolis tradita sunt, non item mulieribus, quibus ne loquerentur in Ecclesia prohibuit Paulus.

284. *Obj.* 2. Apostolus arguit mulieres loquaces, quæ interrogationibus importunis molestiam creabant.[7] Constat autem mulieres vaticinatas esse et prædicasse, quum Petrus Joelis vaticinium impletum affirmet : « Super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt. »[8]

285. *Resp.* Apostolus absque discrimine omnem publice loquendi et docendi facultatem mulieribus denegat, nec nimia quarumdam loquacitate innititur. Quod autem Joel de dono prophetiæ mulieribus communicando enuntiavit, munus docendi non probat: aliud est enim ex Spiritus sancti inspiratione enuntiare futura, quod Mariæ, Matri Domini, aliisque contigit : aliud auctoritate tradere fidei veritates, vel sacra obire munia.

286. *Obj.* 3. In ipsa ad Corinthios epistola, in qua fœminæ loquaces reprehenduntur, traduntur regulæ quibus dirigantur mulieres publice prædicantes et orantes : ergo a mente Apostoli alienum fuit iis vetare publicum verbi ministerium.

287. *Resp.* Quæ tradit Paulus de coma colenda, et de velo capitis adhibendo, non spectant prædicationis vel orationis munus, sed cœtus publicos, in quibus quomodo mulieres se gerere

(1) I Cor. xiv. 34. (2) I. Tim. ii. 11.
(3) Eph. v. 22. (4) L. de Vel. virg. c. viii.
(5) Hær. lxxv. (6) L. II. de Sacerd.
(7) « To reprove the inconsiderate and talkative women among the Corinthians, who troubled the church of Christ with their unprofitable questions. » Barclay, Apology, prop x. §. xxvii.
(8) Act. ii. 17.

debeant, et qua ratione induendæ, docet. De publico munere ab iis exercendo ne verbum quidem.

288. *Obj.* 4. Paulus mulierem laudat quæ una cum ipso laboravit in Evangelio : « Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino. » [1] « Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio. » [2]

289. *Resp.* Laborant utiliter mulieres quando piis vacant operibus quæ in utilitatem Evangelii cedunt. Plurimæ egregiam præstiterunt operam hac ex parte, quas debitis ornavit laudibus Paulus, quin sacrum aliquod munus iis attribueret.

290. *Obj.* 5. Experientia constat plurimos mulierum ministerio ad Deum conversos, quod indubium facit hoc Deo gratum. [3]

291. *Resp.* Nulla experientia valet contra manifestum Pauli vetitum, tota suffragante antiquitate christiana. Suo spiritu falluntur qui specie quadam se duci patiuntur.

CAPUT XIV.

DE ORDINATIONIS EFFECTIBUS.

292. Vindicato sacro cœlibatu, quæ de Ordine diximus summatim repetere juvat, antequam tractatum claudamus. Sacræ ordinationis effectus ex disceptatis colliguntur. Imprimis, χαρισμα tribuitur, *donum* scilicet quo potestas ad sacra obeunda munia datur, et anima fit Deo acceptior. Hinc precatur Episcopus juxta Euchologium Græcum : « quem tibi presbyteri gradum subire complacuit, dono sancti tui Spiritus adimple. » Juxta Pontificale Romanum dicit : « Super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus et gratiæ sacerdotalis infunde virtutem. » Verba autem Apostoli interpretatur S. Joannes Chrysostomus : « Gratiam quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, et ad omne religionis obsequium, quippe hanc vel excitare, vel extinguere in nobis est. » [4] Hinc S. Thomas Aquinas adnotat : « Ad idoneam executionem Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens : ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis : et ideo præexigitur gratia, quæ sufficiebat ad hoc quod digne connumerarentur in plebe Christi : sed confertur in ipsa susceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei. » [5]

293. Characterem quoque imprimi ex eo colligi potest quod Apostolus charisma illud in Timotheo manere dicat. Equidem ex Augustino didicimus Baptismum et Ordinem ea ratione convenire, ut neuter penitus amitti possit. Hinc perpetua consuetudo Ecclesiæ fuit nunquam iterare Ordines semel datos; ordinatos etiam ab hæreticis et schismaticis pœnitentes suscipere, absque nova ordinatione, quamvis aliquando ritus haud absimilis perageretur, ut omnibus pateret Ecclesiæ auctoritate eos in posterum sacra obituros munia. Merito igitur Tridentini patres anathemate percusserunt eum qui dixerit ex sacerdote laicum fieri posse; id enim perpetuo Christi sacerdotio, quod ordinatione communicatur, et constanti Ecclesiæ traditioni et fidei repugnat. Dat potestatem et gratiam ad singulos ministerii actus; sed oportet eam haud negligere. Suscitanda est oratione et

(1) Rom. xvi. 12.

(2) Phil. iv. 3.

(3) « It hath been observed, that God hath effectually, in this day, *converted many souls* by the *ministry of women;* and by them also comforted the souls of his children; which manifest experience puts the thing beyond all controversy. » Barclay's Apology, Prop. x. § xxvii.

(4) Hom. I. in Tim.

(5) In Suppl. qu. 35, art. 1, in c. in resp. ad 3.

pietatis exercitiis, quum vigiles nos jubeat esse Deus.

294. Hi effectus tribuuntur episcopatui, sacerdotio, et diaconatui, quum unicuique Sacramenti ratio videatur competere. Minores Ordines et subdiaconatus eosdem habere effectus censentur ab iis theologis, qui ea sacramenta censent. Cæteri existimant gratiam in iis suscipiendis datam, totam pendere ex Ecclesiæ precibus, et pia suscipientium voluntate: nullum porro imprimi characterem, ideoque posse absque culpa eum ad sæculum redire, qui minores tantum Ordines susceperit; non item subdiaconum: jam enim lege cœlibatus et perpetui ministerii tenetur, prout monet Pontificale.

295. Onera Ordinibus inferioribus et tonsuræ annexa nulla sunt; habitum tamen ecclesiasticum, talarem scilicet vestem, et tonsuram deferre debent, qui privilegiis clericorum frui velint. Sic indutos canones jubent subdiaconos et majores omnes clericos incedere, [1] et divinum quotidie recitare Officium, [2] et illibatam servare castitatem. Quum lex irrita declarans hujusmodi matrimonia a Summis Pontificibus lata, et pluribus in Concliis œcumenicis probata sit, — Concilio scilicet primo et secundo Lateranensi anno 1123 [3] et anno 1139 [4] —, liquet Concilium Tridentinum optimo jure anathemate percussisse eum qui diceret ea valere, non obstante lege ecclesiastica. Equidem constat ex Christi verbis rata fore in cœlis quæ Ecclesia in terris solvit et ligat, ideoque nullius prorsus vis sunt qæu, ejus legibus spretis, attentantur. Obedientiam et reverentiam etiam sancte pollicetur sacerdos Episcopo, quæ in munere adimplendo juxta Ecclesiæ sanctiones, et in mandatis eum in finem directis excipiendis et exequendis præcipue exercenda est Hæc de Ordine sacro breviter dixisse sufficiat.

(1) Conc. Trid. Sess. xiv. cap. vi. de Ref.
(2) Innoc. III. in Conc. Lat.
(3) Conc. Lat. I. can. xxi. apud Labb. t. x. p. 899.
(4) Lat. ii. can. vii. ib. p. 1003.

TRACTATUS XVIII.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

DE HONESTATE MATRIMONII.

1. *Matrimonium* dictum videtur quasi matris munium, quia eo dirigitur ut proles pariatur et alatur. Ipse matrimonii *contractus* definitur, contractus legitimus virum inter et fœminam, quo sibi invicem suorum corporum dominium perpetuum tradunt in usum conjugii. *Status* matrimonii, seu conjugum conditio, dicitur in Catechismo Romano « viri et mulieris maritalis conjunctio, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. »

2. Veteres quamplurimi hæretici nuptias prorsus damnarunt, Saturninus scilicet, Marcion, Tatianus, Encratitæ, Eustathiani, Manichæi, quorum propago in Albigensibus visa est. Anna Lee, nata in oppido *Manchester*, de qua antea verba fecimus, contra *carnem* veluti totius mali *radicem* anno 1770 testimonium publice tulit, omne viri et mulieris commercium reprobans. In Americam, postquam ex ergastulo, in quo veluti amens detenta erat, dimissa fuisset, anno 1774 pervenit, ex quo secta in varias diffusa plagas oppida habet, vel ædificia perampla oppidorum adinstar, in provinciis Ohiensi, Kentuckiensi, et alibi. Homines mulieresque in eadem domo vivunt, sed cellulis separatis, et se ab omni carnis voluptate abhorrere vehementer profitentur. Hi nuptias profanas æstimant, turpitudinisque velamen: [1] in eo constituentes originis peccatum quod Heva Adæ expetierit consortium maritum. [2] Pestem idcirco in Manichæorum variis propaginibus toties recisam, iterum exscindere opus est.

Propositio.

Matrimonium est de se licitum et honestum.

(1) « How then is it, that the fallen posterity of Adam have under the sacred pretext of a command or ordinance of God, pretended to solemnize that which in itself is profane, and to sanctify that unclean thing, out of which they have proved to a demonstration that they can bring nothing clean? » The Testimony of Christ's second appearing p. 1. ch. iv. n. 67. *The mystery of iniquity.*

(2) The Testimony of Christ's second appearing, ch. iii. n. 19.

3. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. « Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi. » « Dixitque Adam . . . relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. »[1] « Masculum et fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram. »[2] Geneseos verbis paulo ante citatis a Christo relatis, ita concludit : « Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. »[3] « Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro. . . . Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum. . . . . Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. . . . Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. . . . Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet fieri : quod vult faciat; non peccat, si nubat. . . . Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit : et qui non jungit, melius facit. »[4] « Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere. »[5] « Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse. »[6] « Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione, cum sobrietate. »[7] « Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. »[8] Christus refertur nuptiis adsistens, miraculum, aqua in vinum mutata, patrasse.[9]

4. *Probatur* 2. *Conciliorum authoritate*. Gangrense sæculo IV. contra Eustathium : « Si quis vituperat nuptias, et dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit; anathema sit. » « Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tamquam abominabiles nuptias judicat, et non propter hoc solum, quod continentiæ et virginitatis bonum sit, sanctumque propositum; anathema sit. » « Si qua mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias exsecrans; anathema sit. »[10] Toletanum I. anno 400. : « Si quis dixerit, vel crediderit, conjugia hominum, quæ secundum legem divinam licita habentur, execrabilia esse; anathema sit. »[11] Bracarense I. anno 561. : « Si quis conjugia humana damnat, et procreationem nascentium perhorrescit, sicuti Manichæus et Priscillianus dixerunt; anathema sit. »[12] Patrum testimonia referre supervacaneum videtur.

Objectiones solvuntur.

5. *Obj.* 1. Apostolus ait : « Bonum est homini mulierem non tangere. »[13] Quum autem conjugibus permittere videatur carnis commercium, id se profitetur facere « secundum indulgentiam; »[14] scilicet cum nosset eos fla-

(1) Gen. ii. 18. 23.
(2) Ibidem i. 27. (3) Matt. xix. 6.
(4) I Cor. vii. 2. (5) I Tim. iv. 1.
(6) Ibidem v. 14. (7) Ibid. ii. 14.
(8) Heb. xiii. 4.
(9) Joan. ii. (10) Can. i. 11. xiv.
(11) Can. xvi. (12) Can. xi.
(13) I. Cor. vii. 1. (14) Ibidem v. 6.

grare libidine, censuit unam præ pluribus uxorem illis permittendam. [1]

6. *Resp.* Apostolus præstantiam virginei status prædicat, sed conjugium probat, et ejus jura inculcat, adeo ut conjuges doceat teneri ad sibi invicem officia præstanda, veluti stricta lege debita. Quod autem indulgentiam vocat hanc quam tradit disciplinam, respicit conjugii officium, quod non imperatur a Deo, sed veluti indulgetur; liberum enim est conjugibus ex mutuo consensu ab eo abstinere. Non igitur censendus est Apostolus tantum tolerare unius conjugis societatem maritam, sed sancire; quod utique non contigisset si de re mala ageretur.

7. *Obj.* 2. Apostolus minatur conjugibus carnis ærumnas, libidinis scilicet ignes, ut eos a conjugio deterreat.

8. *Resp.* Monet quidem conjuges plurima secum trahere incommoda, onera, et pericula id vitæ genus; sed nihil dicit quod peccatum necessario ei inhærere significet. Non autem damnanda est vitæ ratio, quæ per se innocua, aliquod habet discriminis vel incommodi.

9. *Obj.* 3. « Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. » [2] Igitur matrimonii usus tantum tolerabatur, donec possent induci homines ad crucem suam amplectendam.

10. *Resp.* Ii in carne intelliguntur esse, qui suis cupiditatibus se totos dedunt; non item qui eas coercent intra justi matrimonii limites. Ideo Apostolus universos fideles alloquens, qui plerique vitam ducebant maritam, dixit: « Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. » [3] Quæ monita dat conjugibus, ne fraudent se mutuo, et ut iterum revertantur in idipsum, si ad tempus ex consensu vacaverint orationi, ostendunt haud agi de re quam dissimulabat, sed quam omnino probavit.

11. *Obj.* 4. Res uxoria homines a cœlesti regno detinuisse refertur; ea enim fuit cujusdam excusatio: « Uxorem duxi, et ideo non possum venire. » [4]

12. *Resp.* Plurima quæ licent sæpius sunt occasiones salutis officia negligendi: quæ tamen non ideo sunt improbanda; sed cavendum ne ita iis inhæreamus, ut quod unice necessarium est haud impleatur. Equidem inter excusationes recensentur boum et villæ emptio, quam tamen nemo facile dixerit lege divina vetitam.

13. *Obj.* 5. Patres nuptias damnant. Tertullianus explicans locum Apostoli: « Melius est nubere, quam uri, » dicit: « Sic accipiendum est, quomodo melius est uno oculo, quam duobus carere: si tamen a comparatione discedas, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum. » [5] Siricius matrimonium vocat « pollutiones. » [6] S. Hieronymus « Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. Nihil enim bono contrarium est, nisi malum. Si autem malum est, et ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat. » [7]

14. *Resp.* Tertullianus, jam Montanista, secundas nuptias eo loci damnat: prima autem fœdera semper tuitus est. Siricius « pollutiones » vocat illicitas eorum conjunctiones, qui vinculo continentiæ antea erant devincti; sacerdotum, monachorum, vel laicorum qui publicam egerant pœnitentiam. S. Hieronymus « mali » vocabulum mitiori sensu adhibet, ut indicet ærumnas quæ ex matrimonio facile oriuntur; quum enim dixisset: « Tantum est igitur inter nuptias et virginitatem, quantum inter

(1) Testimony of Christ's second appearing, p. 11. ch. iv. n. 42.
(2) Rom. viii. 8. (3) Ibidem 9.
(4) Luc. xiv. 20. (5) L. de exhort. cast. c. iv.
(6) Ep. ad Himerium Tarracon.
(7) L. 1. c. iv. adv. Jovin.

non peccare et benefacere, »subjunxit: « imo, ut levius dicam, quantum inter bonum et melius. » Quantum abhorruerit ab errore damnantium nuptias, liquet ex iis quæ præfatus est: « Neque vero nos Marcionis et Manichæi dogma sectantes, nuptiis detrahimus, nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus: qui non solum nuptias, sed et cibos quoque, quos Deus creavit ad utendum, damnat et reprobat. . . . Non ignoramus honorabiles nuptias, et thorum immaculatum. Legimus primam Dei sententiam: « Crescite, et mul» tiplicamini, et replete terram: » sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus. » Et postea: « Nunc autem cum hæreticorum sit damnare conjugia, et Dei spernere conditionem, quicquid de laude dixerit nuptiarum, libenter audimus. Ecclesia enim matrimonia non damnat, sed subjicit: nec abjicit, sed dispensat. »

15. *Obj.* 6. Nuptiale commercium non potest esse absque libidine, quæ peccandi est proxima occasio: imo et peccati originalis transmittendi causa. Præterea pudet conjugatos operis conjugalis, utpote turpis.

16. *Resp.* In præsenti rerum conditione libido quidem in opere nuptiarum adest, quæ tamen peccatum non est intra limites legitimi commercii ad genus hominum propagandum. Nec inde oritur proxima peccandi occasio; quamvis enim contingere possit conjuges libidini indulgentes peccare, levius, vel gravius, id tamen suæ voluntati et infirmitati tribuendum est: possunt enim, Deo adjutore, ita nuptiis frui, ut ne levem culpam admittant. Transmittitur peccatum originis ad prolem, non ob conjugii opus, sed ob Adæ prævaricationem, quæ causa est cur omnes homines ea labe inficiantur: « Carnalis concupiscentiæ malum, » inquit Augustinus, « propter quod homo qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus a bonitate nuptiarum. Hæc enim, quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo ante peccasset; nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset. » Pudet conjuges ob vehementem quam in actu conjugali experiuntur libidinem, quæ peccatum originis secuta est, sicut puduit Adam et Evam, se visis: nec tamen aliquid de se turpe in homine a Deo condito, nec in opere conjugii, quod Deus instituit et sanxit, suspicari fas est.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO.

17. Lutherus nuptias licere docuit, sed Sacramenti naturam et dignitatem habere negavit.[1] Calvinus de Sacramentis agens, dicit: « Postremum est Matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. »[2] Hæc communis est apud novatores ratio sentiendi. Catholica e contra fides docet illud esse vere et proprie Sacramentum novæ Legis: « Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit. »[3]

Propositio.

Matrimonium est vere et proprie novæ Legis Sacramentum a Christo institutum.

(1) L. de capt. Babyl.
(2) Inst. l. iv. c. xix. n. 34.
(3) Sess. xxiv. can. i.

18. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Apostolus verba quæ protulit Adam, visa Eva, recitat: « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.» Deinde subjungit: « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. »[1] τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν, ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Illud quod inter conjuges intercedit vinculum, arcanum est plenum sacra significatione, quatenus ad Christum et Ecclesiam refertur; homo enim parentes deserit, ut mulieri conjungatur, qui nexus exhibet arctissimam Christi cum Ecclesia conjunctionem; hæc enim, veluti mulier extranea, assumpta est in Filii æterni, hominis facti, consortium. Conjugium igitur ab initio fuit res mysterio plena, quæ imago quædam erat conjunctionis Christum inter et Ecclesiam olim secuturæ. Quatenus existit in Ecclesia, fidelibus fœdus illud ineuntibus, est res sacra, quæ mysterium jam impletum celebrat, munia conjugum Christi et Ecclesiæ exemplis commendat, et gratiam procul dubio confert qua possint obiri.

19. *Probatur* 2. *ex Patribus*. Tertullianus: « Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet? »[2]

20. Clemens Alexandrinus: « Matrimonium aliquid sacrum est, et divinum. »[3]

21. S. Ambrosius: « Cognoscimus præsulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui. Qui sic egerit, peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit: et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium. »[4]

22. S. Chrysostomus: « Sacramentum sunt nuptiæ, et imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit. »[5]

23. S. Augustinus: « In civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere. »[6] Et: « In nostratum quippe nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri. »[7] Et: « Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti. »[8]

24. *Probatur* 3. *ex Græcorum et Orientalium omnium sectarum consensu*. Ex eorum Euchologiis aliisque plurimis documentis constat eos agnoscere Matrimonium tamquam verum Sacramentum. Vide sæpius citatam Jeremiæ Constantinopolitani Responsionem ad Theologos Wurtembergenses. In Synodo Constantinopolitana anno 1647 Græci recensent cum cæteris Sacramentis: « honorabiles nuptias, quæ omnia, ut Sacramenta et divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit. »[9]

Objectiones solvuntur.

25. *Obj*. 1. Matrimonium res est mere naturalis, quam ad Sacramenti dignitatem a Christo eveciam fuisse nullo Scripturæ testimonio, vel antiquæ Ecclesiæ certo documento constat.

26. *Resp*. Plura sunt Scripturæ testimonia quæ suadent Christum gratia sua fœdus matrimoniale sanxisse et

(1) Eph. v. 31.
(2) L. ii. ad uxor. c. ult.
(3) Strom. l. iii.
(4) L. I de Abraham c. vii.
(5) Hom. lvi. in Gen.
(6) L. de fide et operibus c. vii.
(7) L. de bono conjug. c. xviii.
(8) Ibid. c. xxiv. (9) Art. xv.

sanctificasse. Adstitit ipse nuptiis : vinculum conjugii nulla ratione solvendum decrevit, illud divinitus impositum declarans : « Quod Deus conjunxit, homo non separet. » Apostolus de Matrimonio tamquam de sanctissimo fœdere, et symbolo disserit. Cæterum etsi hæc invicta non habeantur argumenta, plurima quæ laudavimus Patrum veterum testimonio, et perpetua fides et consuetudo Latinorum pariter et Græcorum, probant Christiana sub lege Matrimonium esse verum Sacramentum.

27. *Obj.* 2. Ad matrimonium pertinent plura, quæ ad Sacramentum pertinere pudet dicere.

28. *Resp.* Officia quæ ex matrimonio jam inito derivantur, juxta sancta Dei instituta nullam turpitudinem continent : ipsum autem matrimonium constat mutuo utriusque contrahentis consensu, quo rite præstito conficitur Sacramentum : « non enim defloratio virgnitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis, » ut tradit Ambrosius. [1]

29. *Obj.* 3. Nullum est symbolum in matrimonio a Christo institutum, quum conjugium ab exordio mundi extiterit.

30. *Resp.* Ipsum fœdus nuptiarum extitit quidem ab exordio mundi, fuitque typus conjunctionis Christi cum Ecclesia : sed mystica ejus significatio non fuit, nisi Christo adveniente, solemniter et perspicuo explicata. Hinc illud Christus instituisse recte dicitur, ob significationem et gratiam ei tributam. Extitit juxta plerosque iris ante diluvium : non tamen innotuit tamquam signum fœderis quod Deus postea cum hominibus iniit : quapropter de ea tamquam de re nova loquitur Deus : « Arcum meum ponam in nubibus cœli, et erit signum fœderis inter me, et inter terram. » [2]

31. *Obj.* 4. De tempore quo Christus Matrimonium inter Sacramenta recensuit non constat : de materia, forma, et ministro disputant vehementer theologi. Ergo nihil certum de sacramentali ejus dignitate asseri potest.

32. *Resp.* Mirum non est varias his de rebus ortas esse controversias, quum tamen de sacramentali dignitate matrimonii unanimis sit theologorum omnium tum veterum tum recentiorum consensio. Ob ritus qui in Sacramentis administrandis semper adhibebantur, difficultates nonnullæ ortæ sunt, quum quidam ritus nonnullis viderentur ad essentiam pertinere, aliis ad solemnitatem. Sic semper exploratum est in Ecclesia Matrimonium esse Sacramentum, et necessario exigere liberum contrahentium consensum : utrum autem consensus ille *ex necessitate Sacramenti* debeat coram sacerdote præstari disputatur, omnibus fatentibus valere matrimoniale fœdus eo absente initum. Ab initio Ecclesiæ matrimonii sanctitas effecit ut coram sacerdote celebraretur: quæ consuetudo vim legis habuit; sed quum ethnicorum fœdera matrimonialia vim naturalis contractus habere in comperto esset, ea saltem vis inesse agnoscebatur in fidelium conjugiis, absente sacerdote, contractis : utrum autem sacramentalis dignitas iis etiam inesset, dubitatio aliquos incessit.

33. *Obj.* 5. Si matrimonium agnitum fuisset tamquam Sacramentum, nefas fuisset illud clam contrahere, solis partibus præsentibus; quæ tamen disciplina ante Concilium Tridentinum adeo viguit, ut jure Canonico copula post *Sponsalia de futuro* matrimonii vim obtinuerit. Præterea penes Ecclesiam non est Sacramentorum substantiam mutare : ipsa tamen in Concilio Tridentino irritum declaravit matrimonialem consensum absente parocho præstitum, quamvis antea valeret.

34. *Resp.* « Tametsi dubitandum non

(1) L. de inst. Virg. c. viii.

(2) Gen. ix. 13.

est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit . . . . nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est et prohibuit.» Ita Tridentini patres.[1] Jus igitur Canonicum copulam instar matrimonii habuit, quando præcesserat solemnis matrimonii promissio, quia consensus partium in matrimonium præsumebatur. Mala tamen quæ ex occultis conjugiis persæpe oriebantur patribus Tridentinis extiterunt occasio statuendi nullos in posterum habendos esse contractus matrimoniales, quibus parochus, vel alius sacerdos de ejus, seu Ordinarii, licentia, cum duobus vel tribus testibus non adesset, ubicumque scilicet decretum hoc promulgatum fuisset. Manet immutata Sacramenti natura, contractus scilicet legitimus: sed Tridentina sanctione fit ut contractus ille non existat ob legem eum irritantem, quando conditiones indicatæ servatæ non sunt.

35. *Obj.* 6. Matrimonium virginitati præstaret, si Sacramentum foret: et Ordini etiam maxime conveniret.

36. *Resp.* Gratia et sacra significatio quæ matrimoniali fœderi adnectuntur, non efficiunt ut illud virginitati præstet, quum hæc animum liberiorem ad Deo vacandum semper relinquat, matrimonium turba solicitudinum sequente. Hæc etiam demonstrant illud parum convenire clericorum majorum conditioni, qui totos Deo deditos se exhibere debent.

CAPUT III.

DE SACRAMENTI RATIONE.

37. « Communissima et fere unanimis fuit theologorum sententia, ante Melchiorem Canum, qui scripsit anno 1562, Sacramentum Matrimonii non alium habere ministrum, quam ipsos contrahentes. » Ita testatur Josephus Carrière, doctissimus theologus, qui nuperrime hanc materiam pertractavit.[2] Hujus sententiæ, quæ et nostra est, ratio præcipua videtur esse, quod contractus matrimonialis, qualis ab initio extitit, sit ipsum Sacramentum novæ Legis; nec enim Christus noscitur aliquid in eo immutasse, sed primariam ejus naturam, duorum scilicet individuam societatem, revocavit, vim ejus inviolabilem declaravit, et sua sanctione sanctitatem et gratiam conjugum fidelium fœderi indidit. Pro ratione igitur contractus, ipsi qui suam sibi invicem fidem oppignerant, ministri videntur Sacramenti. Hæc sententia sua simplicitate commendatur, et quum per annos saltem quadringentos in scholis obtinuisse noscatur, ab ea vix recedendum putamus. Rationes in utramque partem agitare nostri instituti non est, quas apud Benedictum XIV.,[3] Sardagnam,[4] vel ipsum Carrière,[5] expositas videre quis poterit.

38. Constat quidem ex omnium consensione sacerdotis præsentiam et nuptiarum celebrationem, juxta ritum ecclesiasticum, requiri ex consuetudine quæ in ipsa sanctitate Sacramenti innititur: et graviter peccare contrahentes, qui, spreto sacerdotis ministerio, contrahunt, remotis arbitris, vel coram præcone hæretico, vel coram magistratu civili. Ministrum idcirco *solemnitatis* plures dicunt sacerdotem, qui tamen censent absque eo et contractum et Sacramentum esse posse, in iis regionibus in quibus lex Tridentina clandestinum matrimonium declarans invali-

(1) Sess. xxiv. cap. 1. de Ref.
(2) De Matrimonio, opera Jos. Carrière, Sem. S. Sulpitii Presbyt. Vic. Gen. Paris. anno 1857.
(3) De Synodo l. viii. c. xii. xiii.
(4) De Matrim. art. viii. Controv. 1. qu. 3. 4. 5.
(5) De Matrim. vol. i. c. ii.

dum, non viget. Adversæ sententiæ patroni fatentur contractum existere posse solo contrahentium consensu, Sacramentum vero nequaquam absque sacerdotis opera : quam tamen distinctionem contractus a Sacramento in baptizatorum hominum nuptiis rejiciunt theologi contrarii, tamquam fundamento in traditione carentem, et in tribunalibus Romanæ Ecclesiæ, quæ mater et magistra est omnium, nunquam receptam.

39. Juxta sententiarum de ministro varietatem, variæ etiam de materia et forma circumferuntur opiniones. Qui nobiscum contractum esse ipsum Sacramentum censent, *materiam* circa quam versatur, esse corpora contrahentium in usum conjugii tenent, *formam* vero consensum quo sibi invicem tradunt dominium in sua corpora. « Causa efficiens matrimonii, » inquit Eugenius in decreto pro Armenis, « regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. » Qui sacerdotem ministrum statuunt, contractum materiam Sacramenti censent, verba sacerdotis quibus eum firmat et sancit, vocant formam. Medio sæculo proxime elapso prodiit nova opinio, Le Ridant advocato Parisiensi fautore, qua contractus omnino a Sacramento distinguitur, hocque totum constare dicitur ritu sacro, manuum quadam impositione, (quæ tamen revera non fit) et benedictionis verbis. Eam vocat doctissimus Gerdil « monstruosum, hæreticale, oppositum doctrinæ constanti Ecclesiæ Christi, quam hausit ex Scriptura, et Patrum traditione, et in quam communi consensu conspirant omnes scholæ Catholicæ, quamvis in quibusdam dissentientes circa materiam, formam, et ministrum Sacramenti. »[1] At enim inducere nobis animum non possumus, iis assentiri theologis, qui formam in verbis ministri reponunt; constat enim quæ nunc plerumque usurpantur verba : « Ego conjungo vos etc.; » non ubique obtinere, nec ante quingentos annos in usu fuisse; et magnam morum varietatem in benedictionis sacerdotalis ritu apud Ecclesias antiquitus extitisse, quam nec penitus sublatam voluerunt patres Tridentini, libertate verba usurpandi pro provinciarum more relicta : « Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat : « Ego » vos in Matrimonium conjungo, in » nomine Patris, et Filii, et Spiritus » Sancti : » vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. »[2] Tanta varietas et arbitrium adeo liberum in forma Sacramenti a Christo statuta vix potest admitti. Nobis igitur persuasum est consensum contrahentium, sive verbis, sive nutibus significatum, formæ habere rationem, pro natura contractus, quam immutatam Christus reliquit.

40. Ex sententia de discrimine contractus a Sacramento contigit ut quidam theologi censerent licere contractum iis permittere ineundum qui gratiæ Sacramenti suscipiendæ non forent idonei : quod consilium novorum placitorum patronis plurimis arrisit. Cæterum labili nititur fundamento, et universalis Ecclesiæ consuetudini adversatur, quam negligere cuicumque haud licet. Merito igitur docet Carrière prælaudatus non licere Sacramentum Matrimonii sejungere a contractu : quod quidem, nostra sententia, fieri nequit.

41. De matrimoniis infidelium, quo nomine censentur omnes qui baptizati non sunt, constat ea contractus esse, sed haud Sacramenta : nec enim ante Baptismum Sacramentum ullum recipi potest. Si dispensatione disparis cultus impetrata, baptizatus cum infideli con-

(1) Del Mat. p. 4 1, oper. t. xv. p. 85.

(2) De Mat. p. 1. c. iii. § iii. p. 97.

trahat, quærunt theologi, utrum contractus vel Sacramentum habendum sit : qua in re discordes sunt sententiæ. Sanchez negat, quia matrimonium non potest Sacramenti rationem habere in infideli, ideoque nec in fideli potest, quum unum numero sit in utroque conjuge Sacramentum. De catholici cum hæretico conjugio sentimus illud Sacramenti habere rationem; imo de ipsorum hæreticorum conjugiis, quamvis hi plerumque sacros ritus omittant, et non credant Sacramenti dignitatem nuptiis inesse. Cæterum ipse contractus baptizatorum hominum adest, quem Sacramentum esse credimus, totam secuti vetustatem; ideoque hæresim, sicut et peccatum quodcumque, obicem gratiæ esse fatemur, sed quo non ipsa tollatur Sacramenti essentia. Quod ad intentionis defectum pertinet ex errore de Sacramenti natura, opinamur in voluntate contrahendi matrimonium reperiri implicitam intentionem conficiendi Sacramentum, quam tollere nequit ipsa contraria voluntas, quum errore nitatur.

CAPUT IV.

DE CONSENSU.

42. Ad matrimonium contrahendum consensus verus et mutuus requiritur, quo scilicet contrahentes sibi invicem suorum corporum dominium tradunt. Si verbis fingatur consensus ex alterutra parte, matrimoniale fœdus non subsistit : quapropter quum homo quidam, ad inducendam mulierem ad commercium carnale, eam alieno nomine desponsasset dicendo : « Te Joannes desponsat; » fingens se vocari Joannem, eamque deinceps vitiasset, animo tamen « eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, » irritum esse fœdus respondit Innocentius III.:« non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri : quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, et defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale. »[1] Hominis tamen fictio non obstitisset, « cum præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem in propria persona; » unde in foro externo « videtur forte pro conjugio præsumendum. » Id exploratum apud omnes esse debet, eum qui consensus fictione mulierem decepit, et vitiavit, debere damnum illatum reparare,quod sæpe exigit ut verus consensus postea præstetur. Nec in externo foro creditur asserentibus se animo non consensisse.[2]

43. « Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum : sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti. Nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis. »[3]

44. Consensus debet esse liber ab omni metu gravi ad hoc injuste incusso : quum enim mulieres quædam assererent « se nunquam in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas, verba protulisse consensus, licet animo dissentirent, » respondit Honorius III. : « Non statim est audientia deneganda, sed de illato metu est cum diligentia inquirendum : et si *talis metus* inveniatur illatus, *qui potuit cadere in constantem virum*, erunt non immerito audiendæ. »[4] Quilibet levis metus non tollit consensum.

45. Conditiones nullæ debent apponi consensui. Si tamen aliqua apponatur

(1) Cap. xxvi. de Spons.
(2) Ibidem cap. xxviii.
(3) Ibidem cap. xxv.
(4) Cap. xxviii. de Spons.

quæ tempus præteritum vel præsens respiciat, et revera extet, valet contractus, secus non valet. Si respiciat conditio tempus futurum, sed necessario eventura sit, valere censendum est matrimonium. Si futurum contingens spectet, suspenditur consensus donec res evenerit. De conditionibus hæc traduntur in Jure Canonico : « Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri : Contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam alteram ditiorem ; aut si pro quæstu te adulterandam tradas; matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu : licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi. »[1]

46. Consensus debet esse *perpetuus*; ad substantiam quippe matrimonii pertinet, ut contrahentes eo vinculo ligentur, quoadusque uterque vixerit. Hinc nullum declaratum est matrimonium quorumdam in Transylvania Calvinistarum, qui errore ducti vinculum conjugale adulterio solvi, consensum sic enuntiabant: « Accipio te, et juro, quod non deseram, donec in honestate permanseris. »[2] Cæterum valet matrimonium, si hujusmodi conditio non fuerit apposita, etsi contrahentes eo errore sint irretiti quod solvi possit, adulterii causa; quia generalis intentio quam habent matrimonium contrahendi, prout sub nova Lege viget, errori particulari de divortio ob adulterium prævalet.[3] Ea propter valent matrimonia hæreticorum in hisce provinciis, quæ nullam habent hujusmodi conditionem adnexam : non valent autem pleraque fœdera nuptialia mancipiorum, quæ sæpe hac ratione ineuntur : « tecum vivam quamdiu heri nostri nos non separaverint : » — « tibi maritus ero, quamdiu te recte gesseris. »

47. Consensus parentum expetendus est, si contracturi matrimonium minores sint viginti uno annis, et ideo sub patria potestate.[4] Peccare filios qui parentum voluntatem in re tanti momenti negligunt, indubium est; sed constanter renuit Ecclesia tantam in parentibus agnoscere auctoritatem, ut consensus minorum libere præstitus non valeat : sunt enim quoad conjugium suæ domini voluntatis.[5] Nimia patria potestas, quæ apud veteres Romanos obtinuit, sapienti moderamine temperata est ab Ecclesia, quæ optime novit incommoda quæ secum trahunt nuptiæ immaturo consilio initæ, non esse æquiparanda morum corruptelæ quæ nuptiarum facultate denegata fovetur. Immerito carpit Calvinus æquissimas sanctiones, quas veluti iniquissimas traducit : « quales sunt, » inquit, « ut conjugia inter adolescentulos, parentum injussu contracta, firma rataque maneant. »[6] Institit apud patres Tridentinos Minister regis Galliarum, ut hujusmodi nuptiæ irritæ declararentur, cui tamen morem gerere detrectarunt. « Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse,

(1) Cap. ult. de conditionibus.

(2) Vide decr. 20 Maji 1754 apud Bened. XIV. l. xiii. c. xxii. §. 9 de Syn. Diœces.

(3) Vide decr. S. Officii 2 Oct. 1680.

(4) Juxta statutum 26 Geo. ii. ch. 33, quod in his regionibus usu comprobatur, uterque major sit viginti uno annis necesse est. Vide Kent's Commentaries vol. ii. Lec. xxvi. n. 5. In statu Delaware ætas octodecim annorum fœminam consensui idoneam facit. Vide an Act regulating Marriage 1839, Sect. 3.

(5) Inst. i. 10. Pr. (6) Inst. l. iv. c. xix. 37.

et parentes ea rata, vel irrita facere posse : nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. » [1] Postea Ludovicus XIII. edicto regio declaravit irrita esse in toto Galliarum regno quæcumque attentarentur conjugia a filiisfamilias absque parentum consensu : sed clerus Gallicanus, pro sui muneris debito, reclamans, explicationem seu mitigationem decreti obtinuit, qua declarabatur illud intelligendum de effectibus tantum civilibus. Jurisperiti tamen Gallici recentiores plerique « docebant, sin vi legum, saltem vi jurisprudentiæ constantis irrita esse ea matrimonia; » quibus assentiri ipsum qui id refert Carrière, [2] miramur. Quod ad nos pertinet, leges Americanæ vetant matrimonia minorum, absque consensu parentum, vel tutorum, gravibus plerumque pœnis sacris ministris qui ea celebraverint, intentatis, sed valent, vimque obtinent etiam in foro civili. [3]

CAPUT V.

DE UNITATE MATRIMONII.

48. Unitas Matrimonii in eo sita est, quod fœdus hoc inter unum virum et unam tantum fœminam ineatur, adeo ut nulli viro liceat simul plures retinere uxores, nullique fœminæ plures simul habere maritos. Polyandria, seu plurium simul virorum consuetudo, repugnat per se matrimonii substantiæ : obstat enim prolis generationi, ideoque per se vetita habenda est. Polygamia simultanea, seu consortium plurium uxorum, quamvis a primaria nuptiarum institutione sit aliena, aliquando tamen licita habebatur. Primus qui duas noscitur duxisse uxores, Lamech, peccati merito a Patribus arguitur. « Primus Lamech maledictus et sanguinarius, » inquit Hieronymus, « unam costam divisit in duas; et plantarium digamiæ protinus diluvii pœna subvertit. » [4] Nicolaus I. docet « adulterii flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, nonnisi sanguine Christi abolitum extitisse. » [5]

49. Abraham ex Dei famulis primus noscitur duas duxisse uxores : Saræ enim conjugi suadenti morem gessit, ad Agar ancillam ingressus. Illud nonnisi Deo probante contigisse inferunt merito sacri interpretes, ex laudibus quibus Abraham cumulatur in sacris Scripturis, et ex mysterio quod conjugio illi duplici inesse docet Apostolus. Hinc occasio orta est inquirendi utrum plurium uxorum consortium sit per se malum, vel a Deo antea prohibitum fuerit, vel nulla lege naturali vel divina olim vetitum, malum jam habeatur ob Christi in nova Lege prohibitionem. De jure naturæ primario et secundario etiam hac occasione solet inquiri. Nobis videtur ex Adæ verbis, Christo ipso interprete, satis constare duorum consortium maritum ad primariam matrimonii institutionem referri, ideoque ad jus naturale et divinum, utpote naturæ admodum congruum, et a Deo sancitum. Cæterum non inter eas res illud reponimus, quæ nulla adjunctorum varietate possint speciem mutare : nam quamvis plurima secum trahat incommoda, tum quoad uxorum jura, tum quoad filiorum educationem, finis tamen primarius matrimonii potest obtineri, nempe ut procreentur filii, ideoque, Dei vetito sublato, polygamia non

(1) Sess. xxiv. cap. i. de ref. Mat.

(2) De Mat. vol. i. p. iii. §. i. cap. iii p. 317.

(3) Kent's Commentaries, vol. ii. Lec. xxvi. « The consent of parents or guardians to the marriage of minors is not requisite to the validity of the marriage. »

(4) Ep. lxxxv. t. iv. part. II. p. 669.

(5) Resp. ad consulta Bulgarorum n. 51.

videtur per se mala, quamvis minus congrua naturæ ipsius institutis. De venia Abrahæ data certum non habemus documentum; sed nemo facile subscribet Calvini sententiæ, eum et qui ejus exemplum secuti sunt patriarchas, peccati arguentis. Dicendum igitur videtur divinam legem ea de re per ea tempora relaxatam; nec tamen licuisse uxores plures sibi adsciscere libidinis æstu, sed prolis procreandæ studio. « Sufficiendæ prolis causa, » inquit Augustinus, « erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo. »[1] Quod dicit Innocentius III. : « Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum; »[2] non specialem unicuique dispensationem datam indicat, sed veniam utcumque concessam. Polygamiam jam apud Israelitas vigentem legibus rexit et mitigavit Moyses, Dei mandata promulgans.[3]

50. Apud Christianos omnes in confesso est Christum revocasse matrimonium ad primarium institutum, adeo ut jam non liceat plures simul ducere vel habere uxores, sed contrahentes duo fœdere unico ligentur. Inter Lutheri portenta sermonum illud reperitur : « Ego sane fateor me non posse prohibere si quis plures velit uxores ducere, nec repugnat sacris litteris. »[4] Re quidem vera ipse una cum Melanchtone, Bucero, aliisque inter novatores primipilis, Philippo Hassiæ landgravio, in remedium libidinis, et conscientiæ quietem, indulsit, ut, vivente adhuc legitima conjuge Christina, Margaretam de Saal, filiam Georgii Saxoniæ ducis, uxorem aliam sibi adsciscceret anno 1550, matrimonio tamen clam celebrato, « ne si palam id fiat, Evangelii hostes exclament, Evangelicos similes esse Anabaptistis, qui simul plures duxerunt uxores : item Evangelicos eam sectari libertatem simul plures ducendi, quæ in Turcia in usu est. » Ita novi Evangelii vaferrimi præcones. Rem gestam probavit Bossuetius,[5] Ernesto Hassiæ landgravio tabulas ex scrinio majorum suorum producente.[6]

51. Anabaptistas verbo et exemplo commendasse polygamiam constat, quam tamen respuunt Baptistæ nostrates cum sectariis omnibus hodiernis. In turpissimo refellendo errore non est cur immoremur, ideoque quæ Christus Dominus protulit, recitasse sufficiat : « Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos? Et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. »[7] Una duorum quum sit caro, tertii consortium non admittitur. Hinc consuetudo et doctrina Christianorum semper claruit de unitate matrimonii : quapropter Joannes VIII dicit : « Hoc etiam jubemus, ut nullus propriam relinquat uxorem, et, illa vivente, alteram sibi sociare præsumat; nec liceat ei uno tempore duas habere uxores, uxorem et concubinam. »[8] Nicolaus I. etiam docet : « Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. »[9] Quod de lege a Valentiniano lata, referente Socrate, dicitur, qua scilicet liceret duas habere uxores, fundamento carere censetur ab eruditis. Gregorii II. etiam

(1) Cap. *Gaudemus*, viii. de divortiis.
(2) L. iii. de doct. Christ. c. xii.
(3) Deut. xxi. 15. xxv. 5.
(4) An der Kanzler Brück 14 Jan. 1524.
(5) Hist. var. l. vi.
(6) « Dieu, pour confondre la moderne sagesse, permit qu'on la tirât des archives de la Hesse; et c'est une main protestante qui mit ainsi en lumière le déshonneur de la secte. » *Vie de Luther*, par Audin, vol. II. ch. xxviii.
(7) Matt. xix. 4. (8) Ep. xcii. ad Airard. arch. Ausc.
(9) Resp. ad cons. Bulg. c. 51.

decretum objicitur, quo viro permittitur matrimonium inire, uxore jam ob infirmitatem non valente debitum reddere, supposititium nonnullis videtur; aliis censentibus agi de impotentia quæ nuptias antecessit.[1] Quod Comes de Gleichen, filiæ Sultani precibus liberatus e carcere, eam, grati animi ergo, secum duxerit, e bello crucesignatorum redux, et, venia impetrata a Papa, eam habuerit conjugem, una cum priori quam domi reliquerat, prout in vita S. Elisabeth narratur, fabellis censemus annumerandum. Erfurti monumentum in quo inter duas fœminas jacens exhibetur, potest de duabus, una post alteram, habitis intelligi. De tempore quo vixit non constat. Fidem Ecclesiæ de matrimonii unitate firmavit Concilium Tridentinum, anathemate lato in Lutheri et Anabaptistarum errorem : « Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit. »[2]

52. *Polygamia* successiva dicitur conjugium iteratum, priori soluto vinculo conjugis morte. Montanistæ contendebant secundas nuptias esse prorsus vetitas Christianis, easque veluti adulteria traducebant. Iis opposuerunt Ecclesiæ Patres Apostoli auctoritatem : « Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. »[3] De vidua loquens alias dicit : « Cui vult nubat, tantum in Domino. »[4] Et Timotheum de viduis alloquens, ait : « Volo juniores nubere. » Minus tamen probabantur nuptiæ iteratæ, quum in iis conjunctionis Christi cum Ecclesia, unius cum una, imago non sit perfecta, et animus ad voluptatem pronus prodatur. Hinc benedictione solemniori quæ datur in Missa pro Sponso et Sponsa, vidua iterum nubens non donatur. Græci duriores sese erga iterum nubentes exhibuerunt. Sed quod liceant iteratæ nuptiæ apud omnes constat, quamvis a sæculo decimo quartas nuptias habeant irritas.[5] Quæ a Patribus nonnullis Græcis in eas severius dicta sunt, libidinis æstum præsertim respiciunt; nec ad ipsas damnandas contra Apostoli et Ecclesiæ auctoritatem, traduci possunt. Hinc Eugenius IV. Armenos edocens, dicit : « Declaramus non solum secundas, sed etiam tertias, et quartas, atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. »[6]

CAPUT VI.

DE VINCULO MATRIMONII.

§. *I. De vi vinculi.*

53. Solvi posse ob adulterium mulieris vinculum matrimonii Græci recentiores censuerunt, mosque divortii apud plerosque obtinuit, etiam apud quosdam cum Ecclesia Romana communione conjunctos. Operam strenuam adhibuit Eugenius IV. in Concilio Florentino, ut pravam consuetudinem emendarent; sed et Tridentini patres anathemate damnaturi erant errorem eorum qui dicerent adulterium matrimonium dirimere, quando intercessioni Oratorum Venetæ reipublicæ, consuetudines inveteratas Græcorum plurimorum qui ea ditione continebantur, exponentium, concesserunt, ut alia verborum forma canon fieret :[7]

(1) Vide apud Carrière de Mat. vol. i. p. II. §. III. c. 1. p. 144.
(2) Rom. vii. 3.
(3) I. Cor. vii. 39.
(4) I. Tim. v. 14.
(5) Vide L. II. Juris Orient. et Petrum Arcud. L. vii. de concordia c. xxxv.
(6) Decr. ad Armenos.
(7) Vide Pallavicini Istoria del Concilio di Trento l. xxii. cap. iv.

« Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit. »[1] Alias quoque solvendi vinculi causas excluserunt. « Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum; anathema sit. »[2]

54. Anglicani divortium vinculi matrimonialis fecisse dicuntur a Burneto, quibus tamen ne adulterii quidem prætextus suffragabatur.[3] Equidem alia prorsus ratione nitebatur Henricus VIII., irritum scilicet fuisse ab initio conjugium, ob affinitatis in primo gradu impedimentum, quod dispensatione pontificia auferri non potuisse dicebat. De principio autem apud ipsos non constat; nam quum de divortio Carolinæ, uxoris Georgii IV. ageretur, Archiepiscopus Cantuariensis et alius Antistes, e contrariis steterunt partibus,[4] doctrinam Ecclesiæ Anglicanæ vinculi solutionem admittere altero propugnante, negante altero. Presbyteriani docent nihil, præter adulterium, aut ejusmodi voluntariam desertionem, cui Ecclesia vel magistratus mederi non valeat, esse causam sufficientem solvendi matrimonii vinculum.[5] Sectariis plerisque hæc sunt communia.

55. Leges civiles in *statibus Fœderatis* divortium a vinculo permittunt fieri ob adulterium, quæ sola admittitur ratio in provinciis Neo-Eboracena, et Illinosiana : aliis plerisque ob malam tractationem, desertionem, aut diuturnam absentiam, quæ *quinquennio* æstimatur in statu Maine, illud concedentibus. In statu Ohiensi ebrietas per triennium est divortii vinculi causa. Penes legislatorum cœtum est in nonnullis statibus divortium concedere,[6] quod tribunalibus supremis justitiæ leges alibi concedunt. In duobus statibus, Tennessee scilicet et Carolina Septentrionali, legislatores tantum committere possunt speciali lege potestatem tribunali; qua valeat divortium in casu singulari concedere.

56. Catholici tenent matrimonii vinculum nulla humana auctoritate solvi posse quoad vim ejus, qua coram Deo et Ecclesia conjuges tenentur. Solutio quæ fit legis auctoritate non facit ut valeat alteruter e solutis novum inire conjugium, quod coram Ecclesia legitimum habeatur : sed tamquam violati Sacramenti reus censuris subjacebit ecclesiasticis.

Propositio.

Matrimonium consummatum fidelium nulla unquam de causa, ne adulterii quidem, dissolvi potest quoad vinculum.

57. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. »[7] « Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui di-

(1) Sess. xxiv. can. vii.

(2) Ibidem can v.

(3) Burnet, Analysis Article xxv. p. 454.

(4) Vide IX Letter of Hierophilos.

(5) « Nothing but adultery, or such wilful desertion as can no way be remedied by the church or civil magistrate, is cause sufficient of dissolving the bond of marriage. » Confession of faith ch. xxiv.

(6) *New-Jersey, Maryland, Virginia, South Carolina* and *Louisiana*. In some of those states divorces by special acts of the Legislature are very common. » Kent's Commentaries, vol. ii. p. iv. Lect. xxvii. n. 105. (7) Marc. x. 11.

missam a viro ducit, mœchatur. »[1] « Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. »[2] Ex his testimoniis liquet adulterium semper patrari, quando uxor, etsi fuerit ob fornicationem a mariti consortio dimissa, novas contrahit nuptias : vel quando vir, uxore, quacumque de causa, dimissa, aliam, ipsa vivente, ducit : proinde prioris matrimonii vinculum adhuc perstet necesse est. Licet igitur, Christo docente, uxorem adulterii ream tori et domicilii consortio privari; quin possit ipsa, vel innocens maritus ad novas convolare nuptias. « Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri : ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. »[3] Nullum limitem præter alterutrius conjugis mortem statuit matrimonio Apostolus. « Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. »[4] Mulier igitur quæ justa de causa, puta ob mariti adulterium, a viro suo discesserit, tenetur innupta manere, aut viro suo conciliari. Si quæ mulier absque justa ratione mariti consortium deseruerit, ipsi nullum permittitur arbitrium, sed divino præcepto adstringitur ad maritum revertendi.

58. *Probatur* 2. *ex Patribus.* Clemens Alexandrinus : « Legem aperte constituit : Non dimittes uxorem præterquam propter fornicationem : adulterium autem existimat conjungi matrimonio, vivo aliquo ex separatis. »[5]

59. S. Hieronymus : « Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. . . . Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria auctoritate discernit, sed Christo in se loquente, Christi verba secutus est, qui ait in Evangelio : « Qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, et » qui dimissam acceperit, adulter est. » Animadverte quod dicat : Qui dimissam acceperit, adulter est, sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est qui eam acceperit. »[6] Scribens ad Oceanum laudat Fabiolam matronam Romanam, quæ pœnitentia luerat novas nuptias propter mariti adulterium cum alio initas.[7]

60. S. Ambrosius ait : « Noli ergo uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. »[8] « Qui dimittit uxorem, carnem suam scindit, dividit corpus. »[9]

61. S. Augustinus : « Qui ergo nos sumus, ut dicamus : Est qui mœchatur, uxore sua dimissa, alteram ducens, et qui hoc faciens, non mœchatur; cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit? Proinde si quicumque hoc fecerit, id est, omnis qui hoc fecerit, ut, uxore sua dimissa, alteram ducat, mœchatur, sine dubitatione ibi sunt ambo, et qui præter causam fornicationis, et qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, quicumque dimiserit, hoc est, omnis qui dimittit. »[10] Et : « Hæc verba Aposto-

(1) Luc. xvi. 18. (2) Mat. v. 32.
(3) Rom. vii. 2. (4) I.Cor. vii. 10. (5) Strom. l. II.
(6) Ep. clvii. ad Amandum, vide et comm. in c. xix. Mat. (7) Ep. ad Oceanum.
(8) In Lucam l. viii. n. 4. (9) Ibidem n.
(10) L. I de conj. adult. c. ix.

li toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non si fornicetur. Licite igitur dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris; propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis » [1]

62. *Probatur* 3. *Conciliorum auctoritate.* Conc. Eliberitanum : « Item fidelis fœminâ, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit prius de sæculo exierit; nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit. » [2] Milevitanum II., seu potius Carthaginense : « Placuit, ut secundum Evangelicam et Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur : sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. » [3] Forojuliense, anno 791 : « Item placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, (*consortio scilicet tori*) non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere. » [4] Nannetense sæculo 10 : « Si cujus uxor adulterium perpetravit, et hoc a viro deprehensum fuerit, et publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem. . . . vir vero ejus, illa vivente, nullatenus accipiat aliam. » [5] Decretum pro Armenis in Florentino Concilio editum : « Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere : non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit. » Accedit ratio theologica : quum enim matrimonium Christi et Ecclesiæ conjunctionem significet, oportet ut semel consummatum nunquam solvatur. Consonum etiam erat sapientiæ Christi ita statuere, ut sic conjuges perpetuo quodam ac firmo affectu se invicem prosequerentur, a crimine se abstinerent, et liberis educandis operam præstarent assiduam.

Objectiones solvuntur.

63. *Obj.* 1. « Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur. » [6]

64. *Resp.* Christus fornicationis seu adulterii causam excipit, quia est legitima ratio uxorem a tori consortio perpetuo dimittendi : quin tamen liceat idcirco marito, quamvis innocenti, aliam ducere : nam qui dimissam, etiam ob adulterium, duxerit, mœchatur; ea scilicet de causa, quod ipsa prioris matrimonii vinculo manet ligata. Si quis contendat dimissam ob adulterium solvi eo ligamine, potior erit ejus conditio quam innocentis ejectæ. «Quomodo est verum? » inquit S. Augustinus, « quomodo mœchatur, nisi illa quam duxit, eo vivente a quo dimissa est, adhuc uxor aliena est? » [7] Quamvis autem Christus de solutione vinculi matrimonialis divortio mosaico fuerat interrogatus, responsio ejus de adultera dimittenda ad divortium tori perpetuum merito restringitur : ipse enim mosaicam de divortio legem duritiei Judæorum, potius quam æquitati, vel primævæ matrimonii institutioni consonam declaravit, et inviolabile prorsus matrimonii consummati ligamen : « Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. » [8] Dicit igitur omnem qui

(1) De conj. adult. l. II. c. iv.
(2) Can. ix. (3) Can. xvii.
(4) Cap. x. (5) Can. xii.
(6) Matt. xix. 9.
(7) L. I. de conj. adult. c. xii.
(8) Matt. xix. 6.

uxorem dimittit mœchari, quatenus « facit eam mœchari, »[1] sequ adulterii periculo temere se objicit, ni forsan detecta jam uxoris pravitas eum habeat excusatum. Tenetur tamen ipse se castum custodire, et novas nuptias fugere, quamdiu vixerit uxor infida.

65. *Obj.* 2. S. Basilius : « Quæ reliquit est adultera, si ad alium virum accessit; relictus vero est dignus venia : et quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur. »[2] Lactantius ait « esse adulterum, qui a marito dimissam duxerit, et eum qui, præter crimen adulterii, uxorem dimiserit, ut alteram ducat. »[3]

66. *Resp.* Basilii canon videtur indicare maritum ab uxore desertum, si aliam consortem sui tori faciat, veniam Ecclesiæ facilius impetrare, absque solemni pœnitentia ; quamvis enim graviter peccet consuetudine illicita, culpa quadammodo extenuatur, habita ratione periculi cui ob uxoris crimen objicitur.[4] Lactantius verbis citatis morem legibus Imperii sancitum indicat : « Sed divina lex » subjungit ipse, « ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit. » Porro leges illæ, licet Imperatorum christianorum auctoritate firmatæ, tolerasse potius quam probasse divortia ob adulterium, et nuptias inde secutas merito censentur. « Aliæ, » inquit S. Hieronymus, « sunt leges Cæsarum, aliæ Christi : aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. »[5] S. Chrysostomus : « Nec mihi recites leges externas, atque profanas, quæ libellum repudii dare, ac divortium facere præcipiunt; non enim profecto secundum has leges judicaturus est Deus, sed juxta eas quas ipse posuit »[6] S. Ambrosius : « Dimittis ergo uxorem, quasi jure sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet : sed divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt : « Quæ Deus conjunxit, » homo non separet. »[7]

67. *Obj.* 3. S. Zacharias Papa sæculo octavo sic loquitur : « Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? si fecisti, neutram habeas : et si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem et adultera sine spe conjugii permaneatis. »[8]

68. *Resp.* In decreto illo uxoris vocabulum lato sensu usurpatur pro *sponsa de futuro*, uti ex illis verbis : « neutram habeas » colligitur. Vetat igitur Pontifex ne matrimonium ineatur vel cum sponsa, vel ejus sorore vitiata, quam adulteram vocat ob violatam fidem viro sponsalia contrahendo præstitam. Perstat etiamnum hoc impedimentum.

69. *Obj.* 4. Durum est et iniquum, innocentem cogi vel ad secum retinendam adulteram, vel ad continentiam integram servandam.

70. *Resp.* Plurima oriuntur incommoda ex indissolubili matrimonii nexu, quæ tamen efficere nequeunt, ut vinculum a Deo impositum humano judicio solvatur. Profecto ex absentia aut rixis conjugis sæpe oritur necessitas se continendi diutissime; quin idcirco cum Luthero dicere oporteat has esse divortii legitimas causas.[9] Oritur etiam eadem continentiæ necessitas ex conjugis morbo, aliisque capitibus. Quis tamen inde concludet solvi ob hujus-

(1) Matt. v. 32. (2) Ep. I ad Amphiloch. can. ix.
(3) Inst. l. vi. c. xxiii. (4) Vide Can. xxi.
(5) Ep. xxx. ad Ocean.
(6) In c. vii. ep. I ad or.
(7) In Luc. l. viii. 5.
(8) Causa xxxii. qu. vii. cap. *Concubuisti.*
(9) Comm. in c. vii. I. ep. ad Cor. an. 1523. script.

modi rationes vinculum matrimonii posse? Qui igitur infidelem consortem nactus est, debet aut ei pœnitenti ignoscere, aut in delicto perseverantem domo ejicere, seque oratione, aliisque pietatis exercitiis contra dæmonis carnisque impetum munire: « Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. »[1]

71. *Obj.* 5. Ex vinculo illo perpetuo nulla auctoritate solvendo plurima in societatem derivantur mala: nam rixæ jurgiaque perpetua vigent inter conjuges, qui et cæde se e servitute illa durissima aliquando liberant.

72. *Resp.* Quæ oriuntur mala vitio conjugum tribuenda sunt, non vinculo sacro, quod pacis, concordiæ et prolis educandæ optimum est præsidium. E contra divortii facta facultate, felicitatis domesticæ tollitur fundamentum: affectus enim qui perpetuus non est, sed quodam rerum eventu suspenditur, non est qualis decet eos qui se totos sibi invicem tradidisse censentur. Hinc plurima gravissimaque in societatem mala veluti ex fonte manantia; adulteria enim fiunt aliquando divortio ut detur locus,[2] cædes etiam patrantur, proles deseritur, et adeo multiplicantur divortia, ut matrimonium videri possit contractus *ad beneplacitum*, qui magnam morum fert corruptelam.

Animadversio.

73. Non solvitur vinculum matrimonii dum ex mutuo consensu separantur conjuges perfectionis studio, ut præmia a Christo promissa relinquenti uxorem sui causa comparentur. Si alter, eo casu, ingredi velit Religionem, utrique id injungitur: « nam dum unum utrorumque corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum est partem converti, et partem in sæculo remanere. »[3] Cæterum exceptio admittitur quando uxor est grandæva, et votum castitatis in sæculo emittit, publice tamen in conspectu Ecclesiæ.[4] Ut Ordines sacros suscipiat vir, uxor debet etiam solemnem emittere professionem: « Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines assumendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. »[5] Si dispensatio concessa fuerit ut maneat in sæculo, exigitur ut nuncupet castitatis perpetuæ votum; nec potest alteri nubere, etiam post viri mortem:[6] sacri canones enim conjugium ulterius ei vetant, et irritum declarant.[7] Si uxor fregerit fidem conjugii, potest maritus Ordines sacros suscipere absque ejus consensu: nam jus omne ipsa amisit.

§. II. *De solutione vinculi.*

74. Matrimonium *ratum* fidelium, quod initum est, sed haud *consummatum*, solemni professione, votorum scilicet emissione in Ordine probato, dirimitur: « Si quis dixerit, » ita Tridentini patres, « matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit. »[8] Ita ex

(1) I. Cor. x. 13.

(2) « It is very questionable whether the facility with which divorces can be procured in some of the states, be not productive of more evil than good. It is doubtful whether even divorces for adultery do not lead to much fraud and corruption. I have ad occasion to believe, in the exercise of a judicial cognizance over numerous cases of divorce, that the sin of adultery was sometimes committed on the part of the husband, for the very purpose of the divorce. » Kent's Comm. vol. ii. p. iv. lect. xxvii. n. 106.

(3) Can. *Quia Agatho*, 27. quæst. 2.

(4) Cap. *Cum sis*, de convers. conjug.; et cap. *Uxoratus*, ibid.

(5) Cap. *Conjugatus*, ibidem.

(6) Can. Seriatim, distinct. 32.

(7) Benedict. XIV. de Syn. l. xiii. c. xii. n. xvi.

(8) Sess. xxiv. can. vi.

veteri Ecclesiæ traditione decretum est: religiosa quippe professio instar mortis habetur, et alter conjux, qui adhuc commercium nullum cum eo habuit, liber relinquitur, ut, si velit, novas ineat nuptias. Alexander III. id explicat: « Verum post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos : et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire. Quia cum non fuissent una caro effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in sæculo remanere. »[1] Exempla Sanctorum plurima referuntur qui conjugio uti propter Christum noluerunt. De S. Thecla id testantur S. Epiphanius, et S. Ambrosius; de S. Cæcilia, Alexio, et Euphrasia Simeon Metaphrastes ; de duobus militibus S. Augustinus ; de S. Leobardo S. Gregorius Turonensis ; de virgine Gregoria S. Gregorius M. ; de Edilrida Angliæ regina Venerabilis Beda.[2] Pontifices Romani sæpius matrimonii haud consummati vinculum diremerunt, ob gravissimas causas, præter Religionis solemnem professionem. Nonnulli theologi tamen negant aliam ob causam præter ipsam professionem religiosam vinculum dirimi posse. Cæterum quum solo præstito consensu, ante conjugii usum, non videatur adeo perfecta Sacramenti ratio ut solvi nequeat absque injuria ipsius vel contrahentium, iis assentimur qui censent summos Ecclesiæ rectores suæ potestatis limites ea in re haud excessisse. Quo jure dirimatur Religionis professione emissa, quæritur a theologis, quorum aliqui ad jus naturale, alii ad jus ecclesiasticum, alii ad jus divinum illud referunt. « Ex canone Tridentino, » ait Benedictus XIV., « clarissime ostenditur hanc solubilitatem originem habere a jure divino : si etenim, post hunc Tridentini canonem, de fide est matrimonium ratum solvi per professionem, solubilitas debuit esse imposita a solo Deo, qui eam potuit facere sempiterne veram, uti subtiliter argumentatur Card. de Lauræa. »[3] Hæc eruditissimi Pontificis sententia gravi profecto nititur ratione. Quod autem aperta non proferantur documenta illius divinitus datæ facultatis, non debet nos morari, quum traditione orali et usu Ecclesiæ satis innotescat : quod catholico homini satis esse debet.

75. Matrimonium infidelium, seu non baptizatorum, *legitimum* dicitur, haud tamen *ratum*, quum Sacramenti vi careat. Illud solvi posse, alterutro ad fidem converso, si conjux nolit absque contumelia Creatoris consortio conjugii frui, tradit Innocentius III., Apostoli testimonio et Ecclesiæ consuetudine innixus. « Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus : « Si infidelis discedit, discedat : » frater enim vel soror non est servituti » subjectus in hujusmodi. »[4] Integrum Apostoli testimonium referre juvat : « Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum

(1) Extra. *de convers. conjug.* cap. *Verum.*
(2) Hist. Eccl. l. iv. c. xix.
(3) Quæst. 546. n. 55.
(4) Extra. Cap. quanto *de Divortiis.*

fidelem : alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus. »[1] In hæc verba scribit S. Ambrosius : In quo et mirabiliter noluit apud Christianos causam residere divortii, et ostendit non a Deo omne conjugium : neque enim Christianæ Gentilibus Dei judicio copulantur, cum lex prohibeat. »[2] Deinceps de Apostolo ait : « Culpam abstulit destituto. »[3] Si infidelis consentiat habitare cum converso absque injuria Creatoris, ut aiunt, scilicet nullum obicem fideli in via salutis statuendo, vinculum matrimonii non solvendum declaravit S. Congregatio Concilii, prout refert Benedictus XIV.[4] Matrimonii autem solutio tantum fit, quando jam aliud a converso initur.[5] Ante novas nuptias monendus est conjux infidelis, eique optio datur vel habitandi pacifice cum fideli, vel juribus matrimonii prorsus renuntiandi.

§. III. *De divortio tori.*

76. Quamvis nullo unquam in rerum eventu solvi possit vinculum matrimonii fidelium semel validi et consummati, etiam suprema Ecclesiæ auctoritate, conceditur tamen divortium tori et habitationis graves ob causas. Et quidem imprimis ob *adulterium :* licet enim innocenti sese a consortio adulteri separare, præsertim interveniente judicis ecclesiastici sententia. Id ex Christi verbis, permittentis ut dimittatur mulier ob fornicationem, constat. Idem jus competit uxori : nam ea est contractus natura, ut pares sint in eo quod pertinet ad conjugii fidem. Ita docuerunt summi viri, Ecclesiæ illustres doctores. S. Basilius : « Domini autem sententia æque viris ac mulieribus convenit, quod non liceat a matrimonio discedere, præterquam propter fornicationem. »[6] S. Chrysostomus : « In aliis quidem plus habeat, inquit, vir : ubi vero ratio habenda est pudicitiæ, minime superior sit. Vir sui corporis potestatem non habet, neque uxor. Magna hic paritas, et prærogativa nulla. »[7] Hæc illi, pro Sacramenti sanctitate, et dignitate; longe alias ac recentiores quidam, qui censent leges non debere adulterium viri plectere paribus pœnis, eo quod non idem societati civili proveniat damnum.[8] Eadem tamen fit injuria Sacramento et fides contrahendo præstita violatur, cum gravi alterius contrahentis injuria.

77. Divortium ob adulterium concessum *perpetuum* est, adeo ut innocens nunquam teneatur condonare culpam alteri, licet pœnitenti, ad consortium maritum eum excipiendo. *Ad tempus* conceditur divortium graves ob causas, quas non indicavit Christus, quia de perpetuo divortio erat interrogatus. Ecclesiæ potestatem hac in re vindicavit Concilium Tridentinum canone edito : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit. »[9] Causæ præcipuæ recensentur immoderata sævitia,[10] morbus contagiosus, amentia et furor conjugis, vis adhibita ut conjux a necessariis religionis muniis absterreatur,[11] vel ad crimina patranda inducatur. Pleræque

(1) I. Cor. vii. 12.
(2) In Luc. l. viii. 2.
(3) Ibid. n. 8.
(4) De Syn. Diœc. l. xiii. c. xxi. §. 1.
(5) Ibid. l. vi. c. iv. n. 4.
(6) Ep. 1. ad Amphilochium.
(7) Hom. xix. in c. vii. ep. i. ad Cor.
(8) Montesquieu, Potbier, et Taylor apud Kent Comm. vol. ii. p. iv. Lec. xxvii. n. 106.
(9) Sess. xxiv. can. 8.
(10) Cap. *Litteras*, Extra de rest. spol.
(11) Cap. ii. de divortiis.

hæ causæ divortii *a vinculo* legibus civilibus Fœderatarum nonnullarum provinciarum statuuntur : nonnullis divortium a toro tantum ob alias præter adulterium causas concedentibus,[1] aliis penes judices arbitrium relinquentibus alterutrum divortium concedendi, pro injuriæ ratione, et petitione læsi conjugis.[2]

CAPUT VII.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

78. Matrimonia infidelium legibus Ecclesiæ sunt immunia, quum hæ subditos fideles respiciant, ideoque nonnisi indirecte possint attingere infideles, quatenus scilicet vetet Ecclesia fidelibus cum iis inire nuptias. Utrum ea subsint potestati principum infidelium, vel aliorum cui civiliter subjiciuntur contrahentes, inter theologos quæritur. Nobis videtur matrimonii natura ejusmodi esse, ut nullatenus civili potestati subjaceat, quatenus contractus ipse individuæ vitæ societatis spectatur : hæc enim tota pendet ex voluntate et consensu contrahentium. Statui tamen possunt civili auctoritate conditiones ex quibus pendeant jura civilia conjugii, adeo ut nec conjuges legitimi habeantur, nec proles agnoscatur, legis præscripto neglecto. Equidem ad rectum rerum ordinem, et ad justam bonorum et onerum distributionem pertinet, ut conjugium *civiliter* agnosci possit, et probari; sed ad ipsam contractus radicem, quæ in contrahentium consensione posita est, non videtur posse potestas mere humana pertingere. Matrimonia igitur infidelium valere nobis videntur, quoties nihil obstat ex jure ipso naturæ desumptum : civilem autem non consequuntur effectum, nisi legis servatis conditionibus.

79. De matrimoniis fidelium, seu baptizatorum, jam quæritur, utrum alicui potestati, seu ecclesiasticæ, seu civili, subjaceant, non tantum quoad effectus in utroque foro, sed etiam quoad ipsam vim contractus. In confesso apud omnes est civilem potestatem posse vires in foro civili denegare contractui matrimoniali, qui celebratus non fuerit juxta leges ; quæ tamen potestas non libidine imperandi, sed utilitatis civium studio exercenda est. Pari de causa in foro ecclesiastico posset irritum haberi conjugium, quod contra leges Ecclesiæ fuerit initum. Sed de valore contractus in se et coram Deo quæritur : utrum scilicet Ecclesia vel potestas civilis possit irritum facere contractum, licet contrahentes voluntatis libero consensu eum ineant, nullo obstante naturali impedimento, adeo ut vis omnis ei tollatur, tum in foro externo, tum coram Deo. *Dirimens* vocatur impedimentum hujusmodi, quod scilicet obstat ne valeat contractus : *impediens* e contra est quod obstat ne liceat contractum inire, qui tamen initus suam obtinet vim.

80. Illud certissimum principium statuendum est ex fidei doctrina posse Ecclesiam impedimenta dirimentia constituere, et in iis constituendis haud errasse : « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse ; anathema sit.»[3]

81. Lutherus Calvinusque, quum nuptias naturalem tantum contractum haberent, eas nonnisi naturæ legibus vel divinis regi voluerunt. Apostata in-

(1) « For extreme cruelty in either of the parties, the court of chancery may decree a divorce from bed and board for ever thereafter, or for a limited time, as shall seem just and reasonable. » Digest of Laws of New Jersey, art. *Divorce*, §. 8.

(2) Vide Digest of Laws of Pennsylvania, Act of 25th Febr. 1817.

(3) Sess. xxiv. can. iii.

signis, M. Antonius de Dominis, Ecclesiæ potestatem hac in re etiam impugnavit. Launojus principibus blandiens, et plures alii janseniana pice tacti, inter quos et synodi Pistoriensis auctor, Ecclesiæ abstulerunt quam civili potestati tribuerunt auctoritatem. Sectæ pleræque recentiores eos agnoscunt matrimonio obices quos lex divina statuit, eam intelligentes quæ Israelitis data est, cui nulla lege humana derogari posse affirmant. [1] Plerique status Fœderati eos gradus consanguinitatis qui in libro Levitici nominantur, lege definierunt obstare matrimonio; qua deficiente definitione omnia valere censentur conjugia in linea collaterali, exceptis fratrum et sororum contuberniis. [2]

82. De Ecclesiæ potestate nulla apud nos lis agitur : continetur enim *intra forum suum*, nec enim tribunalia civilia nostratia agnoscunt leges ecclesiasticas, quæ tamen totam suam vim obtinent in conscientiæ foro. Quas autem a lege civili declarari contigerit nuptias irritas, de effectibus civilibus intelligere oportet; nam legumlatoribus in animo non est de rebus spiritualibus, vel quæ ad animarum regimen pertinent, aliquid decernere : quum ex Constitutione totius reipublicæ *Status* ab *Ecclesia* discrimen omninò servandum sit : nec quidquid valeat potestas civilis in rebus ecclesiasticis. Ita igitur apud nos conciliantur jura, quod conjugia contra Ecclesiæ leges celebrata, ab iis qui ejus auctoritate continentur, nulla sint prorsus et irrita, quandocumque lege Ecclesiastica talia declarantur : adeo ut omnibus privilegiis sacræ communionis privari queant, ecclesiasticis censuris inflictis, qui civilis sanctionis prætextu conjuges se gerunt, obice ecclesiastico haud sublato : [3] et e contra quæ forsan haud agnoscat civilis potestas conjugia, legis conditionibus haud impletis, possint vim habere in foro ecclesiastico, si jus divinum, naturale, vel ecclesiasticum non obstet.

Propositio.

Potuit Ecclesia constituere impedimenta matrimonium dirimentia, et in iis constituendis non erravit.

83. *Probatur* 1. *ex perpetuo potestatis exercitio.* Concilium Eliberitanum censuit : « Si quis privignam suam duxerit uxorem ; eo quod sit incestus, placuit, nec in fine dandam esse ei communionem. » [4] Concilium Neocæsareense anno 314 : « Mulier si duobus nupserit fratribus, abjiciatur usque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in extremis suis, Sacramentis reconciliari oportet; ita tamen, ut si forte sanitatem recuperaverit, matrimonio soluto, ad pœnitentiam admittatur. » [5] Concilium Aurelianense II. anno 533 : « Placuit, ut nullus Christianus Judæam, neque Judæus Christianam in matrimonio ducat uxorem : quia inter hujusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti a consortio hoc se separare distulerint, a communionis gratia sunt sine dubio submovendi. » [6] Concilium Moguntinum anno 813 : « Contradicimus quoque, ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur : ubi autem post

(1) « Marriage ought not to be within the degrees of consanguinity or affinity forbidden in the word; nor can such incestuous marriages ever be made lawful by any law of man, or consent of parties, so as those persons may live together, as man and wife. » Presbyterian confession of faith, ch. xxiv. §. iv.

(2) Vide Kent's Comment. vol. ii Lect. xxvi. n. 83.

(3) Presbyteriani in sua confessione dicunt nullam humanam legem posse conjugiis contra legem divinam vim tribuere : at constat non omnes gradus Leviticos in Fœderatis aliquibus statibus impedimenta haberi. « In several of the United States, marriages within the levitical degrees, *under some exceptions*, are made void by statute. Kent ibid. (4) Can. lxvi. (5) Can. ii. (6) Can. xix.

interdictum factum inventum fuerit, separetur. »[1] In his omnibus decretis irrita declarantur hujusmodi conjugia : unde patet eam Præsulibus Ecclesiæ omni ætate insedisse persuasionem, sui juris esse impedimenta statuere, quæ obstarent ne valerent matrimoniales contractus contra vetitum attentati. Porro nefas est cogitare potestatem adeo constanter adhibitam carere fundamento.

84. *Probatur* 2. *ex Patrum testimoniis*. S. Basilius ait : « Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio divellatur. »[2] Canonici intelliguntur, juxta Balsamonem, qui virginitatem professi in canonem, catalogum scilicet monachorum vel cleri, referebantur.

85. S. Gregorius M. scriptis edocuit Augustinum quomodo cum Anglis ad fidem conversis, de matrimoniis gerere se deberet. Romanam legem qua permittebantur consobrinorum conjugia, imprimis emendat, subjungens : « Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam secunda quam diximus a se omnino debet abstinere : cum noverca autem misceri grave est facinus. »[3]

86. *Probatur* 3. *ratione theologica*. Quum Christus Præsulibus Ecclesiæ, amplissimis verbis, ligandi solvendique dederit auctoritatem, potestate prædiiti censendi sunt omnia statuendi quæ ad bonum regimen animarum pertinent : ad hoc autem plane spectat ea de matrimonio decernere quæ bonos mores fovent, et hominum salutem. Quæ concurrere debeant ut consensus legitimus habeatur, mores et salutem spectant. Ergo in his definiendis exercenda est Ecclesiæ potestas, quæ quum rata habenda sit in cœlo, Christo ita pollicente, valent coram Deo impedimenta dirimere contractum. Ecclesiam vero haud errasse in constituendis matrimonii impedimentis, ex Christi promissionibus inferimus, et re ipsa probamus : quæ enim statuit eo diriguntur ut morum et fidei integritas servetur.

Objectiones solvuntur.

87. *Obj.* 1. Christus nullibi legitur concessisse Ecclesiæ auctoritatem dirimentia impedimenta constituendi : potestas autem major est quam quæ ratiocinando statui possit.

88. *Resp.* Concessit Christus Apostolis amplissimam auctoritatem ligandi et solvendi; et eam, quam a Patre acceperat, summam potestatem, in vadimonium dedit ejus quam iis communicavit exercendam. Eos constituit sui ministros, et dispensatores mysteriorum divinorum, qui idcirco legatione pro ipso funguntur, ejus vices obeuntes in iis quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem. Jura matrimonii certe explicuit Paulus, et ea nixus auctoritate, quid liceret fideli, si infidelis nollet cum ipso habitare, declaravit. Non ratiocinando potestatem hanc statuimus; sed quam semper exercuit Ecclesia, ostendimus verbis Christi comprobari.

89. *Obj.* 2. Leges quas de matrimonio dedit Deus, tantum spectandæ sunt, nec aliæ adjungendæ, quæ, libertate nubendi minuta, peccandi periculum augent.

90. *Resp.* Leges illæ populo singulari datæ non obligant cæteras gentes; etenim Deus totam legem abrogatam voluit, Christo suam in terris Ecclesiam fundante. Penes rectores Ecclesiæ idcirco est ex veteri codice desumere, quæ omnium gentium conditioni accommodata videantur, eaque adjicere quæ specialia rerum adjuncta postulant.

91. *Obj.* 3. Quoties Ecclesiæ Præsu-

(1) Can. liv. (2) Can. vi.

(3) Ep. l. xii. ep. xxxi. ad Aug.

les tulerunt leges de matrimoniis, consueverunt Cæsarum operam postulare, ut vim haberent : quod indicium est eos nil per se posse. Sic Concilium Moguntinum a Carolo M. confirmationem eorum quæ de impedimentis statuerat petiit.

92. *Resp.* Non id semper fieri consuevit; sed libero plenoque jure decreverunt Præsules quæ ad matrimonium spectabant, adeo ut ipsi summi principes iis tenerentur legibus quæ fidelium omnium conjugia regebant. Profecto Gregorius V. anno 998 in synodo Romana Roberti Francorum regis cum Berta consanguinea matrimonium irritum pronuntiavit. Quandocumque autem regia implorabatur opera ad legibus ecclesiasticis vim tribuendam, effectus civiles spectabantur : nec enim nisi civili auctoritate probante poterant sanctiones illæ in judiciis rebusque civilibus obtinere.

93. *Obj.* 4. Liber duorum consensus de corporum suorum dominio, quod jure naturæ penes unumquemque est, non potest irritus fieri Ecclesiæ auctoritate.

94. *Resp.* Quicumque Baptismo lustrati fidem catholicam profitentur, cives sunt reipublicæ cœlestis, institutæ scilicet ut cives cœlo fruendo fiant idonei. In omnibus igitur quæ ad salutem spectant, supremæ auctoritati Ecclesiæ, quæ a Deo est, subduntur, et eorum voluntas, sicut et actus, sacro ejus imperio moderanda est. Penes eam est conditiones legitimi consensus definire, quæ si neglectæ fuerint, irritus erit. Profecto non ita potest unusquisque de suo corpore disponere, quod divinæ legis, vel ecclesiasticæ nulla habenda sit ratio.

95. *Obj.* 5. Ecclesia irritum declarando matrimonium libere contractum, solvit quod Deus conjunxit, Christo id vetante, et injuriam facit contrahentibus et proli. Ergo abutitur potestate in destructionem.

96. *Resp.* Deus haud conjunxisse censendus est eos qui leges ab Ecclesia latas spernunt. Quod si bona fide contraxerint, impedimenti haud conscii, potestas ecclesiastica plerumque exercetur dispensando ut valeant contrahere. Quæcumque forsan evenerint incommoda, nequeunt imputari Ecclesiæ, quæ sapientissimas et sanctissimas tulit sanctiones.

97. *Obj.* 6. Impedimenta illa ecclesiastica civili potestati injuriam faciunt: nam conjuges legitimi juxta patriæ sanctiones, adulterii, vel incesti in foro, uti aiunt, ecclesiastico habentur, et filii spurii.

98. *Resp.* Nulla fit civili potestati injuria; nam libera omnino et suprema in iis quæ ad ordinem et regimen politicum manet auctoritas : quod si cives cœlestis reipublicæ haberi velint, oportet ut servent Ecclesiæ instituta. Ea tantum conditione ejus privilegiis frui licet. Si igitur aliquando contingat aliquos *civiliter*, uti aiunt, esse conjunctos, quos obex impedit ne juxta legem Ecclesiæ conjungantur, civium terrenorum fruuntur juribus, amittunt cœlestia; non enim Dei judicium rerum externam speciem spectat, sed veritatem.

Propositio.

Civilis potestatis exercitium in matrimoniis dirimendis ultra civiles effectus non extenditur.

99. *Probatur ex rerum natura.* Civilis potestas eum in finem instituta est ut cives regat in iis quæ pertinent ad ordinem et salutem publicam. Quum igitur finis illi propositus sit civilis, ejus auctoritas tota intra eos limites consistit. Præterea non debet singulorum libertati detrahi in societate constituenda, nisi quatenus id exigit ipsa salus communis : præsertim quoad ea quæ naturæ jura præcipua videntur. At vero salus communis non exigit ut libertas matrimoniorum minuatur, quum satis præcaveantur mala ex ejus abusu, civilibus effectibus eorum quæ

contra leges inita fuerint, denegatis. Res vero præcipua et jus naturæ, ex quo pendet hominis felicitas, est nuptiarum libertas. Ergo huic detrahere nequit civilis potestas. Accedit quod Matrimonium fidelium sit Sacramentum, ideoque rectoribus Ecclesiæ permittitur ministrandum : qua ratione est extra civilem potestatem, quoad vim vinculi coram Deo.

100. Hinc Romana tribunalia constanter responderunt : « matrimoniis fidelium quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a sæculari potestate, Ecclesia non consulta, nec probante, perperam ac nulliter constituta. [1]

Objectiones solvuntur.

101. *Obj.* 1. Civilis potestas suprema est, et valet omnia efficere quæ ad reipublicæ salutem prosunt : maxime autem pendet salus publica ex matrimoniis. Potest ergo ea irrita declarare, quæ cum sui aut reipublicæ pernicie cives ineunt.

102. *Resp.* Potest ea irrita facere quoad omnes effectus civiles, qua ratione saluti publicæ et privatæ satis consulit. Ad externum regimen non spectat ulterius progredi, conscientias ligando vel solvendo, quæ soli Deo, et iis qui ab eo suam derivant auctoritatem, subduntur.

103. *Obj.* 2. Turpis foret discordia, si apud Ecclesiam valerent quæ irrita sunt et inania apud omnia patriæ tribunalia : ergo ipsa Ecclesiæ et reipublicæ salus communis postulat valere in utroque foro leges civiles quæ conjugia quædam nullius declarant valoris.

104. *Resp.* Nulla discordia vel lucta inter utramque potestatem intercedat necesse est, rebus, prout apud nos, compositis : nec enim Ecclesia aliquid facit quo legum civilium sanctiones frustra evadant : nec civilis potestas sese ecclesiasticis rebus immiscet, ut cogat nos conjuges in foro Ecclesiæ agnoscere, quos jura sacra a conjugii Sacramento repellunt.

105. *Obj.* 3. Plures leges Romanæ et Cæsareæ sanctiones quibus conjugia irrita declarabantur, vim habent in foro Ecclesiastico. Agnoscit Benedictus XIV. « a legibus civilibus inductum esse impedimentum ex cognatione legali, seu adoptione : imo impedimenti cognationis spiritualis primum monumentum reperiri in quadam Constitutione Justiniani Imperatoris. » Ita Carrière theologorum Gallorum placita referens.

106. *Resp.* Vim obtinuerunt in foro Ecclesiæ sanctiones civiles quæ æquæ visæ sunt, et dignæ quæ probarentur : rejectæ cæteræ sunt naturalibus juribus hominis adversæ. Sic quæ leges Romanæ statuebant de matrimoniis filiorumfamilias absque parentum consensu, et mancipiorum absque dominorum venia, utpote adversa juribus naturalibus, constanter rejecta sunt. [2] Cum Benedicto XIV. agnoscimus occasionem impedimenti ecclesiastici sanciendi posse ex lege civili oriri ; sed pernegamus legem civilem vim ullam in foro ecclesiastico per se habere, qua vinculum matrimonii coram Deo tollat.

107. *Obj.* 4. Lex civilis impedimentum statuendo tollit contractum civilem, qui nisi legitimus sit, nullus est : jam vero absque contractu nullum est matrimonium.

108. *Resp.* Absque contractu humano

(1) Vide resp. S. Pœnit. 1 Junii 1821, episcopo Viva, relatam apud Carrière vol. 1, p. III, § II c. II n. 579.

(2) Mirum, libertatem matrimonii, quam Ecclesia sanctissimis sanctionibus munivit, minutam a recentioribus legumlatoribus, qui Romanorum ethnicorum leges imitari maluerunt. Quanto melius singulorum juribus semper studuit Ecclesia !

et naturali, nullum est matrimonium; sed opus non est ut civili quadam forma induatur, ad materiem Sacramento præstandam. Christus non noscitur quid speciale de contractu decrevisse, sed qualis fuit ab initio eum sanxisse: quod quidem sapientiæ ejus consonum videtur, ne cum civilium rerumpublicarum legumque mutationibus materies Sacramenti varietur; vel hominum voluntas in iis quæ sunt juris naturalis civili potestati subjaceat.

109. *Obj.* 5. Lex civilis declarat conjugia irrita quocumque sub respectu, et ad fines quoslibet.

110. *Resp.* Fines civiles plane spectat lex, de conscientiæ negotiis parum solicita, quæ tota sunt dijudicanda juxta divinas et ecclesiasticas sanctiones. Ex ipsa legis natura, prout a jurisperitis celeberrimis traditur, hæc derivatur distinctio [1]

Animadversiones.

111. Vindicata Ecclesiæ potestate constituendi impedimenta dirimentia, quam civili potestati non competere ostendimus, liquet Ecclesiæ nomine intelligi ejus rectores, Præsules scilicet, præsertim Summum Pontificem. Voce ludebat Launojus, ea designari principes civiles affirmans. Sed quum res per se pateat, in ea vindicanda contra recentiorum quasdam cavillationes haud vacat immorari.

112. Canones Tridentinos de potestate Ecclesiæ in statuendis impedimentis dogmaticos esse, ex ipsis eorum verbis colligitur: nam anathema dicitur asserenti Ecclesiam potestate illa carere, vel in constituendis impedimentis errasse. Præmittuntur etiam verba quibus patres animum suum esse testantur, insigniores hæreses et errores exterminare. Ita etiam habet sensus totius Ecclesiæ.

113. Constat quoque patres Tridentinos locutos esse de potestate quæ Ecclesiæ inest, nec niti aliqua principum concessione vel assensu, ideoque contra mentem patrum hanc excogitatam hujus potestatis originem. Merito igitur Pius VI. damnavit Pistoriensem synodum solemni decreto, quod tota agnoscit Ecclesia: « Doctrina synodi asserens ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia; quod jus originarium præterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum, subjungens, supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii. — Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in Christianorum matrimoniis *jure proprio* impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in iisdemque dispensare, » damnatur ut « canonum iii. iv. ix. xii. Sess. xxiv. Concilii Tridentini eversiva, *hæretica*, » (prop lix.) « Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis impedimentum, quorum origo reperitur in collectione Justiniani; tum ut restringat impedimentum affinitatis, et cognationis ex quacumque licita, aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem numerandi rationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ. — Quatenus civili potestati jus attribuit sive abo-

(1) « Municipal law is a rule of *civil conduct* prescribed by the supreme power of a state. » Blackstone.

lendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiastica auctoritate constituta, vel comprobata : item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis, » declaratur ut « libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta. » (Prop. lx)

CAPUT VIII.

DE SINGULIS IMPEDIMENTIS.

114. Quam Ecclesiæ vindicavimus potestas duplici ratione exercetur, impediendo scilicet ne matrimonium ineatur licite, nisi certis positis conditionibus; vel ne omnino valeat contractus. *Impedientia*, uti jam diximus, ea vocantur impedimenta quæ obstant licitæ celebrationi matrimonii, quin vim ejus tollant, et quatuor numerantur : *Ecclesiæ vetitum*, *tempus*, *sponsalia*, *votum*. *Ecclesiæ vetitum* dicitur prohibitio ab Episcopo facta ne nuptiæ ineantur, quæ plerumque fit ob dubium de impedimento dirimente, ut tempus detur indagini.[1] *Tempus* per quod nuptiarum solemnitates prohibentur, est ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ exclusive, et a die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive.[2] Solemnitates autem dicuntur « nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. » Ita Rituale Romanum. Benedictio quæ prohibetur ea est quæ in Missa *pro sponso et sponsa* continetur. Licet igitur ritum in Rituali Romano præscriptum omni tempore peragere. Item permittitur sponsam absque pompa et solemnitate domum traducere, uti declaravit S. Congregatio Concilii.[3] Ratio cur solemnitates nuptiarum aliquando vetentur est quod jejuniorum tempore pœnitentiæ operibus vacandum sit, et in magnis Festis celebranda sint mysteria.

115. *Sponsalia*, scilicet mutua matrimonii promissio,[4] obstant ne alterutri cum alio præter eum cui fidem oppigneravit, liceat matrimonium inire. Aliquando fiunt cum solemnitate, testibus accersitis, et etiam parocho præsente; sed vim habent etiam clam facta, solis spondentibus præsentibus. Necesse tamen est ut fiant serio, animo se obligandi ad matrimonium ineundum, et ut mutuo acceptentur. Fieri non debent ante septennium,[5] nec revocari ante pubertatis annum,[6] qui decimus quartus maribus, decimus secundus fœminis censetur. Non valent nisi libere fiant, et de re licita; quapropter si matrimonium legibus Ecclesiæ vetetur, nemo potest sponsione se obligare ad illud ineundum, nisi dispensatione impetrata. Quæ ex metu injuste incusso fiunt sponsalia, vi omni carent.[7] Parentes pro filiis sponsalia censentur facere, quando hi præsentes non contradicunt.[8] Mutuo consensu solvi semper possunt; soluta autem non impediunt ne sponsi cum aliis ineant nuptias, dummodo non sint consanguinei sponsi in primo gradu.

116. *Votum* quarto loco dicitur obstare licitæ celebrationi matrimonii, quin illud dirimat. Intelligitur scilicet votum simplex a quolibet privatim emissum, vel publice, sed ab Ecclesia

(1) Cap. ii. de Mat. contract. contra interdictum Eccl. l. iv tit. xvii.
(2) Trid. Sess. xxiv. c. x. de ref.
(3) Decr. 10. Julii an. 1684.
(4) Leg. 1. §. de spons.
(5) Cap. vii. de desp. imp.
(6) Cap. iv. et v. de desp. imp.
(7) C. *Ex litteris* II. de desp. imp.
(8) Cap. unico de desp. imp.

in perpetuum non acceptatum. Illud non obstare valori matrimonii constat ex jure.[1]

117. Impedimenta *dirimentia*, quæ scilicet faciunt ut matrimonium initum non valeat, quindecim numerantur, quæ adjuvandæ memoriæ causa versibus continentur :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

118. *Error* circa personam, vel qualitatem quæ in substantiam personæ redundat, dirimit matrimonium jure ipso naturæ : nullus enim est contractus, ubi substantia ipsa rei ignoratur. Hinc non valuit Liæ cum Jacobo matrimonium, donec, fraude detecta, liberum consensum præstiterit. Valet tamen matrimonium, licet initum ex errore circa personæ dotes seu qualitates, quæ tamen substantiam personæ non afficiunt : puta si quis errore putavit puellam esse divitem, castam, sanam, bonæ indolis. Haud absimilia sunt legis civilis principia.[2]

119. *Conditio servilis* obstat ne valeant nuptiæ, quoties[3] ignorata fuerit a libero, qui cum mancipio contraxit : injuria enim quis censeretur consensisse conditione adeo sibi et proli iniqua. Si liber servam carnaliter cognoverit « postquam illam audivit esse ancillam, » ejus uxor habenda est.[4] Lex quippe canonica non obstat, si liber, jure suo utens, cum mancipio velit nuptias inire. In plerisque statibus Fœderatis lex civilis libertatis exercitium hac ex parte coercet : nec enim valent liberi cum servis, vel Indis, contrahere matrimonium; quod irritum proinde absque ulla judicii forma habetur.[5] Mancipia jure canonico idonea habentur ad contrahenda inter se matrimonia, etiam dominis invitis : agitur enim de jure naturali, et de suscipiendo Sacramento : « Sane juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu, neque liber, neque servus est a Sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; et si, contradicentibus dominis, et invitis, contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi. »[6] Leges civiles in statibus in quibus servitus viget, plenum conjugiorum arbitrium dominis dant, et gravissimis subjiciunt pœnis sacros ministros mancipiorum adstantes matrimoniis absque consensu dominorum in scripto.

120. *Votum* solemne quod dirimit

(1) Caput vi. *Qui clerici.*

(2) « It is said that error will, in some cases, destroy a marriage, and render the contract void, as if one person be substituted for another. This, however, would be a case of palpable fraud, going to the substance of the contract; and it would be difficult to state a case in which error simply, and without any other ingredient, as to the parties, or one of them, in respect to the other, would vacate the contract. It is well understood that error, and even disingenuous representations, in respect to the qualities of one of the contracting parties, as his condition, rank, fortune, manners, and character would be insufficient. The law makes no provision for the relief of a blind credulity, however it may have been produced. » Kent's Commentaries, vol. ii. part. iv. lect. xxvi.

(3) C. *Ad nostrum*, de conjugio serv.

(4) C. Propos.

(5) « By the Massachusetts Revised Statutes, 1835, all marriages prohibited by law on account of consanguinity or affinity, or when the former wife or husband is living, or when either party was at the time insane or an idiot, or between a white person and a negro, Indian, or mulatto, are declared to be absolutely void, without a decree of divorce, or other legal process. » Kent's Commentaries, vol. ii. Lect. xxviii.

(6) Cap. *Dignum est*, eodem tit.

matrimonium, illud dicitur quod emissum fuerit in Ordine religioso, et acceptatum in perpetuum ab Ecclesia; votorum enim solemnitas ex acceptatione huc pertinet : acceptatur autem, probato Ordine a Sede Apostolica, et perpetua obligatione votorum ex utraque parte, tum emittentis, tum Ecclesiæ cujus nomine suscipitur agnita. Jure novo speciali eadem vis tribuitur votis in Societate Jesu emissis, licet penes Superiores maneat subditos dimittere, et ideo deficit acceptatio in perpetuum.

121. *Cognatio*, sive *carnalis* ex sanguinis communione, quæ consanguinitas dicitur, sive *spiritualis* ex officio patrini vel matrini orta, sive *legalis*, ex perfecta alicujus in hæredem adoptione, dirimit matrimonium.

122. *Consanguinitas* est vinculum personarum, quarum una ab alia, vel ambæ ab eadem, tamquam a communi et propinquo stipite, generatione descendunt. Series generationum *linea* dicitur, *directa* quidem, si sermo sit de iis quorum unus ab alio descendit, filius ex. gr. a patre; *Collateralis* autem, quando de iis agitur qui tantum in stipite communi conjunguntur : fratres scilicet et consobrini in hac linea constituuntur. *Gradus* appellatur mensura distantiæ a stipite; fratres et sorores idcirco primo in gradu conjunguntur, consobrini, fratrum vel sororum filii, secundo in gradu, et sic deinceps. Quando inæqualis est gradus, remotior spectatur : attamen si alteruter uno tantum gradu a stipite distet, alter duobus, quamvis secundo gradu conjuncti dicantur, primum tamen attingunt : ex. gr. avunculus et neptis. Prohibitio nuptiarum inter consanguineos nititur reverentia quæ propinquis debetur, natura ipsa docente, et ad morum integritatem fovendam dirigitur : ex necessitudine enim, quæ inter propinquos intercedit, frequens foret peccandi occasio, nisi spes matrimonii tolleretur.[1] Præterea constat propinquorum conjunctione prosapiam facile deteriorem evadere, adeo ut imbecilles sæpe nascantur, vel etiam monstra prodeant : quapropter prohibitio generi humano servando idonea noscitur.[2] In linea recta nullus est vetito limes : nec enim quivis potest cum aliqua ex ejus posteris contrahere; sed in linea collaterali jure naturæ non excedit primum gradum.[3] Leviticæ prohibitiones non habent vim ullam in nova Lege, ideoque ex Ecclesiæ auctoritate quæ extant impedimenta derivantur. Ad quartum usque gradum extenditur prohibitio.

123. Cognatio *spiritualis* contrahitur jure ecclesiastico inter patrinos ac baptizatum, quem susceperunt e sacro fonte, et illius patrem et matrem; necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum.»[4] In Confirmatione cognatio contrahitur

(1) « These regulations, as far at least as they prohibit marriages among near relations, by blood or marriage, (for the canon and common law made no distinction on this point between connexions by consanguinity and affinity), are evidently founded in the law of nature; and incestuous marriages have generally (but with some strange exceptions at Athens) been regarded with abhorrence by the soundest writers and the most polished states of antiquity. Under the influence of Christianity, a purer taste and stricter doctrine have been inculcated; and an incestuous connexion between an uncle and niece has been recently adjudged, by a great master of public and municipal law, to be a nuisance extremely offensive to the laws and manners of society, and tending to endless confusion, and the pollution of the sanctity of private life. » Kent's Commentaries, vol. ii. p. iv. Lect. xxvi. n. 82.

(2) Mœchialogie p. 165. « Cette raison qui réprouve essentiellement les conjonctions incestueuses, c'est la forte probabilité ou plutôt la certitude relative de la dégénération physique et même morale de l'espèce humaine. »

(3) Kent's Commentaries, vol. ii. p. iv. Lect. xxvi. n. 84. (4) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. II.

inter confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem.[1] Ratio impedimenti est ut liberius officia quæ suscipiunt sponsores obeantur, sublata spe matrimonii, ideoque tentationum occasione minuta.

124. Cognatio *legalis* est propinquitas a legibus statuta ob perfectam adoptionem, qua extraneus ad hæreditatem et filii jura adsumitur. Dirimit matrimonium inter adoptantem et adoptatum, posterosque adoptati usque ad quartum gradum; item inter uxorem adoptantis et adoptatum, et inter uxorem adoptati, et adoptantem; denique inter adoptatum, seu adoptatam, et filios legitimos, aut filias adoptantis, quamdiu manserint in patria potestate. Patre autem mortuo, vel filiis sui juris factis, matrimonium iniri potest eos inter et adoptatum.[2] Impedimentum hoc propinquitate quam leges agnoscunt innititur, sed ex Ecclesiæ eam sancientis totam vim desumit.

125. *Crimen* homicidii, vel adulterii, vel utrumque, obstat ne valeat matrimonium inter reos. *Homicidium* communi consilio patratum, ut via nuptiis paretur, licet alterutrius tantum opera, impedit ne matrimonium ineatur, ob quod patratum est.[3] *Adulterium* patratum, data fide de nuptiis post conjugis mortem ineundis, impedit ne valeant, quoties ante vel post adulterium facta est promissio, adeo ut cum eo videatur conjungi.[4] Matrimonium attentatum, et consummatum, priore conjuge in vivis, et utroque reo conscio vinculi, vim hujus impedimenti obtinet.[5] *Adulterium cum homicidio* inducit impedimentum, quando alteruter conjugem occidit, ut nuptias cum adultero conciliet.[6] Impedimentum hoc vim obtinet, si alteruter fuerit baptizatus,[7] secus si uterque baptismo careat.

126. *Cultus disparitas* est impedimentum ex defectu baptismi, quo fit ut baptizatus cum infideli, scilicet non baptizato, nequeat contrahere nuptias. Primordiis Ecclesiæ prohibita sunt fœdera hujusmodi: « Nolite jugum ducere cum infidelibus; »[8] at valuerunt, imo consuetudine ita invaluerunt, ut plerisque haud illicita viderentur.[9] Cæterum diffusa religione christiana, a sæculo forsan sexto irrita habita sunt.

127. Matrimonia Catholicorum cum hæreticis baptizatis nulla lege dirimuntur, sed vetita sunt antiquis canonibus, quorum observantiam sæpissime inculcarunt Summi Pontifices. Vetiti ratio manifesta est quod in re sacra non liceat cum hæretico communicare: Matrimonium autem Sacramentum est. Deinde discrimini se objicit Catholicus conjugia illa ineundo, quum et sibi et proli non facile consulatur de muniis religionis. Iniquum autem prorsus foret salutis suæ vel suorum abjicere curam. Concilium Eliberitanum Apostoli verba ad suam sanctionem, qua hæc vetantur connubia, firmandam adducit: « Hæretici si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas esse puellas, sed neque Judæis, neque hæreticis, dare placuit: eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.»[10] Laodicenum Concilium decrevit: « Eos qui ad Ecclesiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptiis minime sociare debere. »[11] Chalcedonenses patres: « Sed neque copulari debet nuptura hæretico, aut Judæo, vel

(1) Conc. Trid. Sess. xxiv. c. II.
(2) Cap. unico. de cogn. leg.
(3) Cap. *Laudabilem*, de convers. infid.
(4) C. *Relatum* 31, qu. 1.
(5) C. *Significavit* 2, c. Lit. 4, c. *Cum haberet* 5, et c. *Si quis* 8. De eo qui duxit in mat.
(6) Cap. iii. et vi. De eo qui duxit.
(7) C. i. de convers. infid. (8) II. Cor. vi. 14.
(9) Aug. conf. l. ix. c. ix.
(10) Can. xvi. (11) Can. x.

pagano; nisi forte promittat se ad orthodoxam fidem persona orthodoxæ copulanda transferre. Si quis hanc definitionem sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subjacebit.»[1]

128. Plurima a Summis Pontificibus statuta sunt, ut veteres illi canones sancte servarentur. Aliquando quidem speciali indulgentia permiserunt nuptias hujusmodi fieri, conditionibus quibusdam appositis, quibus prolis catholicæ educationi præcipue consulebatur. Sed ut omnes intelligant quam aliena sit Ecclesia ab hujusmodi connubiis, adeo plenis periculi, et a sanctitate Sacramenti abhorrentibus, solent jubere « ne unquam mixta hæc connubia intra sacri templi ambitum perfici sinat (*parochus;*) et ut ab impertienda contrahentibus sacerdotali benedictione, et a recitandis precibus in Romano Rituali præscriptis pro celebratione nuptiarum omnino abstineat.» Permittunt scilicet ei « materiali tantum præsentia adesse, perinde ac si unice ageret partes testis, ut aiunt, qualificati sive auctorizabilis. »[2] Disciplinam hanc novissime vindicavit Archiepiscopus Coloniensis, quem et secutus est Archiepiscopus Posnaniensis, uterque ærumnis et exilio gloriosus, Borussorum regi, extra civilis potestatis limites excurrenti, fortiter et modeste, prout Ecclesiæ Præsules decet, repugnans. Utinam et nobis contigerit sancta servare jura, et fidelium saluti, quæ infaustis connubiis toties periclitatur, consulere! Porro quo loco habeamur a sectariis liquet, quum nos veluti idololatras traducant, a quorum consortio abhorrendum sit.[3]

129. *Vis* impedit quin valeat matrimonium, quoties tanta est quæ gravem incutit timorem.[4] Puella minis aut improperiis patris ad connubium adacta, vinculo conjugii non ligatur, nisi deinceps, noscens priorem consensum haud valere, libere consentiat.[5] Qui ex metu ne propinqui vitiatæ puellæ ulciscantur injuriam, eam ducit, ejus maritus vere censendus est, nisi mors, vel gravissimum supplicium, extra justitiæ ordinem, intentatum ei fuerit ad extorquendum consensum.[6] Ut libertati matrimoniorum consuleret Synodus Tridentina, vetuit dominis temporalibus ac magistratibus, omnibusque « sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte, subditos suos, vel quosumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant. »[7]

130. *Ordo* sacer susceptus impedit ne valeat matrimonium postea attentatum, Ecclesia irritum illud decernente, uti jam vidimus.[8]

131. *Ligamen*, vinculum scilicet prioris matrimonii, facit ut non valeat matrimonium postea attentatum, priore conjuge adhuc in vivis, licet mortua censeatur. Nulla absentia, quamvis diuturna, nec bona fides potest efficere ut novæ valeant nuptiæ, viva priore conjuge. Hinc Clemens III. interrogatus: « quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivitatis, vel peregrinationis absentes, ultra septennium præstolatæ fuerint: nec certificari pos-

(1) Can. xiv.

(2) Vide Pii VII. Breve: «*Etsi fraternitatis*;» ad Archiep. Mogunt. anno 1803.

(3) « Such as profess the reformed religion should not marry with infidels, Papists, or other idolaters. » Presbyterian confession of faith, ch. xxiv. n. 3.

(4) « A marriage procured by force or fraud, is also void ab *initio*, and may be treated as null by every court in which its validity may be incidentally drawn in question. The basis of the marriage contract is consent, and the ingredient of fraud or duress is as fatal in this as in any other contract, for the free assent of the mind to the contract is wanting. » Kent's Commentaries, p. iv. Lect xxvi.

(5) Cap. *Ad id.* 21. de Sponsalibus.

(6) C. *Veniens*, de Sponsal.

(7) Sess. xxiv. cap. ix. de ref.

(8) Tract. de Ord., c. xii. de sacro Cœlibatu. p. 318.

sunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc solicitudinem adhibuerint diligentem : et pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari; » respondit : « Quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare : nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. »[1] Leges civiles in quibusdam statibus triennii absentiam causam ligaminis solvendi definiunt, et novum permittunt matrimonium, divortio vinculi concesso.[2]

132. *Honestas publica* vocatur impedimentum ortum ex sponsalibus valide initis cum persona consanguinea in primo gradu, matre scilicet vel sorore sponsæ, vel patre vel filio sponsi. Oritur etiam ex matrimonio rato, quod consummatum non fuerit, et ad quartum gradum extenditur.[3] Sponsalibus juste solutis, manet impedimentum, adeo ut ne quidem ex sponsæ consensu possit sponsus ejus sororem ducere, absque dispensatione.[4] Ex sponsalibus autem invalidis nullum oritur impedimentum.

133. *Amens* non valet matrimonium inire : necesse enim est consensum præstare, natura contractus cognita. Qui ad tempus insaniunt, valide contrahunt iis temporum intervallis in quibus sunt sui compotes. Consonant leges civiles.[5]

134. *Affines* non possunt matrimonio conjungi intra quartum gradum, si affinitas oriatur ex copula licita;[6] si ex illicita, impedimentum restringitur intra primum et secundum gradum,[7] ne occultis dirimendi matrimonii causis multiplicatis, incertum sæpe foret. Qui conjugis alterutrius consanguinei sunt, alteri censentur affines : sed *affinitas non parit affinitatem*, ideoque affines alterutrius conjugis non sunt alteri quoque affines. Impedimentum hoc oritur ex lege ecclesiastica, et institutum est ad mores integros fovendos, quum affines plerumque sint familiares, et tentationibus idcirco obnoxii, nisi spes tolleretur matrimonii. Qui vetitas cum consanguineis vel affinibus ineunt nuptias, separandi sunt, absque spe dispensationis,[8] quam tamen eis pœnitentibus concedit sæpe benigna Mater Ecclesia.

135. *Clandestina* matrimonia dicuntur quæ clam attentantur, remotis arbitris, seu, juxta disciplinam Tridentinam, « aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi aut Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus. » Hæc disciplina in diœcesi S. Ludovici obtinet, ex eo quod decretum promulgatum fuerit in tota

(1) Cap. xix. de Sponsalibus.

(2) « In New Hampshire, joining the religious society of the Shakers, who hold cohabitation unlawful, and continuing in that society for three years, is a sufficient cause for a divorce. Dyer v. Dyer, 5 *New Hampshire Rep.* 271. In Connecticut, divorce a *vinculo* applies to cases of adultery, and fraudulent contract, and wilful desertion for three years, with total neglect of duty, or seven years absence and unheard of. *Statute Code* 1702. In Ohio the Supreme Court is authorized to grant a divorce, if either party had a former husband or wife living at the same time of the second marriage, or where either party is wilfully absent from the other for three years. » Kent's Commentaries, xxiii. Lect. xxvii. n. 105. note.

(3) Vide S. Pii V. Constit. *Ad Romanum*, et cap. i. de Sponsal. in 6.

(4) Vide Decr. S. Cong. Conc. 6 Julii 1658, probatum Alex. VIII.

(5) « All persons who have not the regular use of the understanding, sufficient to deal with discretion in the common affairs of life, as idiots and lunatics, except in their lucid intervals, are incapable of agreeing to any contract, and of course to that of marriage. » Kent's Commentaries vol. ii. Lect. xxvi. n. i.

(6) Cap. *Non debet*, de Consanguin.

(7) Conc. Trid. Sess. xxiv. cap. iv. de ref. mat.

(8) Ibidem cap. v.

ditione Hispanica: sed Apostolica Sedes quædam indulsit ob specialia locorum adjuncta, quæ ex Statutis diœcesanæ synodi quam tenuit ante paucos annos Episcopus egregius Joseph Rosati, desumenda sunt. In diœcesi Neo-Aureliæ et Mobiliensi pari de causa obtinere censenda est; sed Præsulum auctoritas est attendenda. In plerisque diœcesibus non viget, quum Concilii patres noluerint decretum vim obtinere nisi triginta diebus elapsis post ejus promulgationem, et apud nos promulgatum non fuerit. In locis in quibus non viget, valent matrimonia solo contrahentium consensu, quamvis deficiente probatione in foro externo non agnoscantur. Cæterum graviter illicita sunt, quoties sacerdotis ministerium negligitur. Lex civilis plerisque in statibus omnia sancit connubia quæ coram præcone, vel magistratu, vel sacerdote fiunt; et secretorum fœderum probationes admittit.[1]

136. *Impotentia* ad conjugium naturalis omnem vim contractui adimit. *Absoluta* est quæ omnes respicit personas: *relativa*, quæ inter quasdam personas intercedit: *temporalis*, quæ ad tempus durat: *perpetua*, quæ tolli nequit. Impedimentum hoc jure naturæ nititur: nec enim natura sinit ut contractus ineatur ab iis qui nequeunt primariam ejus conditionem ponere. Si dubium sit, datur triennii experientia, ne temere solvatur tanti momenti contractus.[2] Civiles leges plerumque hoc agnoscunt impedimentum,[3] quod in statu Neo-Eboraceno non obtinet,[4] sicut nec in codice Napoleonis.

137. *Rapta mulier* nequit matrimonium cum raptore inire, nisi in loco tuto et libero constituta, ipsa consentiat: rapta autem dicitur quando invita vi abducta est, ut matrimonium contrahere cogeretur. In raptores pœnæ gravissimæ æque ac justissimæ a Concilio Tridentino statutæ sunt: « Raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. »[5]

Quum singula explicare impedimenta, et accommodare casibus qui occurrunt, Ethices sit provincia, hæc quæ raptim diximus ad rem nostram sufficiant.

Animadversiones.

138. Quæ retulimus impedimenta alia naturæ jure innituntur, alia solis ecclesiasticis sanctionibus. Quæ ex errore, et amentia desumuntur naturalia sunt impedimenta, quæ tollunt consensum. Impotentia est quoque impedimentum naturale. Consanguinitas primo gradu collaterali fratres inter et sorores ad jus naturale refertur, in quod nil potest Ecclesia. Ligamen desumitur ex jure naturæ, Christo sanciente. Cætera pleraque a legibus Ecclesiæ derivantur, a qua proinde tolli possunt. Immerito igitur Henrici VIII. nuptiæ cum Catharina Austriaca, vidua Arthuris fratris Henrici, celebratæ ex dispensatione Julii II, in quæstionem vocatæ

(1) « It is not necessary that a clergyman should be present to give validity to the marriage, though it is doubtless, a very becoming practice, and suitable to the solemnity of the occasion. The consent of the parties may be declared before a magistrate, or simply before witnesses, or subsequently confessed or acknowledged, or the marriage may even be inferred from continual cohabitation, and reputation as husband and wife. » Kent's Comm. p. iv. Lect. xxvi. n. 88.

(2) Cap. vi. *de frigidis.*

(3) « The courts in Massachusetts, Delaware, Ohio, North Carolina, Alabama, and probably in other states, are authorized by statute to grant divorces causa impotentiæ. » Kent's Comm. vol. ii. Lecture xxvii. n. i.

(4) Ibidem.

(5) Sess. xxv. cap. vi. de Ref.

sunt, quum ageretur de impedimento mere ecclesiastico.

139. Summi Pontifices, pro ea quam a Christo acceperunt auctoritate, ab omnibus impedimentis mere ecclesiasticis valent dispensare: Episcopi autem nonnisi juxta speciales sibi datas facultates, vel pro rerum necessitate in occultis impedimentis, quando non potest recurri ad Pontificem. Quum amplissimæ soleant Episcopis Fœderatarum provinciarum concedi, necesse non est jus aliquod controversum nobis vindicare: sed præstat S. Sedis juribus cum debita reverentia servatis, tutum insistere concordiæ iter.

140. Quum vis matrimonii *coram Deo* pendeat, uti vidimus, ex Ecclesiæ legibus quibus consensus contrahentium regitur, liquet ad ecclesiasticos judices spectare causas matrimoniales, in quibus de ejus valore agitur. Eorum est igitur judicare quandonam divortium a vinculo dandum sit, eo quod irritum sit matrimonium; et etiam quandonam divortium a toro *liceat*. Hinc Tridentini patres definierunt: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit. »[1] Quæ fiunt judicia apud tribunalia civilia, respiciunt, uti supra explicuimus, civilia onera, ligamina, et injurias, potius quam intrinsecam rerum honestatem. Id tamen addemus, bonis moribus parum favere quod causæ matrimoniales ad publica deferantur tribunalia, quum ea plerumque sit rerum quæ proferuntur natura qua pudor læditur. Ubi tribunalia ecclesiastica agnoscuntur, judex civilis de valore matrimonii eorum sententiam sequitur, quando de dote, vel oneribus agendum est:[2] qui tamen apud nos de omnibus pleno veluti jure decernit, nulla habita ratione potestatis ecclesiasticæ.

Hæc strictim de Matrimonio diximus, plurimis prætermissis, vel leviter indicatis, quæ fusius exponere instituti nostri ratio non exigebat. Jam de Sacramentis in universum agendum est.

(1) Sess. xxiv. can. xii.

(2) Barbosa, de off. et pol. ep. p. iii. Alleg. lxxxiv.

TRACTATUS XIX.

DE SACRAMENTIS IN UNIVERSUM.

PRÆNOTANDA.

1. Quum de singulis egerimus Sacramentis, jam quæ ad omnia spectant in unum colligenda sunt, et ea statuenda principia quæ omnibus conveniunt. Vera Sacramenti novæ Legis notio est quam ab initio tradidimus, ritus scilicet a Christo institutus, pignus et instrumentum gratiæ : habet enim ex divina institutione vim sibi insitam efficiendi sanctitatem et justitiam quam significat, uti recte docet Catechismus Romanus. Quam longe præstet veteris Legis ritibus, qui nonnunquam sacramenta vocantur, inde liquet : nam vim nullam intrinsecam habebant, sed pertinebant ad Dei cultum, et commemorabant nonnunquam divinitus collata beneficia, simul indicantia futurum Redemptorem : « Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti. »[1] Circumcisio Abrahæ injuncta populum Dei a cæteris discernebat gentibus, et spem Redemptoris ex genere Abrahæ fovebat : nam in semine Abrahæ benedicendæ erant omnes gentes; cæterum nullam, ut videtur, impertiebatur justitiam. E contra Baptismus abluit peccata, novamque tribuit in Christo vitam.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NUMERO.

2. Septem esse novæ Legis Sacramenta ex Tridentini Concilii auctoritate tradidimus, et singula, Scriptura et traditione nixi, probavimus Juvat vero ipsam definitionem Tridentinam recitare, et generalibus quibusdam argumentis confirmare, ut uno veluti intuitu omnia habeant lectores perspecta. « Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum ; anathema sit. »[2]

(1) Rom. x. 4.

(2) Sess. vii. de Sac. can. ii.

Propositio.

Septem sunt novæ Legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora.

3. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Baptismum fuisse a Jesu Christo institutum liquet ex mandato Apostolis dato: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. »[1]

4. Confirmationem Christum habere auctorem colligitur ex Actis Apostolorum, in quibus legimus Apostolos fidelibus baptizatis manuum impositione dedisse Spiritum Sanctum : quod nisi Christo auctore facere non poterant : « imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. »[2]

5. Eucharistiam instituit Christus post cœnam paschalem ; quum enim panem in manus sumpsisset, et fregisset, benedicendo dixit : « Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. » Poculum deinceps manu prehendens, dixit : « Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. »[3]

6. Pœnitentiæ instituit Sacramentum, potestate remittendi vel retinendi peccata data Apostolis : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. »[4] Potestatis hujus exercitium necessario postulat ritum externum, judicii instar ; est enim ab hominibus exercenda in homines, causa utique cognita, ne temere et perperam exerceatur.

7. Extremæ Unctionis Sacramentum ex B. Jacobi Apostoli monito et mandato colligimus : « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, remittentur ei. »[5] Unctio hæc periclitantium vita, cui peccatorum venia promittitur, ritus sit necesse est Christum habens auctorem ; ipsius enim est gratiam ei adnectere.

8. Ordinem Sacramentum esse ex D. Paulo colligitur : manuum enim impositione gratiam et potestatem ad sacra munera tradi docet. Ad Timotheum scripsit : « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. »[6]

9. Matrimonium esse Sacramentum colligitur ex sanctione vinculi quod solvi nequit, Christo dicente : « Quod Deus conjunxit, homo non separet : »[7] et ex sacra ejus significatione, quam explicat Paulus, magnum in eo latere mysterium conjunctionis Christi cum Ecclesia affirmans : « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. »[8]

Quæ Patres de singulis Sacramentis tradidere jam recitavimus, adeo ut opus non sit in eorum doctrina probanda immorari.

10. *Probatur* 2. *celebri præscriptionis argumento.* Equidem sextodecimo sæculo ineunte septem agnoscebantur Sacramenta per totam qua late patebat Ecclesiam : imo et apud Græcos schismate a Latinis per sæcula plura divulsos. De Græcorum doctrina dubitari nequit; habentur enim insignia ejus documenta. Jeremias patriarcha Constantinopolitanus, suorum nomine agnovit « in ea ipsa Catholica et Orthodoxa Ecclesia septem Sacramenta esse, Baptismum scilicet, sacri unguenti Unctionem, sacram Communionem,

(1) Matt. xxviii. 19.
(2) Act. viii. 17.
(3) Luc. xxii. 19. 20.
(4) Joan. xx. 22.
(5) Jac. v. 24.
(6) II. Tim. i. 6.
(7) Matt. xix. 6.
(8) Eph. v. 32.

Ordinationem, Matrimonium, Pœnitentiam, et Extremæ Unctionis oleum.»[1] Euchologia Græcorum id confirmant; quod et de sectis omnibus Orientalibus dici potest: omnes enim septem Sacramenta prædicant.[2] Jam vero quum ex illis nonnullæ, a quinto saltem sæculo, a Latinis divulsæ sint, necesse est ut septem agnita fuisse Sacramenta ante dissidia credamus. Sacramentaria antiquissima Latinorum[3] et Græcorum[4] vetustam fidem ab ipsis primordiis Ecclesiæ provenientem testantur. Concilia Londinense anno 1237, Exoniense anno 1287, Coloniense anno 1280, et Claromontanum anno 1269, septem Sacramenta recensent, sicut et decretum pro Armenis, in Concilio Florentino, anno 1439, editum ab Eugenio IV. Hæc documenta Conciliorum, et Sacramentaria ad magnam nos reducunt antiquitatem, quam superat tamen fides ex Orientalium sectarum cum Ecclesia consensione deducta. Jam vero doctrina quæ certis probatur documentis, et cujus origo posterior Apostolica ætate ostendi nequit, merito ad Apostolos refertur, juxta præstantissimum Augustini effatum: « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur. »[5]

Objectiones solvuntur.

11. *Obj.* 1. Scriptura nullibi septem Sacramenta esse tradit, nisi de iis placeat intelligere illud Apocalypsis: « Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem. »[6]

12. *Resp.* Septenarium numerum Sacramentorum non tradit Scriptura, quum instar catechismi, vel fidei confessionis non sit: cæterum ipsa tradit Sacramenta, uti ex dictis constat. Quod si cui testimonia de singulis rem conficere non videantur, traditionis divinæ documenta eam extra omnem dubitationis aleam ponunt. Impie autem lusit Kemnitius in voce *sacramenti*, illud Apocalypsis, de arcano quod septem capitibus bestiæ significabatur, ad sancta hæc instituta transferens, contra sacri scriptoris explicationem: « Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. »[7]

13. *Obj.* 2. Aqua et sanguis quæ ex Christi latere profluxerunt, Sacramenta Ecclesiæ indicare passim dicuntur a Patribus, qui proinde nonnisi Baptismum et Eucharistiam agnoverunt.

14. *Resp.* Patres non docuerunt numerum Sacramentorum iis indicari, sed ea habuerunt veluti aptissima symbola divinæ virtutis quæ a Christo derivata in Sacramentis claret. Sic Ambrosius: « Aqua et sanguis exivit: illa quæ diluat, iste qui redimat. »[8] Quod si Baptismi et Eucharistiæ præsertim imagines in iis perspexerint, id non obstat aliis Sacramentis, quorum vis e sanguine Christi pariter derivatur. Cæterum mysticis interpretationibus non est inhærendum, quum sint potius certis fidei documentis accommodandæ.

15. *Obj.* 3. Patres antiquissimi Justinus, Irenæus, Tertullianus, nonnisi duo commemorant Sacramenta.

16. *Resp.* Pro occasione Patres commemorant Sacramenta, nec numerum definiunt, sed variis in locis singula tradunt. Ad Justini scopum non perti-

(1) Censura confess. Luth. sibi oblatæ an. 1575. Vide etiam Conc. Constantinopolitanum anno 1638 et aliud anno 1642, Primate Russiæ assidente; aliud quoque anno 1672.

(2) Vide Assemannum Compendio Storico Vol. iii. Ven. 1736.

(3) Apud Martenium de antiquis Ecclesiæ ritibus.

(4) Apud Allatium de perpetua Occid. et Orient. Eccl. consens.

(5) L. iv. de Bapt. contra Donat. c. xxiv. n. 3.

(6) Apoc. xvii. 7.

(7) Ibidem 9.

(8) L. x. in Luc. n. 132.

nebat omnia christiana instituta evolvere: calumnias enim ethnicorum de infandis sceleribus Christianorum satis refellit, ostendendo quomodo initiarentur, et quid in sacris conventibus fieret, mysteriis divinis celebratis. Baptismum idcirco et Eucharistiam exposuit Irenæus pariter ex occasione ea explicuit, sed et de Pœnitentia locutus est, confessione peccatorum occultorum etiam commemorata.[1] Tertullianus pleraque recensuit: « Caro abluitur ut anima emaculetur, caro ungitur ut anima consecretur; caro signatur ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro Corpore Christi et Sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur. »[2]

17. *Obj.* 4. Cyrillus Hierosolymitanus, et Ambrosius, vel alius perantiquus auctor, de Sacramentis ex professo egerunt, et tamen pleraque quæ hodie celebrantur prætermiserunt, nonnisi Baptismo et Eucharistia commemoratis, chrismate autem tamquam Baptismi ritu quodam indicato. Scriptor hic se omnia quæ ad Sacramenta pertinent exposuisse profitetur: « Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia. »[3]

18. *Resp.* Edocebat uterque catechumenos de Sacramentis brevi suscipiendis: die scilicet eodem consueverant tria illa ministrari. Chrismati autem pariter ac Baptismo et Eucharistiæ Sacramenti rationem inesse perspicuo tradunt. De iis loquitur scriptor ille Ambrosii sub nomine latens, dum dicit se plenissime omnia tradidisse; nec enim ultra propositum verba ejus extendenda sunt.

19. *Obj.* 5. Augustinus duo tantum commemorat Sacramenta: « Pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus, et Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, et celebratio Corporis et Sanguinis Domini. »[4]

20. *Resp.* Hæc veluti exempla refert Augustinus, quin alia excludat: nam alias agnoscit chrisma in genere signaculorum esse sacrosanctum, sicut est ipse Baptismus; et Ordinem vocat Sacramentum, eum cum Baptismo conferens. Dicit etiam: « Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis. »[5]

21. *Obj.* 6. Ex voce Sacramenti quam Patres aliquando usurpant de aliis præter Eucharistiam et Baptismum ritibus, non potest inferri eos Sacramentis a Christo institutis accenseri; constat enim eam latissime sumi pro signo quolibet sacro.

22. *Resp.* Voce non innitimur, quamvis sua sit ei vis; præsertim quum eodem veluti spiritu Baptismo et ritibus de quibus quæstio accommodetur, et gratia dicatur suscipientibus tribui. Ex toto sermone rituum de quibus quæritur natura et vis colligitur.

23. *Obj.* 7. Lotio pedum æque dici posset sacramentum ac cætera quæ Baptismo et Eucharistiæ adjiciuntur: nam Patres eam ita vocant. « Audi, » inquit auctor librorum de Sacramentis, « quia mysterium est et sanctificatio: « Nisi lavero tibi pedes, non habebis » partem mecum. »[6] Bernardus etiam *in Cœna Domini* loquens, ait: » De tribus itaque sacramentis quæ satis sunt congrua huic tempori, Baptismo nimirum, Eucharistia, et lotione pedum, dicendum erit. »[7]

24. *Resp.* Mysterium in lotione illa latere recte docet venerabilis ille scri-

(1) L. i. adv. hær. c. ii. et l. iii. c. iv.
(2) L. de resur. carnis.
(3) De Sac. l. vi. cap. ii. n. 5.
(4) De doct. Christ. l. iii. c. ix.
(5) Enarr. i. in Ps. ciii. (6) L. iii. de Sac. c. 1.
(7) Serm. in Cœna Domini.

ptor, quum indicet animam necessario a Christo mundandam, ut partem cum ipso habeat. Cæterum agnoscit varios esse mores Ecclesiarum de pedum lotione; quæ varietas de Sacramento admitti non posset. « Consuetudo quæ rectius servatur in Romana Ecclesia de non lavandis pedibus, in Mediolanensi Ecclesia de ipsis lavandis etiam recte custoditur, tum propter exemplum Christi et Petri, tum ut gratiam virtute humilitatis et Christi imitationis obtineat. » Bernardus licentia quadam sermonis utitur, lotionem vocans sacramentum; sed ex contextu mens ejus patet : dicit enim multa esse sacramenta, ideoque se de tribus tantum tunc locuturum : « Multa quidem sunt sacramenta, et scrutandis omnibus hora non sufficit. » Cæterum videtur confessionem qua peccata abluuntur, lotione illa indicatam intellexisse; nam citat verba Joannis : « Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate. » Deinde pergit : « Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus sacramentum, pedum ablutionem. »

25. *Obj.* 8. Græcorum et Orientalium consensio Latinis non suffragatur; nam occasione bellorum crucesignatorum, Latinorum placita apud eos obtinuerunt, quamvis non apud omnes, nec enim hodie ab omnibus agnoscuntur, si fides sit ipsis Catholicis missionariis.

26. *Resp.* Ex historia illorum temporum liquet quo studio Græci placita sua retinuerint, et quæ Latinis conflata sit invidia. Difficultas aliquid novi apud eos inducendi rituum diversitate aucta est. Præterea antiquissima eorum Euchologia et documenta omnia vetustam testantur fidem. Quod Catholici quidem missionarii de nonnullorum Sacramentorum neglectu apud Græcos aliosve questi sint, contigit ex rituum diversitate : re tamen diligenter investigata, prolatis tabulis, omnis dubitandi ratio sublata est.

27. *Obj.* 9. Cyrillus Lucaris, Patriarcha Constantinopolitanus, juxta Ecclesiæ suæ fidem, testatus est duo tantum esse Sacramenta.

28. *Resp.* Corruptus erat auro Batavorum, ut patriam proderet fidem; sed brevi impietatis pœnas persolvit. Ejus fraudem Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus detexit, eique in synodo Hierosolymitana anno 1672 anathema idcirco dictum est. « Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex apostolica traditione, praxique perpetua septem Ecclesiæ Sacramenta. »

29. *Obj.* 10. Plures doctores scholastici Sacramenta Confirmationis et Extremæ Unctionis ab Apostolis instituta esse censuerunt; imo Confirmationem nonnisi a Concilio Meldensi sæculo nono institutam docuit Alexander Alensis. Alii negarunt Matrimonium conferre gratiam.

30. *Resp.* Omnes doctores scholastici septem agnoverunt Sacramenta; sed nonnulli de institutione eorum inquirentes, putarunt Confirmationem et Extremam Unctionem non fuisse a Christo Domino *immediate* institutas : quæ tamen ab Apostolis juxta potestatem sibi commissam statuta censuerunt. De sententia Alexandri Alensis non sumus adeo soliciti, quum facile contingat doctorem privatum errare. Inopia veterum documentorum, qua sua ætas laborabat, existimavit Alexander chrisma, in quo essentiam Confirmationis reponebat, esse institutum ex Spiritus sancti instinctu in Concilio Meldensi. Quod Durandus Matrimonii Sacramentum esse remedium concupiscentiæ, potius quam gratiæ subsidium, censuerit, contigit quin negaret gratiam eo conferri

Animadversiones.

31. Fides docet Christum esse Sacra-

mentorum auctorem; sed *immediata* institutio omnium in quæstionem olim vocata est, quamvis jam obtineat. Equidem non constat Apostolis tantam a Christo traditam esse potestatem ut gratiam signo visibili adnecterent, quum ipsi nonnisi ministros et dispensatores se exhibeant : « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. »[1] Vetus ille auctor librorum de Sacramentis ait : « Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? »[2] Augustinus etiam ad Christum ea refert : « Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberæ multitudinis, continerent. »[3]

32. *Materia* Sacramentorum dicitur res adhibita in iis conficiendis, vel actus sensibilis eorum effectum minus perfecte significans. Sic aqua materia est Baptismi : panis et vinum materia sunt Eucharistiæ : oleum materia est Extremæ Unctionis. In quibusdam autem Sacramentis actus sensibilis locum habet materiæ. In Pœnitentia, quum instar judicii sit, actus pœnitentis, confitentis peccata et pœnas amplectentis, materia habentur, vel quasi materia. In Matrimonio, pro ratione contractus, uti plerisque placet, corpora sunt materia circa quam versatur : alii consensum ipsum materiæ locum habere dicunt, acceptationem esse formam. *Forma* est verborum series, quibus materia ad Sacramentum definitur. Aliquando alia signa verborum vim obtinent, uti mutis nubentibus. Lutherus omnem vim fidei tribuens, Sacramentis nullam inesse putavit, sed ea tantum inservire ut excitetur fides. Verba igitur Sacramentorum instar concionis habuit : quæ sentiendi ratio Calvino, cæterisque novatoribus arrisit. Narrationis etiam formam præseferunt : refert scilicet minister quid fecerit vel jusserit Christus, non ipse aliquid conficere censetur. Ea ratione recitant Episcopales instituti Sacramenti historiam, cui tamen adnectunt invocationis formulam.

33. Veteribus omnibus alia omnino verborum quæ in Sacramentis conficiendis adhibentur, insedit notio; persuasum enim habuerunt verba proferri ad definiendum materiæ usum, et ad vim ei impertiendam. Hinc quoties de valore Baptismi agebatur, id præcipue inquirebatur, utrum invocatis tribus divinis personis administratus fuisset.[4] Docet Augustinus : « Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest. »[5] Quod autem ipse alias verbo Dei tribuat vim illam, « non quia dicitur, sed quia creditur; »[6] non est intelligendum de fide suscipientis Sacramentum tamquam causa gratiæ; nam agnoscit baptismum infantium valere : sed de verbo quod fide tenetur, « nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens : hoc est verbum fidei quod prædicamus. » « Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem. »[7]

34. Quæsitum est a theologis utrum materia et forma Sacramentorum a Christo fuerint definitæ, et *in specie* determinatæ. De Baptismo et Eucharistia constat eas esse ita definitas. De cæteris certum videtur ipsa verba non

(1) I Cor. iv. i.
(2) Lib. iv. de Sacr. c. iv.
(3) L. de vera Rel. c. xvii.
(4) Vide Innoc. ep. xxii.
(5) L. vi. de Bapt. contra Donat. c. xxv. (6) Ibid.
(7) Tract. lxxx. in Joan.

esse præscripta, quum non eadem ubique, neque omni ætate, noscantur usurpata. Cæterum ea in quolibet Sacramento adhibenda sunt quæ Ecclesia jubet; et id omnino videndum, ne quid prætermittatur quod substantiam ipsam attingat. Qui contingunt linguæ defectu errores nil officiunt, quoties communi hominum judicio verba sensum eumdem præseferunt. Hinc Zacharias Pontifex interrogatus de sacerdote baptizante, « In nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta; » respondit : « Si ille qui ita baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam. . . . baptizans sic dixerit, non possumus consentire ut denuo baptizentur. » [1]

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

§. I. *De ministri potestate.*

35. Christus Dominus auctor Sacramentorum ea hominum ministerio perficit, sua gratia et auctoritate præsens. Jam probavimus esse ordinem quemdam sacrorum ministrorum, quorum est Christi nomine sacra obire munia. Cæterum Baptismum a quolibet ministratum valere ostendimus, nixi perpetua traditione Ecclesiæ; quod tamen munus nemini e laicis licet exercere, nisi gravi urgente necessitate. Matrimonii ministros agnovimus contrahentes, ob specialem ejus naturam, quum contractus sit, vel quid contractus adinstar. Plerorumque Sacramentorum sacerdos minister est, qui tamen jurisdictione indiget ut judiciariam in remittendis peccatis exerceat potestatem. Confirmationis minister ordinarius Episcopus est, sicut et Ordinis; nec valet sacerdos, quacumque interveniente auctoritate, sacerdotium vel diaconatum conferre : quamvis Summi Pontificis delegatione fiat idoneus minoribus Ordinibus et subdiaconatui conferendis, sicut et Confirmationi tribuendæ. Hæc sigillatim jam ostendimus. Lutherus tamen docuit cuilibet Christiano eamdem in verbo et Sacramentis esse potestatem, quamvis non foret nisi ex auctoritate publica exercenda. Inter ejus propositiones damnatas a Leone X. ea est : « Ubi non est sacerdos, æque potest quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset. » [2]

36. Sectarii ministros quos sibi præficiunt se donare[3] dicunt potestate. Anglicani tamen appellant successionem apostolicam, quum non puderet majores suos aliquando a regio indulto facultates derivare *ad beneplacitum* regis vel reginæ exercendas. Quæ ab Oxoniensibus propugnantur principia de origine potestatis sacræ sana sunt; [4] sed in iis applicandis vehementer errant. Catholica Ecclesia a Deo potestatem derivans, eam ordinatione com-

(1) Cap. *Retulerunt*, de consecr. Dist. iv.

(2) Prop. xiii.

(3) « A number of believers, united under Christ their mystical head, are become a church essential; and as such is the first and proper subject of the keys, and have power and privilege to govern themselves, and to choose out their own ministerial officers. » Baptist Church discipline concerning a true and orderly Gospel Church.

(4) « No command of an earthly king', no ordinance of an earthly legislature could invest us with power over the gifts of the Holy Ghost; for such may we well term the power duly to administer the sacraments which Christ has ordained. No act of Parliament, however binding the provisions of such acts may be with regard to the temporal affairs of the nation, could make any one of us a priest or clothe us with one jot or one tittle of power over the things of the unseen world. As little surely, could popular election invest us with this power from on high. Men may express their readiness to receive the gifts of Heaven at our hands, but is it not absurd that those who are to be the receivers from us of any boon whatsoever, shall themselves be the persons to supply us with the means of bestowing it ? » Tract No. 5.

municat, et absque ea nullam agnoscit auctoritatem Sacramenta ministrandi: « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit. »[1] Ita definierunt Tridentini patres.

Propositio.

Christiani omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis non habent potestatem.

37. *Probatur* 1. *ex Scriptura.* « Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores. . . . Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? »[2] Liquet igitur ex ipsa Dei ordinatione omnes docendi munere non fungi, nec iis proinde docendi potestatem competere. Idem alias inculcat: « Ipse (*Christus*) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. »[3] Pastores et doctores Christi voluntate et ordinatione constituti sunt in Ecclesia ad opus ministerii perficiendum, cui cæteri fideles impares sunt. Alias de gentibus loquens quibus Evangelii audiendi copia non est data, ait: « Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? »[4] Fides divina juxta Apostolum concipienda est ex audita evangelica prædicatione, quæ indiget missione, non qualibet, sed qualem dedit Christus Apostolis: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. »[5]

38 *Probatur* 2. *traditione.* Quum plurima jam laudaverimus Patrum testimonia, tum in tractatu de Ordinibus, tum alibi passim, pauca hic recitare sat erit. S. Hieronymus Hilarium diaconum Eucharistiæ conficiendæ potestate carere ostendit: « Hilarius cum diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, e turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos et presbyteros non habens. »[6] S. Ambrosius potestatem remittendi peccata deesse Novatianis dicit, quod veri apud eos non essent sacerdotes, scilicet jurisdictione præditi: « Hoc jure vindicat Ecclesia, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet. »[7] Victor Uticencis populum sacerdotes in exilium abituros alloquentem inducit: « Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis munus pœnitentiæ collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: « Quæ- » cumque etc. »[8] Hæc liquet munia esse sacerdotalia, quæ perficiendi cæteri fideles nullam habent potestatem, si exceperis Baptismum ob summam ejus necessitatem, et Christi voluntatem ex usu Ecclesiæ manifestam.

39. Accedit Concilii Nicæni I. decretum quo diaconis vetabatur Eucharistiam sacerdotibus ministrare, quia « nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi corpus accipiant. »[9]

Objectiones solvuntur.

40. *Obj.* 1. Quæ afferuntur Apostoli loca ostendunt donorum, non officiorum, varietatem, prout innuit ipse præfatus: « divisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus. »[10] Officiorum

(1) Sess. vii. can. x. (2) I. Cor. xii. 28.
(3) Eph. iv. 11. (4) Rom. x. 14.
(5) Joan. xx. 21. (6) Dial. contra Lucifer.
(7) De Pœnit. l. i. c. ii.
(8) De persec. Vandal. l. ii.
(9) Can. xviii. (10) I. Cor. xii. 4.

igitur distinctio ordinis causa inducta videtur, quum omnes alioquin parem habeant potestatem, munera tamen diversa, quæ proinde in publicam utilitatem, probante Ecclesia exercere debent.

41. *Resp.* Et dona et officia Apostolus plane distinguit, et ad Christi ordinationem horum refert discrimen. Quamvis autem in primordiis Ecclesiæ plurima data sint dona fidelibus plerisque, non ideo docendi et Sacramenta administrandi munera omnibus censebantur communia : erant enim pastores et doctores, ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Nihil dicit Paulus ex quo par omnibus vindicetur potestas: quod enim dicitur de Spiritu dividente singulis prout vult,[1] respicit donorum universim communicationem, non specialia ministerii sacri officia. Hæc ex aliis quæ laudavimus testimoniis noscuntur esse sacri Ordinis propria, nec unquam consueverunt exerceri, nisi potestate accepta ordinatione.

42. *Obj.* 2. Si qua adductis locis adstruatur distinctio, tot erunt agnoscenda officia quot recensentur, ideoque Apostolus alius erit ac Evangelista, nec prophetæ, nec pastoris, nec doctoris nomen ei conveniet : at constat Joannem Apostolum, Evangelistam et Prophetam simul fuisse, omnesque Apostolos pastores esse et doctores: ergo non officia, sed dona enumerasse censendus est Paulus.

43. *Resp.* Utique officia distincta pleraque sunt quæ recenset Apostolus, quamvis ea aliquando in eodem homine conjungi contigerit. Nil autem distinctioni obstat, quod pastores et doctores iidem forsan nuncupentur, a duobus ejusdem muneris officiis, quamvis et hi distingui possint: pastores quippe Episcopi gregem gubernantes, doctores alii docendi officio, non item regimine, præditi, intelligi possunt. Cæterum ex donorum diversis ordinibus communicatione, vel ex ejusdem muneris variis nominibus, fieri non potest ut potestas sacris ministris specialiter tributa, dispensandi Christi nomine Sacramenta, communis omnibus fidelibus evadat.

44. *Obj.* 3. Minister Sacramentorum tantum memorat quod fecit, et facit quod jussit Christus : quod Christianus quilibet facere valet.

45. *Resp.* Minister Sacramentorum agit Christi nomine et auctoritate; et speciali proinde indiget potestate. Ideo Christus Apostolos mittens, quam a Patre acceperat potestatem memoravit, seque eos mittere instar sui declaravit. Nil igitur proficit quilibet absque auctoritate sacra munera aggrediens, sed Christi instituta irrisui habere videtur.

46. *Obj.* 4. Omnibus fatentibus, Baptismus a quolibet ministrari valet : id vero admitti nequit, si omnibus Christianis non sit in Sacramentis potestas.

47. *Resp.* Ex summa Baptismi necessitate potestas illius ministrandi omnibus relicta est, Christo ita disponente, uti ex traditione et usu Ecclesiæ discimus. Cæterum non eadem est omnibus auctoritas, nam extra necessitatem non licet laico baptizare. Quod autem ea potestas sit omnibus, etiam infidelibus, satis congruit ablutioni quæ a quolibet fieri valet; nec probat eos quid posse in aliis Sacramentis, quæ sacrificandi, vel judicium ferendi, vel aliam specialem potestatem exigunt.

§. II. *De ministri intentione.*

48. Is fuit Lutheri error, ex principio de fidei justificatione derivatus, Sacramenta prodesse suscipientibus, dummodo firmiter crederent sibi imputari Christi merita, licet sacerdos non serio, sed joco ageret. E contra constanter docuit Ecclesia Sacramentis ex Christi

(1) I. Cor. xii. 11.

institutione inesse virtutem, eaque ministranda esse animo faciendi quod ipse instituit. Id ex Constitutione Martini V.,[1] et ex decreto Eugeniano pro Armenis constat, quod solemni definitione munivit Concilium Tridentinum: « Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit. »[2] Apud Catholicos igitur constat intentionem exigi in ministro faciendi quod facit Ecclesia : nec tamen necesse est velle effectum producere quem ritui adnecti Ecclesia credit : nam omnibus fatentibus, valet Baptismus ab hæreticis collatus, qui plerique hisce in regionibus non credunt gratiam conferri baptismo. Id etiam constat ex Nicolai I. ad Bulgaros responsione. Nec opus est ut quis velit facere quod facit Ecclesia Catholica, eam veram Christi Ecclesiam agnoscendo : nam hæreticos id sibi non proponere liquet.

49. Disceptatio theologica de intentionis, quam vocant *internam*, necessitate, a nobis alias relata est.[3] Quæ de intentionis necessitate ab Eugenio IV. et a patribus Tridentinis tradita sunt, ad animi propositum videntur referenda : et Rubricæ Missalis plura docent de intentione consecrandi hostias in altari positas, quæ effectum ex occulto animi consilio pendere indicant. Huc etiam recidit damnatio propositionis ab Alexandro VIII., de Baptismo collato ab eo qui intus in corde suo apud se resolvit : Non intendo facere quod facit Ecclesia.[4] Gravissima contra objicitur difficultas, quod, eo posito principio, incerta evadant Sacramenta, et tota Ecclesiæ potestas nutet : nemo enim novit occulta hominum consilia, ex quibus valor Sacramentorum pendere dicitur. Cæterum Christi promissio securos nos facit de ministrorum successione, et Ecclesiæ vi invicta : quem proinde damus vadem, hæreticis ex opinione theologica cavillationis occasionem sumentibus. Iis etiam licet respondere juxta alteram sententiam, quæ tenet satis esse ut minister gerat se serio, veluti ritum quem Christus instituit conferens, quidquid animo meditetur. In re supremo judicio non dirempta alterutra licet uti sententia.

§. III. *De ministri dignitate.*

50. Valere Baptismum ab hæreticis collatum fide constat, uti jam ostendimus. Valere pariter cætera Sacramenta collata ab iis qui charactere necessario sunt præditi theologi plerique tenent. Maldonatus et Morinus opinati sunt hæreticorum ordinationes aliquando irritas habitas fuisse; sed decreta illa optime explicantur de pœna, qua omne Ordinis suscepti exercitium denegabatur perperam ordinatis. Ordines igitur a Græcis Episcopis collati valent, sicut et Eucharistia conficitur a sacerdotibus, Confirmatio ab utrisque, ab illis vi ordinis, ab his consuetudine vigente et probata: Extrema Unctio quoque ab iis ministratur. Pœnitentia autem, quum exigat jurisdictionem, nequit ab iis ministrari, nisi forte mortis in discrimine, quando, juxta nonnullos theologos, Ecclesia iis tribuit jurisdictionem in morientium utilitatem. Cæterum quum sectarii, inter quos versamur, careant omni sacro charactere, nullum præter Baptisma conficere valent Sacramentum, si exceperis Matrimonium, quod contrahentes ipsi baptizati conficiunt.

51. Sancta sancte tractanda esse patet : utrum autem Sacramentorum valor a ministrorum probitate pendeat, sæculo quarto ineunte magno animo-

(1) Ad calcem Conc. Constantiensis.
(2) Sess. vii. can. xi.
3, Tract. xi. de Baptismo, pag. 4. n. 14.
(4) Prop. xxviii.

rum æstu est disceptatum. Cæcilianum ad Carthaginensem sedem evectum impugnarunt nonnulli, eum prætexentes fuisse a *traditoribus* ordinatum, reis scilicet sacros libros et vasa ethnicis, dum ferveret persecutio, prodendi. Vanissima calumnia dissipata est, sed et principium ipsum simul eversum quod a ministrorum meritis Sacramentorum valor penderet. Donatistæ vocati sunt sectarii illi, nomine a Donato a Casis nigris, celebri sectæ patrono, sumpto. Waldenses sæculo duodecimo, duce Petro Waldone, mercatore Lugdunensi, restaurarunt illum errorem, Sacramenta ab improbis sacerdotibus confici haud posse dicentes; quæ a se, ob probitatem et pietatem insignem, ministrata valere dictitabant hi paupertatis Apostolicæ professores. Errore eodem laboravit sæculo decimo quarto Joannes Wickleff, Oxoniensis professor, qui inter cætera docuit : « Si Episcopus, vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat. »[1] Hodierni Oxonienses prorsus contrarium docent.[2] Quakeri, quum nullum agnoscant Sacramentum, de dignitate ministri non agunt; sed ministerii nomine intelligentes operam, quam quis a Spiritu sancto motus impendit ut alios ad Deum hortando ducat, contendunt illud nemini competere, qui non sit sanctus, dono Spiritus divini auctu

52. Concilium Tridentinum definivit: « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum ; anathema sit. »[4]

Propositio.

Valent Sacramenta a ministro in peccato mortali existente confecta, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit.

53. *Probatur* 1. *ex Scripturis*. Quum apud Corinthios magistrorum causa fideles exercerent simultates, et dicteria in sacros ministros, ne Apostolo quidem excepto, funderentur; hominum ipsorum nullam rationem faciendam esse docuit, sed Dei, cujus auctoritate fungebantur : « Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus, cui credidistis. . . . Dei enim sumus adjutores : Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. . . . Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. . . . Itaque nolite ante tempus judicare. »[5] Apostolus plane in auctoritate sua innititur, de sua dignitate et merito ad Deum referendo judicium. Igitur ad auctoritatem divinam respiciendum est, de occultis cordium arcanis, et de omnibus ministrorum meritis servato judicio Deo.

54. *Probatur* 2. *ex Patrum constanti doctrina*. S. Gregorius Nazianzenus dicit : « Omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habentur; quamvis enim alius alii probitate vitæ antecellat, eadem tamen Baptismi vis est. »[6] S. Joannes Chrysostomus : « Contingit quidem laicos pie vitam agere, male autem et improbe sacerdotes; unde neque futurum esset Baptisma, nec Corpus Christi, nec oblatio per illos, si ubique dignitatem ac merita requireret gratia : atqui etiam per indignos Deus solet operari, neque Baptismatis

(1) Prop. iv. inter damnatas a Conc. Constantiensi.

(2) « The unworthiness of men cannot prevent the goodness of God from flowing in those channels in which he has destined it to flow. » Tract. No. 5. (3) Barclay's Apology, prop. x. quest. 2. § xv.

(4) Sess. vii. Can. xii. (5) I. Cor. iii. 4. 9. iv. 1.

(6) Orat. xi. in S. Bapt.

gratia quidquam læditur vita sacerdotis. »[1] S Augustinus vindicias Ecclesiæ hac in re contra Donatistas strenue egit, adeo ut supervacaneum sit eum laudare. Unum tamen aut alterum locum speciminis gratia damus : « Non exhorreat columba ministerium malorum ; respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus ? »[2] « Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam : quia columbam attendo, per quam mihi dicitur : « Hic est qui baptizat. »[3] « Petrus baptizet, hic est qui baptizat : Paulus baptizet, hic est qui baptizat ; Judas baptizet, hic est qui baptizat. »[4] Congruum porro divinæ Christi sapientiæ erat Sacramenta ita instituere, ut a ministrorum meritis nullatenus penderent, adeo ut suscipientium fides tota in ipso consisteret, nec animi solicitudine de ministrorum dignitate torquerentur. Sic suæ gloriæ magis consuluit, virtutem Sacramentis tribuens, et omnes ad se veluti revocans. Fidelibus etiam benigne consuluit, alioquin semper hæsituris de Sacramentorum valore, quum vitia hominum plerumque sint occulta.

Objectiones solvuntur.

55. *Obj.* 1. « Scimus quia peccatores Deus non audit. »[5] Ergo non valent Sacramenta ab iis collata.

56. *Resp.* Non audit Deus ministrum pravum, suo nomine precantem, sed Ecclesiam suam, cujus voces profert, imo Christum Filium dilectum, cujus auctoritate, indigne licet, fungitur. Equidem Deum audire aliquos, eo ipso tempore quo eum invocant, peccato inquinatos, et eorum opera patrare prodigia ex Christi verbis colligitur : « Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis : Quia nunquam novi vos : discedite a me, qui operamini iniquitatem. »[6]

57. *Obj.* 2. Qui Christianus non est, non potest minister Christi esse : peccator autem Christianus non est, docente Apostolo : « Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. »[7]

58. *Resp.* Quicumque, Baptismo suscepto, ordinationem sacram deinceps receperit, minister Christi est, assumptus in ministerium ea, quam statuit Christus et tota servavit antiquitas, ratione. Si Spiritu Christi careat, suo damno id contingit, et ejus non est, quia gratia non est cum illo conjunctus. Cæterum est ejus minister, legatione pro eo fungens, et necessariis potestatis quam exercet munitus indiciis.

59. *Obj.* 3. Paulus dicit ex Christo capite : « Totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. »[8] Ergo ubi peccato divortium a Christo factum est, nulla est gratiæ aliis communicatio.

60. *Resp.* Apostolus docet omnia quæ toto corpore Ecclesiæ diffunduntur dona a Christo derivari, et totam compagem eo niti. Non ideo tollitur omnis peccatoris cum eo nexus, quum maneat Baptismi et Ordinis sigillum. Licet igitur gratiam amiserit, attamen concredito sibi ministerio fungens, id ponit ex quo, Christo volente, pendet gratiæ communicatio, quæ tota a Christo derivatur.

61. *Obj.* 4 Petrus fideles sic alloquitur : « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multifor-

(1) Hom. viii. in I ad Cor.
(2) Tract. v. in Joan. (3) Ibid. v. 18.
(4) Ibid. Tract. vi. n. 7. (5) Joan. ix. 31.
(6) Matt. vii. 22. (7) Rom. viii. 9. (8) Eph. iv. 16.

mis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei : si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus. »[1] Qui autem gratia ipse caret, non potest eam alteri impertiri.

62. *Resp.* Petrus eo loci hortatur fideles ad donorum divinorum usum ea qua decet ratione : bonos enim et fideles dispensatores esse oportet. Cæterum quæ ministerii sunt munera non pendent ex ministrorum animo pio, sed ex Christi institutione. Non impertitur minister aliquid doni sibi divinitus dati, sed ritum peragit cui Christus gratiam adnecti voluit.

63. *Obj.* 5. Christo injuriosum est hominem peccatorem ejus ministrum æstimare; et sancta munera impuris manibus dari affirmare. Superstitionem prorsus redolet, actum a quocumque fiat prædicare gratiæ instrumentum, licet sit peccatum.

64. *Resp.* Christo e contra servamus honorem, eum salutis et gratiæ fontem agnoscendo, et virtutem Sacramentorum quæ instituit prædicando. Peccatores, peccatis scilicet inhærentes, gravissimam illi irrogant injuriam, sacro ejus ministerio fungentes : sed quæ ipse donat munera nequeunt inquinare, prout recte docet S. Nicolaus I : « Non potest aliquis quantumcumque pollutus sit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Non potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscumque sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest. »[2] Nulla est superstitionis labes, quod ritum divinitus institutum haud pendere a meritis conficientis credamus : nec peccatum dicendus est ritus sacer etiam ab indigno ministro peractus, quamvis ipse peccet, indigne eum perficiens.

65. *Obj.* 6. Magna morum corruptela hac ratione fovetur, sublata solicitudine de ministrorum dignitate.

66. *Resp.* Nequaquam : nam constanter docet Ecclesia peccare gravissime ministros Sacramenta indigne ministrantes, et in æternæ mortis reatum incurrere;[3] sed consulitur fidelium paci, ne anxie hæreant de hominum arcanis meritis.

CAPUT III.

DE SACRAMENTORUM EFFICACIA.

67. Tota Sacramentorum efficacia denegata est a Luthero fidem instrumentum justificationis statuente. Sectarii fere omnes ei inhærent principio, sed novissime Oxonienses ei nuntium miserunt, Sacramentorum vim catholicis fere vocibus exponentes. Ad ambiguitatem cui studebant sextidecimi sæculi novatores tollendam, Tridentini patres voces in scholis a tribus antea sæculis usurpatas, barbariem quidem redolentes, sed veritatem et vim Sacramentorum apprime enuntiantes, adoptarunt, ea *ex opere operato*, scilicet vi ipsis insita, gratiam conferre definientes : « Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere ; anathema sit. »[4] « Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab

(1) I Pet. iv. 10.
(2) Resp. ad Bulgar. c. lxxi.
(3) Rituale Romanum, de Sac. admin.
(4) Sess. vii. can 8.

infidelibus; anathema sit. »[1] Ea igitur est mens Ecclesiæ Sacramentis divinam insitam esse virtutem, quæ tamen frustratur aliquando prava suscipientium voluntate, obicem gratiæ objicientium.

Propositio.

Sacramenta novæ Legis gratiam continent quam significant, et gratiam ipsam non ponentibus obicem conferunt ex opere operato.

68. *Probatur* 1. *ex Scripturis.* Nova nativitas Baptismo tribuitur, veluti instrumento Spiritus sancti efficaci ac certo: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. »[2] Spiritus sanctus collatus dicitur impositione manus ab Apostolis facta cum prece: « Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus. »[3] Gratia sacri ministerii manuum impositione data est, testante Paulo: « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. »[4] Hæc manifesto ostendunt ritibus illis vim certam inesse, et effectum certo sequi, quoties obex non objicitur.

69. *Probatur* 2. *ex Patribus.* Tertullianus ait: « Aquæ sanctificatæ vim sanctificandi combibunt. »[5] Vis insita Sacramento clarius enuntiari non posset. S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: « Qui in aquam descensurus es, non aquæ simplici mentem adhibe, sed Spiritus sancti virtute salutem suscipe. »[6] S. Gregorius Nyssenus: « Baptismus peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et regenerationis causa. »[7] S. Joannes Chrysostomus: « Judaica expiatio nequaquam a peccatis liberabat, sed a corporis sordibus tantum; nostra vero talis non est: nam et a peccatis liberat, et animam abstergit, et Spiritus gratiam largitur. »[8] S. Hieronymus: « Quantam vim habeat Baptisma, et aqua in Christo sanctificata, paulo post docebo. »[9] S. Optatus Milevitanus: « Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam; si repetatur, facit vitæ jacturam. »[10] Hæc omnia de Baptismo agunt, sed par est Sacramentorum ratio. Hinc dicit Augustinus: « Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, et ideo contempta sacrilegos facit. »[11]

70. *Probatur* 3. *Conciliorum auctoritate.* In Symbolo prout in Concilio Constantinopolitano recitatum est, dicitur: « Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. » Remissio igitur peccatorum eredebatur Baptismi effectus. In Milevitano II. Concilio regeneratio ei tribuitur: probatur enim parvulorum Baptisma, « ut in iis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt. »[12]

71. Accedit ratio theologica ex parvulorum Baptismo desumpta; nisi enim vis quædam Sacramento insita agnosceretur, frustra baptizarentur parvuli, qui nullo sui actu possunt gratiæ suscipiendæ fieri idonei. Amentium aliorumque sensibus uti non valentium in mortis discrimine Baptismus idem præbet argumentum; nisi enim gratia actui ipsi baptizandi adnecteretur, inutiliter baptizaretur quicumque non esset sui compos. Consuetudo etiam Confirmationem et Eucharistiam parvulis ministrandi, quæ in veteri Ecclesia obtinuit, et subsidia moribundis præstita testantur constantem sæculorum præteritorum fidem de vi insita Sacramentis.

(1) Sess. vii. can. 6. (2) Joan. iii. 5.
(3) Act. viii. 18. (4) II. Tim. i. 6.
(5) De Bapt. c. iv. (6) Catech. iii.
(7) Orat. in Bapt. Christi. (8) In Bapt. Christi.
(9) Ep. xxxviii. ad Oceanum.
(10) L. v. contra Parmen.
(11) L. xix. contra Faustum c. xi.
(12) Can. ii.

Objectiones solvuntur.

72. *Obj.* 1. Scripturæ Sacramentorum fructus fidei qua suscipiuntur tribuunt : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. »[1] Et Petrus dicit de gentibus ad fidem conversis : « Fide purificans corda eorum. »[2]

73. *Resp.* In adultis animi dispositio requiritur ad fructus Sacramentorum percipiendos , ideoque fides ab iis exigitur quibus prædicatur Evangelium. Ea mundantur corda, cœlesti illustrata lumine , et ad gratiam Baptismi disponuntur. Profecto Petrus Judæos ad pœnitentiam motos hortatus est , ut Baptismum suscipiendo remissionem peccatorum quærerent. Fidei igitur alio loco tribuit cordis puritatem , quia ad eam disponit et præparat.

74. *Obj.* 2. Bonis animi motibus , potius quam ablutioni , tribuit Petrus salutem et gratiam quam consequimur: « salvos facit Baptismus , non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum , per resurrectionem Jesu Christi. »[3]

75. *Resp.* Monet Apostolus Baptismum non fieri corpus mundandi causa, sed animam ; ad quod conscientiam rite disponi oportet. Cæterum animam rite dispositam Baptismus gratiæ muneribus ornat ; quapropter ei salutem adscribere Paulus non dubitat : « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti. »[4] Licet igitur gratiam justificationis tribuere fidei et pœnitentiæ tamquam dispositionibus ad eam suscipiendam, sed et Sacramentis tamquam instrumentis quibus in ea largienda utitur Deus.

76. *Obj.* 3. Augustinus vim illam insitam Sacramentis non videtur nosse ; scribit enim : « Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta , nisi quædam quasi verba visibilia , sacrosancta quidem , verumtamen mutabilia et temporalia ? »[5]

77. *Resp.* Agit eo loci contra Manichæos de sacramentis veteris Legis, sed iis longe superiora prædicat Christi instituta : « Sacramenta non sunt eadem, quia alia sunt sacramenta dantia salutem , alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem , sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. »[6]

78. *Obj.* 4. Doctrina de Sacramentorum vi intrinseca fidem in rebus materialibus sistit , cum Dei et Christi , imo et suscipientis , injuria.

79. *Resp.* Fides nostra in Deum est , quem omnis gratiæ auctorem prædicamus , nec nisi per Christi merita aliquid nos adipisci posse confidimus. Ideo Sacramentorum vim agnoscimus, quia Christi sunt instituta , per quæ vult nos suis donis ditare. Suscipientes autem adultos oportet afferre animum humilem et pœnitentem ad munera oblata impetranda.

80. *Obj.* 5. Eodem recidit si Sacramentorum vis pendere dicatur ex dispositionibus ea suscipientium , quum omnes harum necessitatem ad impetrandum effectum agnoscant.

81. *Resp.* Illud datur discriminis quod agnita vi intrinseca Sacramentorum, Christi eorum auctoris potentia in animæ sanctificatione , iis veluti instrumentis , prædicetur , quæ idcirco in parvulis aliisque nullum actum proprium elicere valentibus effectum suum sortiuntur. Magis etiam in Christi gloriam cedit effectum tribuere ejus meritis per Sacramenta applicatis , quam hominis conatibus , etiam divinitus adjutis.

82. *Obj.* 6. Perperam inductæ sunt barbaræ illæ voces *ex opere operato* , vetustis sæculis ignotæ , ad vim Sacra-

(1) Marc. xvi. 16. (2) Act. xv. 9.
(3) I. Pet. iii. 21. (4) Tit. iii. 5.
(5) L. xix contra Faustum c. xxi.
(6) In Ps. lxxiii

mentorum designandam, quum sermo, sicut et doctrina veterum temporum, præstaret.

83. *Resp.* Quod novæ inductæ sint voces ad vim Sacramentorum enuntiandam, contigit ea ætate qua doctores scholastici fidei principia methodo exponere solebant. De veritate servanda soliciti, parum studebant vocabulorum elegantiæ; et ut distinguerent effectus conatuum humanorum, etiam ex gratiæ motu, a Sacramenti vi intrinseca, eos *ex opere operantis* provenire, hanc *opus operatum* esse dicebant. Ea loquendi ratio aptissima inventa est, Luthero suum placitum de fidei justitia propugnante; ideoque sapientissimo consilio a patribus Tridentinis sancita est, ne effugium ullum daretur vaferrimis erroris patronis. Jus certe habet Ecclesia voces definiendi quibus veritas ab errore discernatur; quod a Nicænis patribus in causa Ariana factum probant plerique Protestantes.

Animadversio.

84. Inter theologos quæritur utrum Sacramenta *physice* contineant gratiam, quod placet Thomistis, vel *moraliter* tantum, prout alii opinantur. Horum nobis probatur sententia, quum vis Sacramentorum satis vindicetur, effectu ea certo consequente ex divino instituto, quin in iis *physice* insit.

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM.

§ I. *De novæ Legis Sacramentis.*

85. Effectus Sacramentorum omnium est gratiæ sanctificantis communicatio, quæ in Baptismo et Pœnitentia, quæ *mortuorum* Sacramenta dicuntur, animam peccatis mortuam ad vitam revocat : in cæteris Sacramentis, *vivorum* scilicet, eam novo munere ditatam Deo facit acceptiorem. Alia gratia cujusque Sacramenti propria *sacramentalis* dicitur : datur enim ad Sacramenti fines assequendos, jusque secum fert ea auxilia impetrandi. Gratia ad Ordinum munera obeunda sacramentalis proinde est.

86. Tria Sacramenta characterem imprimunt, quo nomine intelligitur « spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum et indelebile. »[1] « Si quis dixerit, » inquiunt patres Tridentini, « in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit. »[2]

Propositio.

In tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, imprimitur character in anima.

87. Ex Scriptura adducuntur a nonnullis testimonia sequentia, quibus tamen non innitimur, quum sciamus ea posse intelligi de spiritali gratiæ unctione et nota, quin ad characterem referantur. « Qui unxit nos Deus : qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. »[3] « In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto. »[4] « Nolite contristare Spiritum sanctum Dei : in quo signati estis in diem redemptionis. »[5]

88. *Probatur ex Patribus.* S. Cyprianus : « Recens baptizatos sigillo Domini consummabo. »[6] S. Cyrillus Hierosolymitanus : « Spiritus sanctus tempore Baptismi animam tuam obsignat. »[7] Vocat Baptismum « Signaculum sanctum et indelebile. »[8] S. Ambrosius : « Etsi specie signemur in corpore, veritate tamen signamur in corde. »[9]

(1) Decret. pro Armenis.
(2) Sess. vii. can. ix.
(3) II Cor. i. 21. (4) Ephes. i. 13.
(5) Ephes. iv. 30. (6) Ep. lxxvii.
(7) Cat. iv. (8) Præf. in Cat.
(9) L. I. de Spir. S. c. vi.

Alia testimonia dedimus dum de Baptismi charactere speciatim ageremus.[1]

89. Probatur etiam ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, juxta quam tria illa Sacramenta semel valide suscepta nunquam iterum conferuntur; cujus rei ratio sufficiens dari nequit, præter eam quam ipsa agnoscit Ecclesia, nempe quia indelebile signum animæ imprimunt. Vide de Baptismo et Ordinatione non iterandis Concilium Carthaginense III.[2] de Confirmatione S. Augustinum,[3] S. Gregorium II.[4] Concilium Toletanum VIII. anno 653, et Cabilonense II. anno 813. Vide etiam Florentinum et Tridentinum.

Objectiones solvuntur.

90. *Obj.* 1. S. Augustinus loquitur tantum de charactere exterius cognito, scilicet de indicio rite suscepti Baptismi : « Attendo fidem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Iste est character Imperatoris mei. »[5] Imo non alio sensu characterem Christi in valide baptizato admittit, quam characterem Donati in Donati sectatoribus, si in ipsius nomine fuissent baptizati : « Nam si Donatus quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret. »

91. *Resp.* Augustinus certe loquitur de charactere in anima impresso, qui baptismo iterando obstat, uti ex tota cum Donatistis disputatione liquet. Utitur autem indicio illo externo cognoscendi utrum revera spirituale illud signum fuerit animæ impressum; quum enim anima oculis non pateat, externis indiciis quæ ei insunt explorare oportet. Ideo investigabat utrum in nomine Trinitatis fuissent baptizati, et, re comperta pro certo habebat characterem fuisse impressum. Nec inter characterem illum et alium a Donato imprimendum comparationem instituit, adeo ut unum alteri adæquet, quod impium et absurdum foret; sed tantum ut ostendat valere Baptismum a Donato collatum, animadvertit eum in suo nomine non baptizasse, ideoque non suum sed Christi characterem impressisse. Si autem *per impossibile*, ut aiunt, suo nomine baptizans suum impressisset characterem, « ego » — inquit Augustinus eo loci, — « quando vocarem ad unitatem, si invenirem desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abjicerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem. Nunc vero ipse desertor characterem fixit Imperatoris sui. Deus et Dominus noster Jesus Christus quærit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterem. »[6] Ex his facile colligitur Augustinum nullum agnoscere characterem Donati, sed tantum declarare qua ratione eum deleret, si *per impossibile* fuisset impressus.

92. *Obj.* 2. Ante Innocentii III. tempora de charactere nihil certum habetur : ille autem primus eum propugnavit.[7] Si hujusmodi effectus hisce Sacramentis adnexus fuisset, de eo Scripturæ et Patres perspicuam procul dubio fecissent mentionem.

93. *Resp.* Quæ ex Patribus, præsertim Augustino, citavimus testimonia plane evincunt longe ante Innocentii tempora characterem in Ecclesia agnitum; quod etiam ex ipso objecto decreto liquet : non enim quærebatur utrum character imprimeretur quando Sacramentum rite conficitur, sed utrum qui in amentia vel lethargo baptizati erant, characterem, quem omnes fatebantur Sacramento adnexum, recepissent. De silentio Scripturæ quod di-

(1) Tract. xi de Bapt. c. viii. n. 249. (2) Cap. xxxviii.
(3) L. II. de Bapt. contra Donat. c. xiv.
(4) Ep. xiii. ad Bonifac.
(5) Serm. ad plebem Cæsar.
(6) Serm. ad plebem Cæsar.
(7) Cap. *Majores*, L. III. Decr. tit. xlii.

citur parum habet roboris : plura enim tacent Scripturæ quæ traditione et consuetudine Ecclesiæ innotescunt, præterquam quod quæ adduximus testimonia de charactere possunt intelligi.

94. *Obj.* 3. Vitiosus est circulus, quum character probetur ex eo quod Sacramenta illa plus semel non recipiantur; et ea iterari non posse probetur ex charactere impresso. Præterea character ille inutilis prorsus est, quum homines eum agnoscere nequeant, et Deus nullo hujusmodi signo indigeat, ut baptizatum, confirmatum, aut ordinatum ab alio distinguat.

95. *Resp.* Sacramenta illa iterari non posse probamus ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, et auctoritate : eoque statuto argumentum inde desumimus ea characterem indelebilem animæ imprimere : nisi enim aliquod hujusmodi signum animæ perpetuo inhæreret, plurimæ suaderent rationes ea absque piaculo, imo magna cum utilitate posse pluries conferri. Hoc ratiocinium, quod profecto validum est, firmatur ipsius Ecclesiæ decretis, quæ ab Apostolis olim edocta, et divino lumine adhuc illustrata, declarat characterem revera imprimi. Circuli vitiosi hic nullum certe est vestigium : nec inutilis dicendus est character, quum certo constet Deum Sacramentis illis eum adnectere, ipse autem nihil frustra faciat. Homines quidem eum in se non vident, cognoscunt tamen in causa, nempe in rite administrato Sacramento, indeque discunt perpetuas obligationes quas suscipientes contrahunt.

Animadversio.

96. Deficiente necessaria animi dispositione in adultis sui compotibus, et obice ideo objecto, gratia non communicatur; sed character imprimitur tribus quæ mox recensuimus Sacramentis. At qui consensum penitus denegat Sacramento suscipiendo, ne characterem quidem recipit : « Ille vero, » inquit Innocentius III., « qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti. » [1] Singula explicare quibus animus præparatur ad Sacramenti gratiam assequendam, theologorum ethicorum est : sed et pleraque attigimus dum de unoquoque Sacramento ageretur.

§. *II. De veteribus sacramentis.*

97. Consueverunt theologi inter sacramenta veteris et novæ Legis instituere comparationem, ut horum præstantia magis magisque clarescat. Ipsa veteris Legis sacramenta contulisse gratiam Durandus et Paludanus censuerunt; plerisque Scholæ doctoribus in contrariam abeuntibus sententiam. Circumcisionem, quæ utpote Abrahæ data præcessit mosaicis institutis, habuisse vim peccatum originis tollendi S. Bonaventura cum aliis opinatus est. Novatores autem omnibus Sacramentis denegantes virtutem, nova a veteribus tantum discernebant, quod hæc typi forent redemptionis futuræ, illa signa in memoriam ejusdem peractæ. Horum errorem damnarunt Tridentini patres, scholasticorum litibus haud diremptis : « Si quis dixerit ea ipsa novæ Legis Sacramenta a sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; anathema sit. » [2] Eugenius in Decreto pro Armenis de novæ Legis Sacramentis loquens : « Multum a sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant : hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. » Ex hoc decreto certum videtur, quamvis tamquam fidei dogma non sit definitum, sacramenta vetera

(1) Cap. *Majores.*

(2) Sess. vii. can. iii.

ex opere operato non contulisse gratiam, sed tantum profuisse ex opere operantis : ii scilicet qui eorum ex occasione fidem, dolorem, aliosque pii animi motus concipiebant, gratiam per Redemptoris, in quem sperabant, merita adipiscebantur. Circumcisionem vero adhibitam fuisse tamquam externam fidei in Redemptorem protestationem nonnulli post S. Thomam [1] putant; et ea ratione deletum in masculis ad octavum diem pervenientibus peccatum originis ; [2] existimant enim illius peccati sub veteri Lege remedium fuisse actum aliquem externum quo fides illa declarabatur. [3] Certum autem videtur primarium illius ritus finem fuisse ut gens Judaica veluti Dei cultui consecrata, et fœdere obligata notaretur : « ut sit in signum fœderis inter me et vos. » [4] Hinc Apostolus ejus utilitatem declarans, docet Judæis, tamquam Dei populo, ejus occasione credita esse divina eloquia : « Quid ergo amplius Judæo est ? aut quæ utilitas circumcisionis ? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. » [5]

98. Omnes ritus judaicos, quos sacramenta nuncupamus, caruisse vi sanctificandi animam plurima Apostoli testimonia demonstrant : « munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. » [6] « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : quanto magis sanguis Christi . . . emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ? » [7] « Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. » [8] Per illa igitur sacramenta conferebatur tantum mundities externa et legalis, quatenus qui eos ritus peregerunt habebantur immúnes a sordibus, quibus ob violatas leges Mosaicas fuerant in conspectu populi judaici inquinati.

99. Paria esse virtute vetera et nova sacramenta probare conantur nonnulli ex D. Pauli ad Corinthios verbis : « Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt ; et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari : et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. » [9] Cæterum egregie falluntur : Apostolus enim non asserit eamdem nobis ac illis esse spiritalem escam, eumdemve potum, sed illis omnibus dona illa ac beneficia fuisse communia, ut eorum exemplo qui tot beneficiis ingrati Dei iram provocaverunt, Christianos terreret, ne divinis donis elati vitiis indulgerent : « sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo : nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. » [10]

CAPUT V.

DE CÆREMONIIS.

100. Sacramenti substantia in ritu a Christo instituto posita est, in quem nullam sibi vindicat potestatem Ecclesia : sed alii adjiciuntur qui sacras habent significationes, et ad reverentiam Sacramento conciliandam idonei sunt. Baptismi substantia in ablutione

(1) III. p. qu. lxx. art. 2.
(2) Ibidem art. iv. Resp. (3) Ibidem ad 2.
(4) Gen. xvii 11. (5) Rom. iii. 1.
(6) Heb. ix. 9.
(7) Ib. 13. (8) Ib. x. 4.
(9) I. Cor. x 1. (10) Ib. 5.

aqua facta, invocatis tribus divinis personis, consistit: cæteri ritus *cæremoniæ* sunt, hoc scilicet vocabulo complectimur ritus omnes qui ad decorem et splendorem divini cultus diriguntur. In eas debacchatus est Calvinus, eas vocans « nugas, quod nihil utilitatis habeant: deinde præstigias, quod spectantium oculos inani pompa deludant. »[1] Lutherus non negavit cæremonias aliquas utiliter adhiberi posse, dummodo obligatio eas servandi, et cultus notio abessent.[2] Anglicani cæremonias probant, et arguendos esse palam docent qui eas spernunt; quas tamen instituendi vel mutandi potestatem cuilibet Ecclesiæ nationali vindicant.[3] Hoc utentes arbitrio, plerasque, quas majores sui servaverant, reliquerunt, et plures immutarunt, Eduardo et Elisabetha regnantibus. Qui in his regionibus Episcopales dicuntur, eadem licentia ab Anglicanorum quibusdam ritibus discesserunt. Oxonienses jam rituale vetus deperditum plorant, et rituum sacrorum utilitatem et antiquitatem tuentur. Presbyteriani cæremonias rejiciunt, et Baptismum administrandum jubent, prævia quidem instructione de ejus natura, et de parentum officiis, sed omni omissa cæremonia.[4] Eucharistiam conficiunt, narrantes quid Christus fecerit, et panem frangentes, quem circumsedentibus mensæ distribuunt, vinum deinceps propinaturi. Quæ præcedunt et sequuntur conciones, et psalmus vel canticum cum oratione *ex tempore* fusa totum ritum constituunt: nullas quippe certas preces habent, sed pro ministri cujuslibet arbitrio.[5] Baptistæ hos imitantur, sicut et Methodistæ Episcopales.

101. Ecclesiæ ritus probatos vindicavit Concilium Tridentinum, anathemate lato in eos qui eos sperni posse vel omitti sine peccato asserebant: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse; anathema sit.[6] Jam recitavimus canonem quo feriuntur Missæ cæremonias irridentes.

Propositio.

Recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni nec sine peccato a ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari possunt.

102. *Probatur.* Non licet spernere, nec omittere, nec mutare instituta probata et sancita a legitima auctoritate: porro Ecclesiæ auctoritas omnino legitima est et sacrosancta, quum ei commissa sit a Christo Sacramentorum dispensatio. Ergo quos instituit et probavit ritus reverenter sunt excipiendi et servandi.

103. Christus Dominus suo exemplo nos docet perspicuo, quod signis et actibus veritas cœlestis insinuanda sit et officia commendanda. Sic surdo et muto ad se adducto, « apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: et expuens, tetigit linguam ejus: et suspiciens in

(1) Inst. l. iv. c. x. n. 12.

(2) Lib. de form. Missæ, et lib. de piis cærem.

(3) Article xxxiv.

(4) « He is to baptize the child with water, by pouring or sprinkling it on the face of the child, without adding any other ceremony. » The Directory chap. vii.

(5) « The table on which the elements are placed, being decently covered, the bread in convenient dishes, and the wine in cups, and the communicants orderly and gravely sitting around the table. » Ibidem ch. viii.

(6) Sess. vii. can. xiii. de Sacr.

cœlum, ingemuit, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. »[1] Sic cæcum curaturus: « Apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: et expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. » [2] Alias Apostolis « insufflavit: »[3] et ascensurus in cœlum « elevatis manibus suis benedixit eis. » [4] Laudans publicanum retulit pectoris tunsione cor humiliatum et pœnitens significasse. [5] Ritus Ecclesiæ eo plane tendunt ut officia et veritas insinuentur, ideoque his commendantur exemplis.

104. Ecclesiæ veteris exemplum suffragatur: [6] plerique enim ritus antiquissimi sunt, adeo ut eorum origo lateat. Profecto Baptismi cæremoniæ ad ætatem apostolicam haud temere referuntur, et Eucharistiæ conficiendæ et administrandæ ritus antiquitatem suam produnt. Euchologia, Sacramentaria, et quotquot supersunt vetustatis monumenta rem faciunt exploratam.

105. Ratio aperte favet: quum enim ritus eo dirigantur ut Sacramentorum vim explicent, et animi dispositiones quibus suscipienda sunt, et officia quæ suscipientibus imponuntur, insinuent, liquet eos utiliter et laudabiliter præscribi et peragi: subsidia quippe sunt hominum indoli, qui sensibus plurimum ducuntur, accommodata, et ad sanctos fines instituta. [7]

Objectiones solvuntur.

106. *Obj.* 1. Impie adjiciuntur ritus iis quos instituit Christus, veluti ac si ipse quid diceret ignorasset.

107. *Resp.* Nulla est impietas eam exercere auctoritatem quam Christus ipse demandavit, statuendi et componendi omnia quæ ad disciplinam pertinent. Instituendo Sacramenta substantiam eorum definivit, in quam nihil potest Ecclesia; sed reliquit Apostolis et Præsulibus futuris potestatem pro temporum et locorum varietate cætera disponendi; quam se exercituram Paulus ad Corinthios scribens, indicavit: « Cætera autem, cum venero, disponam. »[8] Id animadvertit olim Augustinus: « Ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur (*Eucharistia*), ut Apostolis, per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. . . . Cum vero ait Apostolus de hoc Sacramento loquens. . . . . « Cætera autem, » cum venero, ordinabo. » Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia), ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur. » [9] Nihil latuit Christum; sed quum Sacramenta hominibus per tot sæcula forent ministranda, in varietate adjunctorum infinita, sapienter qui minoris forent momenti ritus Præsulum Ecclesiæ permisit æquo arbitrio.

108. *Obj.* 2. Sacramentorum substantia obscuratur tot adventitiis ritibus, qui simplici Christi instituto adjiciuntur, adeo ut jam disceptent theologi, et inutili labore quærant quinam ritus sit essentialis quorumdam Sacramentorum.

109. *Resp.* Sacramentorum vis declaratur ritibus qui in solemni eorum

(1) Marc. vii. 33. (2) Ibidem viii. 23.

(3) Joan. xx. 22. (4) Luc. xxiv. 50.

(5) Luc. xviii. 13.

(6) Oxonienses id alte prædicant, et Tertullianum, et Basilium adducunt testes: « The ritual of the Church was derived from the Apostles, and was based on religious principles and doctrines. » Tract 34.

(7) Post plura de ritibus erudite disceptata concludunt Oxonienses: « The conclusion to be drawn from all that has been said in those pages is this: that rites and ordinances, far from being unmeaning, are in their nature capable of impressing our memories and imaginations with the great revealed verities: far from being superstitious, are expressly sanctioned in Scripture as to their principle, and delivered to the Church in their form by tradition. » Tract. 34.

(8) I. Cor. xi. 34.

(9) Ep. ad Januar. liv alias cxviii. i. ad Jan.

administratione fiunt : omnes enim intelliguntur præcipuo ritui, qui est ipsum Sacramentum, inservire. Quod autem de quorumdam rituum necessitate disputetur, contingit absque Sacramenti injuria, quum alterutro ritu præcipuo vim ejus contineri constet, quamvis dubitetur utrum uterque sit necessarius. Sic in Confirmatione disceptatur de chrismatis necessitate; in Ordinatione de instrumentorum porrectione; nec tamen dubitat aliquis utrumque Sacramentum perfici, ritu Ecclesiæ peracto. Cæterum dubium ex rituum multitudine non est ortum, sed ex brevi narrandi ratione quam secutus est sacer scriptor; et ex monumentorum antiquorum defectu.

110. *Obj.* 3. Cæremoniæ in Sacramentis adhibitæ judaismum sapiunt, potius quam simplicia Christi instituta. Plurima in Baptismo fiunt adinstar ritus quo proselyti excipiebantur.

111. *Resp.* Nihil judaicum in cæremoniis his reperire est, quum christianis mysteriis innitantur, et officia insinuent christiana. Equidem in lege mosaica ritus fuerunt qui aliquatenus sunt nostris affines, sed si simul conferantur, patebit discrimen. Idem dicendum de ritibus quibus proselyti excipi solebant. Quod de simplicitate institutorum Christi dicitur, e præjudicio vulgari derivatur, et absque tabulis asseritur; non enim adeo simplicia fuerunt ut excluderentur cæremoniæ, uti patet ex vetustissimo usu ab Apostolis derivato, qui certe fuerunt optimi Christi voluntatis interpretes.

112. *Obj.* 4. Gratis referuntur cæremoniæ Sacramentorum ad ætatem Apostolicam.

113. *Resp.* Tertullianus sub finem sæculi secundi et initium tertii, plurimas commemoravit, veluti ab Apostolis traditione derivatas, et communi Ecclesiarum usu firmatas;[1] quod profecto testimonium antiquum est et magni momenti. Alia adduximus quamplurima dum de singulis Sacramentis ageremus.

114. *Obj.* 5. Risum movent et impietatem provocant pleræque cæremoniæ in Sacramentorum administratione adhibitæ : v. g. insufflationes, aurium nariumque saliva contactus, salis in os immissio, etc.

115. *Resp.* Qui animo bene parantur ritus omnes in Sacramentis adhibitos reverenter contemplantur, eas recolentes Christi Domini res gestas vel dicta quæ iis commemorantur. Inter probationes adduximus miracula a Christo patrata, quæ in memoriam revocantur aurium tactu saliva, et insufflationis exemplum. Sal sapientiæ et incorrupti animi symbolum usurpatur ad gratiam evangelicam significandam, qua efficimur « sal terræ. »

Hæc breviter; quæ desiderantur, ex specialibus de Sacramentis tractatibus colligi possunt. Jam finem secundæ huic operis nostri Dogmatici editioni ponimus, illud, sicut et cætera nostra scripta, judicio Episcopi Episcoporum ex animo subjicientes.

(1) L. de corona militis.

MECHLINIÆ, SUMPTIBUS ET TYPIS H. DESSAIN SUCCESSORIS P. J. HANICQ. M DCCCLVIII.

885983

BX1751
K4
v.3

Kenrick, Francis P.
Theologia dogmatica.

885983

BX1751
K4
v.3

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY